
In Ern. N. Th. Bibl. t. 1. pag. 69.

Lars Laurenius
1819



IO. GEORGII WALCHII

BIBLIOTHECA
PATRISTICA

LITTERARIIS ADNOTATIONIBVS
INSTRVCTA.



IENAE
SVMTV VIDVAE CROECKERIANAE
MDCCLXX.



LECTORI BENEVOLO.



Eorvm, quæ præfari mihi conſtitutum eſt, initium pia iuſtaque cauſſa adductus, a laudatione cæleſtis benignitatis, in ſcribendo libro hoc abunde mihi monſtratæ, facio. Dei gratia, quam in labore hoc expertus ſum, magna eſt ac plane ſingularis. Contigit triſtiori caſu, vt de altiore librorum ſcala delaberer ac quamuis nulla vis corpori ac partibus eius fieret ac deus clementiſſime efficeret, vt omnia membra a periculo tuta eſſent atque integra ac proprio poſita loco permanerent; tamen lapſus hic non parum exſtitit mihi calamitoſus. Iacui plane proſtratus: omnem fere mouendi me vim amiſi: ſpaſtici dolores ex lapſu re-

manſerunt: dolores illi, qui ex lumbis in artus inferiores ſe extendunt, nunc continuo; nunc per interualla ſumma cum vehementia adfligunt: eundi facultatem ſi non penitus tollunt; imminuunt tamen iſtam ac difficilem reddunt: animum viresque corporis debilitant. Quum in ſtatum hunc translatus eſſem, bibliothecam hanc conſcribere iam coeperam; non plura autem, niſi duæ plagulæ, compoſita erant. Eam ob rem omnem cogitationem de libro hoc abſoluendo atque in publicam lucem emittendo abieci, in perſuaſionem adductus, ſi in decreto de bibliotheca hac euulganda permanerem, acturum me eſſe, quod vanum ſit ac voluntati diuinæ aduerſetur. Spe tamen melioris valetudinis recuperandæ ac fideli aliorum hortatione incitatus, priſtinum laborem recepi ac ſingulari gratia dei adiutus, in eo tam feliciter progreſſus ſum, vt librum ipſum nunc iuris publici facere queam atque in lucem emittere, non in flore ætatis; ſed quod etiam in magnis dei beneficiis numerandum eſt, in ſenectute annorum LXXVII. Ita benignus deus, miſericors in cælo pater, erga me abunde probauit, ſe *poſſe omne longe longeque copioſius facere, quam nos poſcere; aut cogitare:* ſe eſſe *conſilio mirum et ratione magnum.*

De bibliotheca hac ipſa, quam nunc ad publicum vſum transfero, deque illius ratione dixiſſe ſufficiat, eam habere ſimilitudinem: immo conuenientiam cum bibliotheca theologica, antea a me edita. Spectat iſta ad patres ordinis ſacri atque eorum ſcriptorum notitiam ſuppeditat, quæ ad illos pertinent. Argumentis ſuis quum iſta

inter

inter ſe differant, ordinis ratio poſtulauit, vt ea certis claſſibus diſtinguerem; ſeu varia, vti dicuntur, capita conſtituerem atque ad ordinem eorum diſponerem. Quod primum locum obtinet, capite exponitur de *vitis rebusque patrum eccleſiæ*, iis nimirum, qui iſtas enarrarunt. Memoratis his, caput ſecundum ſequitur de *ſcriptis patrum illorumque editionibus.* Non de ſingulis eorum editionibus diſſerui, cuiusmodi ſyllabos iam dudum ab aliis accepimus; ſed de quibusdam tantum iisque, quæ præ reliquis celebres ſunt atque in exiſtimatione habentur. Tres earum claſſes conſtituere ac referre poſſumus ad primam *antiquiſſimas*; ſiue illas, quæ non longe poſt natam typographiam prodierunt: ad ſecundam *antiquiores*, quæ ſeculo ſexto ac decimo lucem adſpexerunt, inprimis ſtudio Eraſmi; ad tertiam denique *recentiores*, emiſſas in Gallia, maxime cura monachorum Benedictinorum, in Anglia, Belgio, Hiſpania, Germania, quibus ſingularia patrum ſcripta adduntur atque itidem recenſentur, ſeparatim nimirum in lucem edita. Patrum monimenta coniunctim ad publicum vſum translata ſunt, in certis voluminibus, quæ *bibliothecæ ac catenæ patrum* dicuntur. De his capite tertio expoſui ac poſtquam de illis atque earum editionibus generatim commentatus ſum, narrantur bibliothecæ particulares; ſiue ſpeciales atque inter has dogmaticæ et polemicæ, aſceticæ, homileticæ, hiſtoricæ: bibliothecæ patrum apoſtolicorum, poëtarum chriſtianorum, iuris canonici veteris, poſt quas bibliothecas patrum eorum catenæ commemorantur. In operibus his recenſendis THOMAS ITTIGIVS egregia quidem ſtudia iam poſuit ac de *bibliothecis et catenis pa-*

trum variisque veterum ſcriptorum eccleſiaſticorum collectionibus, *tractatum* ſingularem publicæ luci expoſuit; illum tamen ea ratione conſcripſit, vt et aliis relinqueret, in quibus ingenia ſua exercerent. Ordinem ego non ſolum mutaui; ſed multa quoque, ab ITTIGIO prætermiſſa, addidi.

Omnibus his expoſitis, pergo in narratione de libris patrum ac capite quarto diſputo de *ſcriptis patrum eccleſiæ adulterinis*, *controuerſis*, *corruptis ac deperditis*; capite quinto autem de *ſcriptis patrum eccleſiæ*, *in linguas Europæas conuerſis*, de eorum interpretibus cum antiquioribus, maxime Rufino ac Gennadio; tum recentioribus, qui patrum monimenta conuerterunt in linguas hiſpanicam, anglicam, gallicam, belgicam, italicam, ſuecicam, germanicam ac capite ſexto de *ſcriptis patrum eccleſiæ*, *expoſitis atque illuſtratis*, ſpeciatim de iis, qui ipſa patrum ſcripta ediderunt ac notas adiunxerunt: qui monimenta hæc notis variorum inſtruxerunt: animaduerſiones ſuas ſeparatim vulgarunt ac præterea ſingulares commentationes in ſcripta patrum compoſuerunt.

Omnibus his explanatis, conuerto me ad reliqua capita enarranda, quæ maxime ad patrum eruditionem, dogmata, præcepta variarum diſciplinarum theologicarum, errores ſpectant. Sequuntur iſta hoc ordine: ſeptimum de *patrum eccleſiæ eruditione*, *maxime profana ac humana*, ſpeciatim de iſtorum grammatica, rhetorica, poëſi, hiſtoria atque antiquitatum ſtudio, philoſophia, inprimis de logica, doctrina morali, phyſica: octa-

uum

uum de *patrum ecclesiæ eruditione ſacra*, *ſpeciatim theologia exegetica*, vbi exponitur de iis, qui præcepta hermeneutica ſcripſerunt: operam ad verſiones codicis ſacri contulerunt: interpretationes ſcripturæ diuinioris reliquerunt: item metaphraſin: ſubſidia ad explananda oracula diuina, maxime geographiæ ad chronologiæ ſuppeditarunt: viam monſtrarunt ac loca ſcripturæ, quæ inter ſe pugnare videntur, concilianda: de vitiis etiam patrum exegeticis: nonum de *patrum ecclesiæ eruditione ſacra*, *ſpeciatim theologia dogmatica*, quo capite patres in iisque teſtes veritatis euangelicæ præter alios enarrantur, vna cum illis, qui teſtimonia hæc recenſuerunt, illuſtrarunt, vindicarunt: decimum de *patrum ecclesiæ eruditione ſacra*, *ſpeciatim theologia polemica*, præcipue de illorum ſcriptis contra paganos homines, iudæos, hæreticos, ac de patrum ratione diſputandi contra aduerſarios: vndecimum de *patrum ecclesiæ eruditione ſacra*, *ſpeciatim theologia ſymbolica*: duodecimum de *patrum ecclesiæ eruditione ſacra*, *ſpeciatim theologia catechetica*: tertium ac decimum de *patrum ecclesiæ eruditione ſacra*, *ſpeciatim theologia morali*, de iis, qui doctrinam moralem explanarunt partim oblata occaſione; partim ex inſtituto, ea diſcrepantia, vt alia eorum ſcripta maxime pertineant ad ethicam chriſtianam: alia ad iurisprudentiam diuinam, quo loco et quæritur: quali in pretio patrum theologia moralis habenda ſit, hacque occaſione illorum errores morales recenſentur. Ad capita, iam enumerata, duo alia: quartum ac decimum de *patrum ecclesiæ erroribus theologicis*, *maxime dogmaticis*: quintum ac decimum de-

nique

nique de *patrum ecclesiæ vſu atque auctoritate* adiunxi. Hæc eſt ſumma eorum, quæ bibliotheca hæc complectitur. De ratione, qua in iſta componenda vſus ſum, iam antea animaduerti, me in hac quoque ſequutum eſſe methodum, quam in *bibliotheca theologica* adhibui. Deus efficiat benigne, vt liber hic vberiorem materiam ad gloriam eius amplificandam praebeat atque aliorum commodis atque vtilitati multum ſeruiat. Vale, BENEVOLE LECTOR, mihique faue. Ienae d. XXX. april. anni chriſtiani MDCCLXX.



BIBLIO-


BIBLIOTHECA PATRISTICA.



CAPVT I.
DE VITIS REBVSQVE PATRVM ECCLESIAE.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Exponitur, quinam doctores per patres ecclesiæ ſint intelligendi §. I.
Recenſentur ſcriptores primum de patribus eccleſiæ generatim §. II.
Deinde de patribus eccleſiæ, ſtrictiore ſententia ſic dictis §. III.
Ac denique de ſingularium patrum eccleſiæ vitis rebusque §. IV-X.



Qvvm nomen *patrum eccleſiæ* varie ſumtum eique vel ſtrictior; vel latior ſignificandi vis tributa eſt, mirari haud debemus, ætates illorum definiri diuerſas iisque tempus nunc breuius; nunc longius adſignari. Quodſi per *patres*, vti par eſt, antiquiores doctores intelligimus, præ aliis puriore doctrina pariter ac vita pia de ciuitate chriſtiana optime meritos, illi praecipue *patres* adpellandi ſunt, qui ſex prioribus ſeculis vixerunt. Hosque patres ſignifico, ad quorum bibliothecam conſcribendam adgrediar; ita tamen, vt quidam ætate inferiores, tanquam viri, patribus proprie ſic dictis ſimiles, per vulgarem loquendi vſum adiungantur.

Nonnulli exiſtimarunt, ſolos apoſtolos dignos eſſe, qui *patres* adpellentur, ac ſufficere, ſi reliqui epiſcopi *filii* illorum vocentur, hacque in re AVGVSTINVM * ſequuti ſunt. Alii putant, patres floruiſſe vsque ad ætatem Auguſtini, quum plurimæ traditiones tempore iſto diſſeminari atque a chriſtianorum cœtibus adprobari cœperint. Alii iis doctoribus nomen *patrum* tribuunt, qui vsque ad ſeculum duodecimum; ſiue ad originem theologiæ ſcholaſticæ floruerunt. IO. GERHARDVS tres patrum ordines conſtituit: primum eorum, qui a temporibus apoſtolorum vsque ad concilium Nicænum vixerunt, ſiue ad annum chriſtianum CCCXXV. ſecundum illorum, qui a tempore concilii huius vsque ad Conſtantinopolitanum ſecundum; ſiue ad annum DCLXXXI. celebres fuerunt; tertium denique eorum, qui a temporibus concilii Conſtantinopolitani ſecundi vsque ad originem theologiæ ſcholaſticæ; ſiue annum MCLXXII., quo Petrus Lombardus vixit, famam atque exiſtimationem quandam conſequuti ſunt. ** Sunt quoque, qui vocabulum *patrum* tam late ſumunt, vt per illos omnes ſcriptores eccleſiaſticos intelligant, qui vsque ad ſacrorum emendationem vixerunt, quemadmodum titulus *bibliothecæ maximæ patrum* oſtendit. Nobis adcuratius ſentire videntur, qui patres referunt ad ſex priora ſecula; ſiue ad Gregorii magni tempora, quibus romanorum præſulum dominatus, a Phoca imperatore confirmatus, maxime eruperit ac quæ adhuc cœpta fuerit, dogmatum, morum, rituum ac conſuetudinum deprauatio multum augeri cœperit. Videantur: IO. GERHARDVS, *** ANDREAS RIVETVS, * GISBERT. VOETIVS, ** IO. FRANC. BVDDEVS. ***

§. II.

* *enarration. in pſalm.* XLV.

** *method. ſtudii theologic. part.* III. *ſect.* 5. *cap.* 3. p. 280.

*** *dicto loc.* p. 244.

* *tractatu de patrum auctoritat.* eiusdem *critico ſacro* præmiſſo, *cap.* I. *tom.* II. *oper.* p. 1047.

** *ſelectar. diſſertation. part.* I. p. 75.

*** *iſagog. ad theolog. vniuerſ. libr.* II. *cap.* 3. p. 535.

§. II.

Inter ſcripta de patribus primum locum iis adſigno, in quibus vita resque eorum narrantur, quumque varia illorum genera ſunt, ordinis ratio poſtulat, vt iſta recenſeam diſtincte atque in certas claſſes diuidam. Tres illarum conſtitui atque ad primam referri poſſunt, qui de doctoribus ac ſcriptoribus eccleſiaſticis commentati ſunt generatim, iique cum antiquioris; tum recentioris ætatis. Illos; ſiue antiquiores, ſi late ſumere velimus, ad numerum eorum pertinent:

HIERONYMVS in *catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum*; ſiue libro de *viris illuſtribus:* GENNADIVS *Maſſilienſis* de *ſcriptoribus eccleſiaſticis*: ISIDORVS *Hiſpalenſis* et ILDEFONSVS *Toletanus* libris de *ſcriptoribus eccleſiaſticis:* HONORIVS *Auguſtodunenſis* de *luminaribus eccleſiæ:* SIGEBERTVS *Gemblacenſis* de *ſcriptoribus eccleſiaſticis:* HENRICVS *Gandauenſis* libro de *ſcriptoribus eccleſiaſticis.* Omnia hæc ingenii monimenta præter illud, quod eſt ILDEFONSI *Toletani*, coniunctim in lucem produxit SVFFRIDVS PETRI, ſub titulo: de *illuſtribus eccleſiaſticis ſcriptoribus auctores præcipui veteres*, Coloniæ MDLXXX. 8. Collectionem eiusmodi; locupletiorem autem atque adcuratiorem, etiam curauit: AVBERTVS MIRAEVS in *bibliotheca eccleſiaſtica; ſiue nomenclatoribus ſeptem veteribus, auctariis et ſcholiis illuſtratis*, Antuerpiæ MDCXXXIX. fol. qua ILDEFONSVS *Toletanus*, a PETRI omiſſus, locum obtinuit. Horum exemplum ſequutus eſt IO. ALBERT. FABRICIVS in *bibliotheca eccleſiaſtica*, Hamburgi MDCCXVIII. fol. ita tamen, vt illorum induſtriam longe ſuperaret. Præter ſeptem ſcriptores, antea iunctim editos, atque in his præcipue HIERONYMVM ac GENNADIVM, emendatos atque adnotationibus aliorum ac propriis illuſtratos, exhibet *Anonymum Mellicenſem*, a BERNARDO PEZ primum euulgatum: PETRVM *Caſinenſem* de *viris illuſtribus monaſterii Caſinenſis*, cum ſupplemento PLACIDI romani et IO. BAPTISTAE MARI notis: IO. TRITHEMIVM de *ſcriptoribus eccleſiaſticis*, cum obſeruationibus et AVBERTI MIRAEI *auctarium de ſcriptoribus eccleſiaſticis*

et a tempore, quo desinit Trithemius, de scriptoribus seculi XVI. *et* XVII. libros duos. Aetate recentiore itidem fuerunt, qui de scriptoribus ecclesiasticis vniuerse exponerent, siue prioris; siue posterioris fœderis tempore illi floruerint. Ad horum ordinem pertinent:

STEPHANVS LVSIGNANVS, cuius exstat: *catalogus virorum illustrium veteris et noui testamenti; nec non omnium primitiuæ ecclesiæ, cum successoribus, pontificum in ecclesia Romana, Constantinopolitana, Antiochena, Alexandrina et Hierosolymitana, in ecclesia pariter Aquileiæ, Rauennæ, Mediolani, Parisiorum ac in aliis antiquioribus Galliarum ecclesiis, cum caussis dissensionis ecclesiæ romanæ et orientalis*, Parisiis MDLXXX. 8. qui liber rarus quidem est; mediocris autem vtilitatis.

SIMON DE VOYON, qui scripsit: *catalogue des docteurs de l'eglise de dieu, tant de ceux, qui ont eté des le commencement du monde, contenus aux saintes ecritures, que de plusieurs, qui ont puis apres succedé par ordre iusques a notre tems*, Rupell. MDCVII. 8.

ANTONIVS POSSEVINVS, cuius *adparatus sacer ad scriptores veteris et noui testamenti, eorum interpretes, synodos et patres latinos ac græcos, horum versiones, theologos scholasticos, quique contra hæreticos egerunt*, ceter. prodiit primum Venetiis MDCIII. et IV. deinde multo locupletior et emendatior Coloniæ Agrippinæ MDCCVIII. fol. duobus tomis. Non pauca sunt vitia, ob quæ vastum opus hoc iure reprehenditur.

ROBERTVS BELLARMINVS, qui reliquit: de *scriptoribus ecclesiasticis librum vnum, cum adiunctis indicibus vndecim et breui chronologia ab orbe condito vsque ad annum* MDCXII. Romæ MDCXIII. 4. Liber hic, satis notus ac celebris, sæpe litterarum formis descriptus, emendatus, illustratus, continuatus est, nominatim a PHILIPPO LABBEO, ANDREA DV SAUSSAY, CASIMIRO OVDINO.

AVCTORES, quorum studio in lucem edita est: *magna bibliotheca ecclesiastica; siue notitia scriptorum ecclesiasticorum veterum ac recentiorum, in qua ordine alphabetico continetur auctorum sacrorum veteris et noui testamenti: aucto-*

auctorum apostolicorum et sanctorum patrum vitae compendium et eorum scripta enumerantur, Coloniae Allobrogum MDCCXXXIV. fol. quod opus, quantum scio, non continuatum est ac primus tantum tomus prodiit.

REMIGIVS CEILLIER, qui in lucem emisit: *histoire generale des auteurs sacres et ecclesiastiques, qui contient leur vie, le catalogue, la critique, le iugement, la chronologie, l'analyse et le denombrement des differentes editions de leurs ouurages, ce qu'ils referment de plus interessant sur le dogme, sur la morale et sur la discipline d'eglise, l'histoire des conciles, tant generaux, que particulieurs et les actes choisis des martyrs.* Opus hoc quatuor et decem tomorum prodire coepit Parisiis MDCCXXIX. 4. auctorque illud eo consilio suscepit, vt quam Dupinius scripsit, bibliothecam ampliorem ac perfectiorem redderet: minus recte dicta emendaret omissaque suppleret. Multa praestitit feliciter atque industriam pariter ac eruditionem non mediocrem probauit; minus tamen ipse librum suum ita conficere potuit, vt careret ille erroribus vitiisque.

Scriptoribus his ii adiungendi sunt, qui in enarrandis auctoribus ecclesiasticis, speciatim tempore foederis posterioris claris, operam posuerunt. Generis huius sunt, quae nunc sequuntur, ingenii monimenta:

IO. TRITHEMII *collectanea de scriptoribus ecclesiasticis*, saepius publicae luci exposita atque aucta. Inter varias editiones has eminet illa, quam IO. ALBERTO FABRICIO debemus. Transtulit is librum hunc, multum emendatiorem numerisque capitum, notis atque indice chronologico-alphabetico instructum, in *bibliothecam ecclesiasticam*. Incipit Trithemius a Clemente romano ac scriptores DCCCCLXX. recenset.

IO. SCHOPFII *academia iesu christi, hoc est, breuis descriptio christi, sanctorum apostolorum, celebriorum patrum ac doctorum ecclesiae vsque ad Lutherum inclusiue*, Tubingae MDXCIII. 4. iterum auctior cura IO. HIMMELII, Spirae MDCXVI. ac germanice, interprete *Georgio Draudio*, Francofurti MDCXXV. 8. qui liber mediocrem vtilitatem promittit; nec magnam prae se habet existimationem:

AVBERTI MIRAEI *bibliotheca ecclesiastica*, cuius prior pars Hieronymi, Gennadii, Isidori, Ildefonsi, Honorii, Sigeberti Gemblacensis et Henrici Gandauensis libellos de scriptoribus ecclesiasticis vna cum notis complectitur, edita Antuerpiæ MDCXXXIX. fol. iamque antea a me commemorata. Accessit deinde liber de *scriptoribus ecclesiasticis*, qui ab anno christiano MCCCCXLIV. quo Trithemius desinit, vsque ad annum MDCXLI. vixerunt, tamquam pars posterior *bibliothecæ ecclesiasticæ*, Antuerpiæ MDCXLIX. fol. ac postea in IO. ALBERTI FABRICII *bibliothecam ecclesiasticam* translatus est.

IO. GERHARDI *patrologia; siue de primitiuæ ecclesiæ christianæ doctorum vita ac lucubrationibus opusculum posthumum. Accesserunt de scholasticis ac historiae ecclesiasticæ scriptoribus, tum aliis quoque recentioribus nonnullis iudicia varia*, qui liber post auctoris obitum in lucem exiit, cura *Io. Ernesti Gerhardi*, filii, Ienæ MDCLIII. 8. hancque primam editionem aliæ sequutæ sunt atque inter illas tertia Ienæ MDCLXXIII. 8.

IO. CHRISTOPHOR. MEELFVHRERI *corona centum patrum et doctorum ecclesiæ, ostendens eorum natales, educationem, res gestas, scripta, tum genuina; tum suppostitia, næuos et errores*, Giessæ MDCLXX. 4. Ex quingentis scriptoribus, a Bellarmino enarratis, centum tantum selegit, eosque, vti dicit, primarios, qui nucleus antiquitatis ecclesiasticae merito adpellari queant, ac quosdam, a Bellarmino omissos, addidit. Initium facit ab Herma ac desinit in Bernhardo.

IO. GOTTFRIDI OLEARII *abacus patrologicus; siue primitiuæ et succedaneæ vsque ad augustæ reformationis, a theandro Luthero peractæ, periodum, ecclesiæ christianæ patrum atque doctorum maioris minorisue auctoritatis, historicorum, item et scholasticorum eorumque ætatis, patriæ, sortis, ceter. vt et quæ exstant, scriptorum alphabetica enumeratio*, Ienæ MDCLXXIII. 8. Opusculum hoc, ordine litterarum dispositum, ab auctoris filio, *Io. Gottlieb. Oleario*, locupletatum ac sub titulo: *bibliotheca scriptorum ecclesiasticorum* cum *Io. Francisc. Buddei* præfatione editum est, Ienæ MDCCXI. 4.

GVI-

GVILIELM. CAVEI ſcripta generis huius varia, vti ſunt: I) *tabulæ, quibus doctores et ſcriptores eccleſiaſtici eorumque patria, ordo, ætas et obitus in ſynopſi exhibentur*, a nato chriſto primoque anno epochæ chriſtianorum ad annum MDXIX. Londini MDCLXXIV. fol. et Hamburgi MDCLXXVI. fol. cura *Rud. Capelli:* II) *chartophylax eccleſiaſticus, quo prope* MD. *ſcriptores eccleſiaſtici indicantur, a chriſto nato vsque ad annum* MDXVII. Londini MDCLXXXV. 8. PAVLLVS COLOMESIVS iuris publici fecit: *paralipomena ad Guil. Cauei chartophylacem eccleſiaſticum*, iterum atque iterum edita: III) *hiſtoria litteraria ſcriptorum eccleſiaſticorum*, cuius præclari operis pars prior lucem adſpexit Londini MDCLXXXVIII. fol. eiusque *adpendix*, quam HENRICVS WHARTONVS compoſuit eaque de ſcriptoribus eccleſiaſticis ab anno MCCC. ad annum MDXVII. diſſeruit, itidem Londini MDCLXXXIX. fol. Prior hæc pars cum adpendice denuo litteris deſcripta eſt, Geneuæ MDCXCIII. fol. ac ſequuta illam pars poſterior, Londini MDCXCVIII. fol. qua plures, quam DC ſcriptores noui anteaque prætermiſſi, editi, manuſcripti, deperditi recenſentur. Ex quo illa in Anglia prodierat, itidem Geneuæ litterarum formis impreſſa eſt, non ſolum ſeparatim, MDCXCIX. fol., ſed etiam coniunctim cum parte priore MDCCV. fol. ac MDCCXX. fol. Poſt mortem auctoris noua editio totius operis adornata atque additamentis, quæ ille manuſcripta reliquerat, inſtructa eſt. Primum illius volumen in conſpectum publicum venit Oxoniæ MDCCXL. ſecundum MDCCXLIII. ac poſtea vtrumque denuo deſcriptum eſt Baſileæ MDCCXLI. et MDCCXLV. fol.

LVDOVICI ELLIES DVPIN *nouuelle bibliotheque des auteurs eccleſiaſtiques, contenant l'hiſtoire de leur vie, le catalogue, la critique et la chronologie des leurs ouurages, le ſommaire de ce, qu'ils contiennent: vn iugement ſur leur ſtile et ſur leur doctrine et le denombrement des differentes editions de leurs œuures.* Primam lucem opus hoc vidit Pariſiis ab anno MDCLXXXVI. vsque ad annum MDCCXI. cuius editionis XLVII. volumina ſunt 8 titulis inter ſe diuerſa; ex quo autem illud Pariſiis prodire cœperat, noua eius editio in Belgio, nominatim Amſtelodami, adornata,

 fuit,

fuit, quæ XIX tomis conſtat ac formam quarti ordinis habet. Illi omnes quidem Amſtelodami euulgati ſunt; in titulis autem varia loca indicantur exſtantque quorundam tomorum editiones, denuo factæ. Singuli tomi lucem adſpexerunt ab anno MDCXC. vsque ad annum MDCCXV. Ab aliis editio Pariſienſis, ab aliis Amſtelodamenſis alteri præfertur. Nactus eſt Dupinius reprehenſores, qui eum variorum errorum adcuſarunt, maxime Richardum Simonem.

CASIMIRI OVDINI *commentarius de ſcriptoribus eccleſiæ antiquis illorumque ſcriptis, tam impreſſis; quam manuſcriptis, ab aliis omiſſis, ad annum* MCCCCLX. *vel ad artem typographicam inuentam*, ceter. Lipſiæ MDCCXXII. fol. tribus voluminibus. Ad opus hoc conſcribendum Oudinus eo animo acceſſit, vt *ſupplementum* ſuum *de ſcriptoribus; vel ſcriptis eccleſiaſticis, a Bellarmino omiſſis*, emendaret atque augeret. Non omnia quidem recte atque adcurate; multa tamen, quæ eruditionem diligentiamque oſtendunt, lectione digna ab eo dicta ac tradita ſunt. Exſtat quoque IO. CHRISTOPH. HAHNII libellus, qui inſcribitur: *inſigniora cæli ſionæi ſidera, hoc eſt, præcipui primitiuæ eccleſiæ noui teſtamenti per aliquot ſecula patres et doctores*, Lipſiæ MDCLXVIII. 12. recenſet autem auctor non plures, quam XLV. maxime ex Bellarmino, ſine diligentia atque adcuratione. Qui notitiam auctorum eccleſiaſticorum ſibi adquirere; aut augere volunt, ii optime ſibi conſulunt, quando IO. ALBERTI FABRICII vtramque *bibliothecam et græcam, et latinam* antiquæ, mediæ et infimæ ætatis diligenter euoluunt, quum in illis ſcriptorum eccleſiaſticorum, græcorum pariter ac latinorum, vita atque ingenii monimenta horumque editiones atque alia memorabilia ſtudioſe et adcurate commemorantur. Fieri quoque mentio poteſt eorum, qui libros de ſcriptoribus eccleſiaſticis enarrarunt, vti IO. ANDR. BOSIVS *introductione in notitiam ſcriptorum eccleſiaſticorum* et THOMAS ITTIGIVS in *ſchediaſmate de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt.*

§. III.

Secunda claſſis eos ſcriptores complectitur, qui ſpeciatim de patribus eccleſiæ, ſententia ſtrictiore ſic dictis,

com-

commentati sunt; nec solum eorum vitas ac res illustrarunt; sed scripta quoque, ab istis composita ac relicta, enarrarunt. Auctores hi ita inter se differunt, vt alii de patribus sacri ordinis sine discrimine exponant; alii autem explanent, quae ad veteres christianos doctores certi generis pertinent.

Ad locum hunc ii primum pertinent, qui promiscue de patribus ecclesiae differuerunt. Generis huius ea sunt scripta, quorum tabula nunc sequitur:

ABR. SCVLTETI *medulla theologiae patrum*, quae primum per partes; deinde coniunctim, non semel; sed iterum atque iterum in conspectum publicum venit. Prima pars prodiit Ambergae MDXCVIII. 4. cum praefatione DAVIDIS PAREI et denuo litteris descripta est, ibidem MDCXIII. 4. quae editio in titulo quarta emendatior atque auctior dicitur: secunda Neapoli Nemetum MDCV. et vt itidem inscriptio habet, Ambergae MDCXV. 4. tertia Neapoli Nemetum MDCIX. 4. quarta Heidelbergae MDCXIII. 4. Quatuor hae partes coniunctim vnoque volumine lucem viderunt, titulo hoc: *medullae theologiae patrum syntagma, in quo theologia priscorum primitiuae ecclesiae doctorum, qui ante et post concilium Nicaenum floruerunt, methodo analytica et synthetica expressa atque a Roberti Bellarmini, Caesaris Baronii, Gregorii de Valentia aliorumque pontificiorum corruptelis ita vindicatur, vt liquido adpareat, penes solas reformatas ecclesias esse doctrinae et veritatis euangelicae antiquitatem*, Francofurti MDCXXXIV. 4. De ipsis patribus eorumque rebus auctor breuiter differit; plura autem de illorum scriptis adfert. Exhibet enim vberiorem atque adcuratiorem istorum analysin ac per praecipua theologiae capita dogmata, quae in iisdem traduntur, diligenter recenset; ita tamen, vt omnia ad reformatorum partes trahere adnitatur.

AVGVSTI VARENII *rationarium theologicum de scriptoribus ecclesiasticis seculi primi*, Rostochii MDCLXIX. 4. ac *seculi secundi*, eodem loco MDCLXXIII. 4., de quibus scriptoribus auctor ita commentatur, vt cum generatim de illorum auctoritate ac distributione disputet; tum speciatim de

de singulis illis, siue germani sint; siue dubii; siue suppositi, exponat:

IO. HVLSEMANNI *patrologia*, quæ edita est cum eiusdem *vindiciis sacræ scripturæ* ac *prælectionibus academicis in librum concordiæ*, tanquam *adpendix ad articulum* XVI. *de ecclesia repræsentatiua in patribus ecclesiæ antiquæ, exhibens catalogum eorum doctorum, qui patrum nomine vulgo adpellantur*, cura IO. ADAMI SCHERZERI, Lipsiæ MDCLXX. 4. Non expers est *patrologia* hæc eorum, quæ emendanda sunt.

CHRISTOPHOR. SANDII *tractatus de veteribus scriptoribus ecclesiasticis*, qui eiusdem *nucleo historiæ ecclesiasticæ* præmissus, prodiit Cosmopoli, id est, Amstelodami MDCLXVIII. 8. et iterum Coloniæ, siue itidem Amstelodami, MDCLXXVI. 4. Percensentur in eo tam scriptores canonici atque apocryphi noui testamenti; quam ecclesiastici, qui ante concilium Nicænum vixerunt, non sine diligentia; attamen nec sine notis prauæ doctrinæ Arianæ, cui Sandium se addixisse constat.

CASPAR. HEVNISCHII *ætates patrum præcipuorum, certis fundamentis historicis atque chronologicis adcurate demonstratæ. Adiecta est etiam chronologia conciliorum sex oecumenicorum*, Rotenburgi MDCLXXVII. 8. Enarrantur libro hoc patres ordine litterarum; inter illos autem referuntur, qui patribus, stricte atque adcurate sic dictis, minus adnumerari possunt:

GVIL. CAVEI *apostolici, or the history of the liues, acts, death and martyrdoms of those whowere contemporany with, or immediately succeded the apostles, as also the most eminent of the primitiue fathers for the first three hundred years*, Londini MDCLXXVII. et iterum MDCLXXXII. MDCLXXXVI. fol. Eiusdem *ecclesiastici, or the history of the liues, acts, death and vritings, of the most eminent fathers of the church, that flourishd in the fourth century* ceter. Londini MDCLXXXIII. MDCLXXXVI. fol. Volumen hoc a SALOM. BOR in linguam belgicam translatum est atque in conspectum publicum venit vna cum CAVEI *antiquitatibus apostolicis*, itidem belgice redditis, ac HERMANNI

WITSII

WITSII præfatione eiusdemque *exercitatione de vera Paulli et Iacobi ſententia in doctrina de iuſtificatione*, Traiecti ad Rhenum MDCXCVIII. fol. Idem opus, in ſermonem germanicum conuerſum, ſub titulo: *antiquitates patrum et eccleſiaſticæ; oder leben, wandel, lehr, todt vnd marter der apoſtoliſchen väter, welche zur zeit der apoſtel; oder gleich darnach gelebet haben, wie auch der vornehmſten väter in den vier erſten iahrhunderten*, Bremæ MDCCI. 4. in lucem exiit. In opere hoc Caueus copioſe deſcripſit vitas virorum apoſtolicorum ac patrum, qui quatuor primis ſeculis a nato chriſto floruerunt: ſingularem induſtriam vimque ingenii ac iudicii probauit atque omnes partes boni hiſtorici impleuit.

NICOLAI LE NOVRRY *adparatus ad bibliothecam maximam veterum patrum et antiquorum ſcriptorum eccleſiaſticorum, Lugduni editam, in quo, quidquid ad eorum ſcripta et doctrinam variosque ſcribendi et docendi modos pertinet, diſſertationibus criticis examinatur atque illuſtratur.* Primum duo tomi huius operis ſeparatim prodierunt: alter Pariſiis MDCXCIV. 8. alter eodem loco MDCXCVII. 8. Deinde non ſolum vterque coniunctim denuo litteris deſcriptus magnaque acceſſio facta eſt, Pariſiis MDCCIII. fol. ſed ad hunc quoque tomum maioris formæ nouus isque ſecundus acceſſit, ibidem Pariſiis MDCCXV. fol. Priori tomo editionis huius de ſcriptoribus primi ac ſecundi ſeculi; poſteriori autem de iis, qui tertio ac quarto ſeculo veritatem religionis chriſtianæ contra gentes profanas defenderunt, copioſiſſime diſſeruit Nourrius eamque commentandi rationem ſequutus eſt, vt exponat, quæ ad cuiusque ſeculi ſcriptores generatim pertinent, atque inquirat, quale eorum ingenium: quæ ſtudia, quæ occupationes, quæ ſcribendi occaſiones fuerint: quales exſtiterint doctrinæ atque eccleſiæ chriſtianæ hoſtes, contra quos ſua tulerunt arma: quæ eorum ac reliquorum chriſti ſectatorum ſcholæ ac quæ ſunt alia. Exhibet adcuratam analyſin cuiusque ſcripti, numque illud germanum ſit; an adulterinum, diſputat; præter hæc autem agit de codicibus manuſcriptis et editionibus: varias addit anim-

animaduerſiones, veluti diſſertationes ac quæ in ſcriptis patrum notabilia ſunt, ea explicat atque illuſtrat.

GOTTLIEBII STOLLII *aufrichtige nachricht von den leben, ſchriften vnd lehren der kirchenväter der erſten vierhundert iahre nach der geburt vnſers heilandes*, Ienæ MDCCXXXIII. 4. qui liber laudabilem auctoris diligentiam commendat ac liberiores ſententias de patribus eorumque dogmatibus exhibet; non omnia autem ſatis adcurate tradita ſunt.

Alia ſcripta, quæ huc referri debent, ita compoſita ſunt, vt ad eccleſiæ patres certi generis ſpectent. In illis locum ſuum habent:

PETRI HALLOIXII *illuſtrium eccleſiæ orientalis ſcriptorum, qui ſanctitate iuxta et eruditione primo et ſecundo chriſti ſeculo floruerunt et apoſtolis conuixerunt, vitæ et documenta*, duobus tomis, quorum prior Duaci MDCXXXIII. poſterior ibidem MDCXXXVI. fol. lucem adſpexit. Vitas resque præcipuorum eccleſiæ orientalis ſcriptorum, qui ſeculo primo ac ſecundo vixerunt, auctor diligenter ac fuſe enarrauit: ex libris eorum protulit documenta: notas addidit theologicas, philologicas et hiſtoricas.

GVIL. ERNESTI TENTZELII *exercitationes ſelectæ*, Lipſiæ MDCXCII. 4. quibus de ſcriptis Clementis romani, Ignatii, Polycarpi, Iuſtini martyris, Athenagoræ, Theophili Antiocheni, Tatiani, Hermiæ, Iacobi Niſibenſis, Ephæmi Syri diligenter exponitur ac plerorumque vita enarratur.

THOMAE ITTIGII *diſſertatio de patribus apoſtolicis; ſeu ſcriptoribus eccleſiaſticis, qui apoſtolorum comites et diſcipuli fuiſſe perhibentur*, eiusdem *bibliothecæ patrum apoſtolicorum* præmiſſa.

IO. CLERICI *vnpartheyiſche lebensbeſchreibung einiger kirchenväter vnd ketzer, namentlich Iuſtini Martyris, Clementis Alexandrini, Origenis, Cypriani, Prudentii, Gregorii Nazianzeni, Euſebii, Pelagii vnd Cœleſtii, aus deſſen bibliotheque vniuerſelle ins deutſche vberſetzet*, Halæ MDCCXXI. 8. cum præfatione *Chriſtiani Thomaſii*. Vitæ hæ lectione dignæ ſunt, illeque laudandus eſt, qui eas ex CLE-

RICI *bibliotheca vniuersali* collegit: in ſermonem germanicum conuertit ac coniunctim iuris publici fecit. Nonnullæ harum vitarum, vt Clementis Alexandrini, Euſebii Cæſareenſis, Gregorii Nazianzeni et Prudentii in linguam quoque anglicanam translatæ, prodierunt Londini MDCXCVI. 8.

IO. CASPAR. LOESCHERI *de patribus Africanis libri duo*, quorum primus Rochlitii MDCCXXII. 8. ſecundus autem eodem loco MDCCXXIV. 8. prodiit. Quam nunc dedi, notitia auctorum de ſcriptoribus eccleſiaſticis ſpeciatimque de patribus eccleſiæ iam alio loco * a me ſuppeditata eſt; per argumentum autem, a me explanandum, neceſſitatem mihi impoſitam eſſe, putaui, eamdem et huc transferendi; ſine tamen, quæ antea additæ fuerant, adnotationibus.

§. IV.

Ad claſſem tertiam pertinent auctores, qui ſingulares commentarios ſcripſerunt iisque certi cuiusdam doctoris chriſtiani antiquioris vitam ac lucubrationes enarrarunt: res eiusdem, dogmata, controuerſias illuſtrarunt. Operam hanc ad patres vtriusque eccleſiæ, ad græcos pariter ac latinos, adhibuerunt. In illis; ſiue græcis, primum locum tenent *patres*, vti per eminentiam adpellantur, *apoſtolici*, nominatim Clemens romanus, Ignatius, Polycarpus, de quibus omnibus eruditiſſimi viri ſigillatim expoſuerunt. Adiungi illis ſolent Barnabas et Hermas; quos autem patribus apoſtolicis alii adnumerare nolunt, quum iſti a ſpiritu apoſtolico ſint remotiores.

Nomen *patrum apoſtolicorum* late pariter ac ſtricte ſumitur. Latiore ſententia ſi illud vſurpatur, inter patres apoſtolicos numerantur omnes, qui apoſtolorum diſcipuli, comites et adiutores fuerunt atque eorum vſi ſunt conſuetudine. Senſu hoc de patribus apoſtolicis diſſerit THOM. ITTIGIVS *diſſertatione de patribus apoſtolicis*, quam *bibliothecæ patrum apoſtolicorum* præmiſit; nec ſolum Clementi roma-

* *bibliotheca theolog. tom.* III. p. 383. et 474.

romano, Ignatio, Polycarpo; ſed etiam Ioſepho Arimathæo, Nicodemo, Lazaro, Ioanni, Marco; item Iaſoni, Zenæ, Dionyſio Areopagitæ, atque aliis locum inter patres apoſtolicos tribuit. Stricte adpellantur *patres apoſtolici* ſcriptores chriſtiani, qui tempore apoſtolorum vixerunt ſuaque ab apoſtolis acceperunt, quippe Clemens romanus, Ignatius, Polycarpus. Hi κατ' ἐξοχὴν *patres apoſtolici* dici poſſunt: reliqui, qui apoſtolorum diſcipuli, comites atque adiutores fuerunt; nulla autem ſcripta reliquerunt, *viri apoſtolici*. In illorum; ſiue patrum apoſtolicorum numero ſunt:

CLEMENS *Romanus*,

de cuius vita, martyrio, ſcriptis, dogmatibus varia prodierunt ingenii monimenta. Exſtant:

Martyrium ſancti Clementis, papæ romani, apud SIMEONEM *metaphraſten* die XXIV. nouembris.

EPHRAIMI, archiepiſcopi Cherſonis, *homilia de miraculo, quod in puero factum eſt a ſancto Clemente, ſacro martyre*, quod vtrumque monimentum IO. BAPTIST. COTELERIVS græce ac latine edidit. *

PHILIPPI RONDININI *libri duo de ſancto Clemente, papa et martyre eiusque baſilica in vrbe Roma*, Romæ MDCCVI. 4. quorum priori auctor agit de Clementis vita, martyrio, ſcriptis, germanis atque adulterinis, honore apud veteres ac recentiores, corpore inuento ac Romam translato; poſteriori autem copioſe diſſerit de baſilica, memoriæ Clementis huius ſacra in vrbe Roma. **

CASIMIRI OVDINI *diſſertatio de ſcriptis ſancti Clementis, romani epiſcopi*, iisque ipſi vere pariter ac falſo attributis. ***

IO. ERNESTI GRABII *commentatio de Clementis romani ſcriptis genuinis et ſuppoſititiis.* * Addo tres diſſertationes, quæ ad dogmata Clementis ſpectant:

ERNESTI SALOMON. CYPRIANI *de Clemente romano euangelico.*

IO.

* *patrum apoſtolicor. volum.* I. p. 808. 815.
** *actor. eruditor. ſupplement. tom.* IV. p. 140.
*** exſtat in eius *commentario de ſcriptoribus eccleſiaſtic. tom.* I. p. 19.
* eſt in eiusdem *ſpicilegio patrum, vt et hæreticorum ſecul.* I. p. 254.

IO. FRANCISC. BVDDEI, *qua euincitur, Clementem romanum atque Irenaeum non fauere missae pontificiae*, contra Io. Erneſtum Grabium, Ienæ MDCCV. *

IACOBI GVIL. FEVERLINI *philoſophemata potiora recognitionum, Clementi romano falſo attributarum*, Altdorf. MDCCXXVIII.

IGNATIVS,

de quo varia ſcripta compoſita atque ad nos delata ſunt. Ad vitam eius ſpectant præcipue *acta martyrii* eius, quorum duo genera exſtant. Alia ſunt interpolata eaque a SIMEONE *metaphraſte* græce ſcripta et a GENTIANO HERVETO latine reddita, quæ ex interpretatione hac latine habentur in LAVRENTII SVRII *vitis ſanctorum*** et ex eadem verſione, collata cum manuſcripto græco ac cum nonnullis notis in *actis ſanctorum*; *** græce ac latine autem cum animaduerſionibus IO. BAPTIST. COTELERII et IO. CLERICI, cura iam dicti COTELERII in *patribus apoſtolicis.* * Alia Ignatii martyrii acta habentur ſinceriora hæcque ſunt, quæ IACOB. VSSERIVS in lucem protulit latine ex duplici diuerſa verſione atque vtramque ex codicibus manuſcriptis recenſuit notisque eruditis inſtruxit. ** Ea a Philone, Caio et Agathopode diaconis, qui Ignatium martyrem e Syria comitati fuerant, deſcripta eſſe, ſibi perſuadet ac ſane in monimentis generis huius fidem maximam præ ſe ferre videntur. Reperit quoque in bibliotheca bodleiana exemplum græcum actorum Ignatii; quum autem iſta interpolata eſſe vidit, ea non digna habuit, quæ in lucem emittantur. Poſt Vſſerium eadem acta latine ad vſum publicum translata ſunt a IO. BOLLANDO; ex vna autem tantum verſione, illa nimirum, quæ in membranis Cottonianis inuenta eſt, cumque notis quibusdam, *** atque ex duplici

* exſtat in eius *ſyntagmate diſſertationum theologicar.* p. I. ac *miſcellan. ſacror. part.* I. p. I.
** *vit. ſanct. d.* I. *februar.*
*** *februar. tom.* I. p. 24.
* *tom.* II. p. 163. edition. Amſtelod. MDCCXXIV.
** in eiusdem *adpendice Ignatiana*, Londini MDCXLVII. 4.
*** in *actis ſanctor. febr. tom.* I. p. 29.

plici eadem interpretatione latina a IO. BAPTIST. COTELERIO. * Græce denique ac latine acta hæc ediderunt: THEODORICVS RVINARTVS, ** IO. ERNESTVS GRABIVS, *** THOMAS ITTIGIVS, * THOMAS SMITHVS, ** IO. CLERICVS. *** Præter *acta* hæc *martyrii*, exſtant alia ſcripta, quæ rebus Ignatii lucem adferunt ſuntque in numero illorum:

SEBAST. THEODOR. WINSHEMII *oratio de ſancto martyre Ignatio:* *

MARTIALIS MAESTRAEI præfatio, quam notis ad IGNATII *epiſtolas*, Pariſiis MDCVIII. 8. præmiſit eaque non ſolum de epiſtolis; ſed etiam de vita Ignatii expoſuit.

GODOFRED. HENSCHENII commentarius de *ſancto Ignatio theophoro, epiſcopo Antiocheno.* **

IO. ERNESTI GRABII commentatio de *ſancto Ignatio martyre:* ***

CASIM. OVDINI *diſſertatio de vita et epiſtolis ſancti Ignatii, Antiocheni epiſcopi.* *

CHRISTOPHORI BEYERI *diſſertatio de Ignatio, veritatis confeſſore et martyre.* Notiſſimum eſt Ignatii dictum, quod in eius *epiſtola ad Romanos* legitur atque ex iſta ab Origine, Dionyſio Areopagita, Photio atque aliis adducitur: ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, *meus amor crucifixus eſt.* Quæ vera ſit illius ſententia: qualem amorem Ignatius intellexerit, de eo ſcriptores diſſentiunt. Singularem *exercitationem de apophthegmate Ignatii:* ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, Vitembergæ MDCLXXXIII. et iterum cum acceſſionibus MDCLXXXVIII.

* *patrib. apoſtolic. tom.* II. p. 173.
** *act. primorum martyrum* p. 14. edition. Amſtel. MDCCXIII. fol.
*** *ſpicileg. patrum, vt et haereticor. ſecul.* II. *tom.* I. p. 8.
* in *bibliotheca patrum apoſtolicor.* p. 355.
** ad calcem *epiſtolarum Ignatii*, Oxon. MDCCIX. 4.
*** in COTELERII *patribus apoſtolic. tom.* II. p. 157.
* eſt inter orationes, ſcriptas et recitatas in academia Vitembergenſi MDLXVIII. *tom.* VI. ibidem MDLXXI. 8.
** qui eſt in *actis ſanctor. februar. tom.* I. p. 13.
*** *ſpicileg. patrum, vt et haereticor. ſecul.* II. *tom.* I. p. I.
* in eiusdem *commentar. de ſcriptorib. eccleſiaſtic. tom.* I. p. 73.

MDCLXXXVIII. GVIL. ERNEST. TENTZELIVS reliquit.* De tempore annoque, quo Ignatius martyrium ſubierit, eruditi viri diſputant. Spectant huc:

IO. PEARSONII *diſſertatio poſtuma de anno, quo Ignatius condemnatus eſt*, a THOMA SMITHO cum *Ignatii epiſtolis* in lucem emiſſa, Oxoniæ MDCCIX. ac

GVIL. LOYDII *commentatio* eiusdem argumenti apud ANTONIVM PAGI *critic. in annales Baronii.***

POLYCARPVS,

cuius *acta*, PIONIO auctori falſo tributa, exſtant. Plena illa ſunt fabularum hancque ob rem nullam fidem nullamque auctoritatem præ ſe habent. E veteri codice græco verſa latine exhibentur a IO. BOLLANDO *** atque a GVIL. ERNEST. TENTZELIO.* Certiora quidem de Polycarpo eiusque martyrio tradita ſunt in *epiſtola eccleſiæ Smyrnenſis de martyrio Polycarpi;* quædam tamen ſingularia de morte Polycarpi narrantur, quæ ſi non plane falſa; dubia tamen eſſe videntur, corpus nimirum eius igne haud abſumi potuiſſe: egreſſam eſſe ex corpore hoc columbam et tantum ſanguinis effluxiſſe, vt accenſus rogus exſtingueretur: e cælo factam eſſe vocem ad Polycarpum: *fortis eſto et viriliter age, Polycarpe*, atque alia nonnulla, quæ CHRISTIAN. KORTHOLTVS ** pluribus recenſet. Ipſa epiſtola hæc græce ac latine in lucem emiſſa atque illuſtrata eſt a IACOB. VSSERIO, *** IO. BAPTIST. COTELERIO,* THOM. ITTIGIO,** THEODORIC.

* locum obtinuit in eiusdem *exercitation. ſelect. part.* I. p. 46.

** *ad annum chriſti* CVII. *tom.* I. p. 108.

*** *act. ſanctor.* d. XXVI. *ianuar. tom.* II.

* dictis *exercitationib. part.* I. p. 76. confer de *actis* his: FABRICIVM *bibliothec. græc. volum.* V. p. 50. ac SCHMIDIVM *hiſtoria ſeculi ſecundi, fabulis varior. maculata* p. 20.

** de *perſequutionibus eccleſiæ primæuæ* cap. V. §. 4. ſqq. p. 143.

*** in *Polycarpi et Ignatii epiſtolis*, græce ac latine editis, Londini MDCXLIII. 4.

* in *patribus apoſtolicis tom.* II. p. 195. vbi illa notas variorum adiunctas ſibi habet.

** *bibliothec. patrum apoſtolicor.* p. 392.

DORIC. RVINARTO,* THOM. SMITHO: ** latine cum notis ex tribus veteribus manuſcriptis a IO. BOLLANDO.*** Recentiori tempore variæ eruditorum virorum commentationes lucem adſpexerunt, quæ ad Polycarpum ſpectant resque eius illuſtrant, nimirum:

CASPAR. CRVCIGERI *oratio de Polycarpi vita*, Vitembergæ MDXLIII. 8. *

STEPHANI LE MOYNE *prolegomena ad varia ſacra*, quorum initium quum POLYCARPI *epiſtola ad Philippenſes* facit, le Moyne de ipſo Polycarpo copioſe atque erudite præfatus eſt:

NICOLAI NOVRRII *diſſertatio de epiſtola ſancti Polycarpi, epiſcopi Smyrnæ et martyris*, vbi varia dicuntur, ex quibus vita resque Polycarpi lumen accipiunt: **

ISMAEL. BVLLIALDI *diſſertatio de ſancto Benigno Diuionenſi*, qua fabulam de Benigno hoc, per Polycarpum in Galliam miſſo, refellit, Pariſiis MDCLVII. 8. ***

GVIL. ERNEST. TENTZELII *commentatio de Polycarpo, epiſcopo et martyre Smyrnenſi*, Vitembergæ MDCLXXXIV. qua auctor vitam Polycarpi diligenter recenſet deque eiusdem ſcriptis ac cunctis rebus memorabilibus vberius diſſerit: *

CHRISTOPHORI AVGVSTI HEVMANNI *examen fabulæ de columba, ex Polycarpi rogo euolante:* **

GABRIEL. GRODDECKII *diſſertatio de anno et die paſſionis ſancti Polycarpi*, Gedani MDCCIV. Polycarpum martyrem factum eſſe in vexatione chriſtianorum ſub Marco Aurelio Antonino ac Lucio Vero, res explorata eſt; de anno

* in *actis primorum martyrum* p. 31. 37.
** qui illam vna cum POLYCARPI *epiſtola ad Philippenſes*, ad calcem epiſtolarum Ignatii cum notis, Oxoniæ MDCCIX. 4. edidit.
*** in *actis ſanctorum ianuar. tom.* II. p. 705.
* translata illa eſt in MELANCHTHONIS *declamationum tomum* II. p. 336. edit. Argentorat. MDLVIII. 8.
** *adparat. ad bibliothec. maximam patrum tom.* I. p. 161.
*** de diſſertatione hac videantur: NICERONII *memoires tom.* I. p. 337.
* extat in eiusdem *exercitationib. ſelect. part.* I. p. 73.
** in *bibliotheca Bremenſ. claſſ.* III. p. 429.

anno autem, quo id contigerit, multae sunt virorum eruditorum dissensiones. IO. PEARSONIVS refert martyrium hoc ad annum nati seruatoris CXLVII. * hancque sententiam GRODDECKIVS in adducta *dissertatione* adprobat ac plura recenset, quae ad controuersiam hanc chronologicam pertinent:

IACOBI HENRICI BALTHASARIS *doctrina Polycarpi de praecipuis christianae fidei capitibus. Accedit demonstratio veritatis et diuinae originis librorum noui testamenti ex Clementis romani testimoniis de apostolis iesu christi*, Ienae MDCCXXXVIII. 8. qui liber ad dogmata quidem patrum praecipue spectat; eum tamen ad hunc quoque locum me referre posse, existimo, quoniam auctor in praefatione Polycarpi vitam narrauit. ** Quem nonnulli patribus his apostolicis, Clementi romano, Ignatio, Polycarpo, adiungunt, de eo videantur, nimirum de

BARNABA

Acta et passio sancti Barnabae in Cypro, quae sub ficto nomine *Ioannis Marci* graece ac latine cura DANIELIS PAPEBROCHII cum eiusdem notis prodierunt; *** complectuntur autem illa res falsas hancque ob caussam non multum fidei prae se habent atque adulterinis monimentis adnumerantur:

Laudatio sancti Barnabae, cuius auctor ALEXANDER, monachus Cyprius est. Illa itidem edita est graece cum interpretatione FRANCISCI ZINI atque eiusdem PAPEBROCHII animaduersionibus: *

PLACIDI PVCCINELLI *vita di santo Barnaba apostolo, primo pastore di Milano*, Mediolani MDCXLIX. 4. Adiecit auctor in fine Barnabae epistolam latine ad editionem Vossii:

NICOLAI HVGON. MENARDI *iudicium de sancto Barnaba et eius epistola*, quod exstat in eius *notis et obserua-*

 tioni-

* de *serie et successione primorum Romae episcoporum dissertat.* II. *cap.* 15. p. 282. *oper. postumor.*

** *nouor. act. eruditor. supplement. tom.* IV. p. 527.

*** in *actis sanctor. d.* XI. *iun. tom.* II. p. 431.

* itidem in *actis sanctor. dicto loco* p. 436.

tionibus in BARNABAE *epiſtolam*, græce ac latine poſt mortem illius a *Luca Dacherio* editam, Pariſiis MDCXLV. 4. * Reliqui epiſtolæ huius interpretes, VOSSIVS, COTELERIVS atque alii, etiam plura de Barnaba ex antiquitate commentati ſunt:

DANIEL. PAPEBROCHII commentatio de *ſancto Barnaba*: **

STEPHANI LE MOYNE *exercitatiuncula de Barnaba*, vbi multa quidem erudite diſputantur; quæ autem a re principali explananda aliena ſunt ac vitam resque Barnabæ parum illuſtrant. *** De

HERMA,

ſub cuius nomine liber, *paſtor* inſcriptus, exſtat quique a nonnullis inter patres apoſtolicos refertur, nullum ſingulare ingenii monimentum, quantum ſcio, publicam lucem vidit; quodam tamen modo adduci poſſunt:

NICOLAVS NOVRRIVS *adparatu ad bibliothecam maximam patrum*, * vbi eſt diſſertatio de Herma eiusque libris, ac IO. BAPTIST. COTELERIVS. **

§. V.

De antiquorum chriſtianorum doctoribus, qui poſt patres apoſtolicos vixerunt, itidem doctiſſimi viri ſingulari ſtudio commentati ſunt eorumque vitas, res, ſcripta, dogmata explanarunt, non ſolum græcorum; ſed etiam latinorum. Ex eorum numero, qui ſeculo poſt natum ſeruatorem ſecundo floruerunt, notitiæ huius cauſſa commemorari debent: Iuſtinus martyr, Athenagoras, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tatianus, Theophilus, Tertullianus. Inter eos, qui commemorandi ſunt, locum habet:

IVSTI-

* locum quoque *iudicium* hoc obtinuit in COTELERII *patrib. apoſtolic. tom.* I. p. 8.
** in *actis ſanctorum ad diem* XI. *iunii tom.* II. p. 421.
*** eſt illa in *prolegomenis ad varia ſacra.*
* *tom.* I. p. 47.
** *patrum apoſtolic. tom.* I. p. 73.

IVSTINVS *martyr*,
ad quem ſequentia ſcripta ſpectant:

IOACHIMI PERIONII *vita Iuſtini, philoſophi et martyris, ex ipſius libris collecta:* *

PETRI HALLOIXII *vita et documenta ſancti Iuſtini, philoſophi et martyris. Acceſſerunt e menæo græcorum Iuſtini elogia, cum vitæ epitome, nunc primum e græco latine reddita: cenſura de ſancti Iuſtini libris eorumque ordine et inſcriptione: notæ ad Iuſtini vitam*, Duaci MDCXXII. 8. Vita hæc, diligenter conſcripta, iterum prodiit cum in HALLOIXII *illuſtrium eccleſiæ orientalis ſcriptorum vitis;* ** tum, omiſſis digreſſionibus, cum commentario præuio ac notis *Daniel. Papebrochii* in *actis ſanctorum:* ***

GVIL. ERNESTI TENTZELII *exercitatio de Iuſtino martyre, Athenagora, Theophilo Antiocheno, Tatiano et Sozomeno*, * cuius iam antea mentionem feci. Vitam Iuſtini non ſolum enarrat auctor ſpeciatimque de eius martyrio huiusque anno diſputat; ſed etiam de ſcriptis Iuſtini, eorum interpretationibus, editionibus, fide atque auctoritate multa diſſerit:

IO. CLERICI *vie de Iuſtin martyr*, ** quæ et germanice reddita atque in lucem emiſſa eſt: ***

CASIMIRI OVDINI *diſſertatio de ſcriptis ſancti Iuſtini martyris*, quam eam ob cauſſam ad locum hunc refero, quoniam capite illius primo quædam, ad vitam Iuſtini martyris ſpectantia, examinantur: *

AVCTORIS, monachi congregationis ſancti Mauri, *præfatio*, IVSTINI *martyris operibus*, quæ iſte Pariſiis MDCCXLII. fol. edidit, præmiſſa. In illa multa tradit,

B 4 quæ

* in SVRII *vitis ſanctorum d.* XIII. *april.* p. 151. adde *ibidem d.* XII. *iunii* p. 182.
** *tom.* II. p. 151.
*** *april. tom.* II. p. 104.
* in eius *exercitationibus ſelectis part.* I. p. 165.
** in *bibliotheque vniuerſelle tom.* VII. p. 15.
*** exſtat interpretatio hæc in CLERICI *lebensbeſchreibung einiger kirchenväter vnd ketzer* p. I.
* eſt in eius *commentar. de ſcriptorib. eccleſiaſticis tom.* I. p. 179.

quæ ad vitam ac res Iustini pertinent agitque de illius patria, ortu, institutione puerili et conuersione: de eiusdem viuendi ratione, veritatis propagandæ studio ac denique de martyrio, tempore eius atque actis:

IO. ERNESTI GRABII commentatio de *Iustino martyre*, vbi propria Iustini verba, quibus plurima de se ipso narrat, iusto ordine recenset tam græce; quam latine: interpretationem latinam, si illam vitiosam esse, animaduerterit, emendat: obscuriora illustrat. Expositis his, de ætate, qua vixerit Iustinus, disputat atque in annum inquirit, quo in lucem ille sit editus ac mortalitatem finierit: *

Acta martyrii Iustini, quæ sæpius in lucem prodierunt, vna cum aliorum sociorum martyrum actis. Edita illa sunt latine a LAVRENTIO SVRIO, DANIEL. PAPEBROCHIO, ** CAESAR. BARONIO, *** THEODOR. RVINARTO, * SAM. IEBB; ** græce autem ac latine a PAPEBROCHIO *** et a monacho congregationis sancti Mauri. * Sententiam eorum, qui existimant, *acta* hæc non ad Iustinum martyrem; sed ad alium Iustinum spectare, doctissimi viri argumentis non contemnendis refutarunt. Singularia quoque scripta in lucem emissa sunt, quibus Iustini dogmata illustrantur, vti:

IOACHIMI IVSTI RAV *diatribe de philosophia Iustini martyris et Athenagoræ*, Ienæ MDCCXXXIII. 8.

CHRISTIANI NIFANII *Iustinus philosophus christianus et martyr, exhibitus veritatis euangelicæ testis et confessor*, aduersus Sandium, Francofurti MDCLXXXVIII. 8.

IO. ANDR. SCHMIDII dissertatio de *Iustini martyris theologia morali*, Helmstadii MDCXCVIII.

ATHE-

* *spicileg. patrum, vt et hæreticorum seculi* II. p. 133.
** in *actis sanctorum ad* XIII. *april.*
*** *annal. ad annum christ.* CLXV.
* *act. primorum martyrum* p. 58.
** qui *acta* hæc IVSTINI *dialogo cum Tryphone*, Londini MDCCXIX. 8. edito, latine præmisit.
*** *act. sanctor. tom.* I. *iun.* p. 20.
* in IVSTINI *martyris operum*, quæ Parisiis MDCCXLII. fol. prodierunt, *adpendicis part.* II. p. 585.

ATHENAGORAS,

de quo prodierunt:

GVIL. ERNESTI TENTZELII *exercitatio de Iustino martyre, Athenagora, Theophilo Antiocheno, Tatiano et Sozomeno*, MDCLXXXVI. * qua quum sibi persuasisset, libros XII. Athenagoræ περὶ τῶν εἰς ἑαυτὸν in bibliotheca Gesneriana quondam latuisse; rem autem adcuratius postea cognouisset, libros istos non Athenagoræ; sed, quemadmodum titulus indicat, M. Antonii imperatoris esse, errorem ipse confessus est ac retractationem scripsit: **

IO. LAVRENTII MOSHEMII *disquisitio de vera ætate libelli, ab Athenagora pro christianis conscripti*, qui cum aliis eruditissimis viris suspicatur, Athenagoræ apologiam anno christi CLXXVII. compositam esse, a qua sententia alii discedunt hancque defensionem vel ad annum christianum CLXV. vel CLXVI. vel CLXVIII. referunt: ***

ANDR. POLYC. LEYSERI dissertatio de *Athenagora, Atheniensi philosopho christiano*, Lipsiæ MDCCXXXVI. 4.

MATVRINI VEYSSIERII LA CROZE *epistola ad Io. Christophor. Wolfium de fabula erotica, quæ sub Athenagoræ nomine prodiit.* * Consuli et possunt variorum eruditorum adnotationes, quæ ad Athenagoræ libellos, ab EDVARDO DECHAIR editos, Oxoniæ MDCCVI. 8. accesserunt, vna cum *præfatione*, quæ IVSTINI *martyris operibus*, Parisiis MDCCXLII. fol. editis, a monacho quodam congregationis sancti Mauri præmissa est: **

IRENAEVS,

de cuius vita rebusque notitiam suppeditant:

HENRICI DODWELLI *dissertationes in Irenæum*, Oxoniæ MDCLXXXIX. 8. quarum quum sex sunt, *prima* in-

B 5 scripta

* quæ translata est in eiusdem *exercitation. selectar. partem* I. p. 165.
** *ibidem* p. 453.
*** exstat illa in *bibliotheca Bremensi*, *class.* II. p. 853. et auctior elegantiorque non solum in eiusdem *obseruat. sacr. libr.* I. *cap.* 4. p. 193. sed etiam in eius *dissertationibus ad historiam ecclesiastic. pertinentib. volumin.* I. p. 269.
* epistola hæc est in FABRICII *bibliothec. græc. volumin.* VI. p. 800.
** *part.* III. *cap.* 13. 14.

ſcripta eſt: qua fide dignus in apoſtolicarum traditionum memoria conſeruanda Irenæus et coæui Irenæo ſecundi ſeculi patres quoad media cognoſcendi traditiones ordinaria: *ſecunda*, qua fide dignus Irenæus aliique primorum ſeculorum patres, quoad media cognoſcendi traditiones extraordinaria: *tertia*, quo tempore natus: quo item mortuus fuerit Irenæus: *quarta*, de operis aduerſus hæreſes conſilio atque tempore: *quinta*, de latino interprete, eius ætate capitumque partitione: *ſexta*, de aliis Irenæi ſcriptis. Accedit fragmentum Philippi Sidetæ, adhuc minus editum, de catechiſtarum Alexandrinorum ſucceſſione: *

RENATI MASSVETI *diſſertationes præuiæ in Irenæi libros*, quarum *prima* de hæreſibus, contra quas Irenæus pugnat: *ſecunda* de illius ætate, vita, ſcriptis et martyrio aduerſus Henricum Dodwellum, qui Irenæum martyrem fuiſſe, negat: *tertia* denique de eius doctrina copioſe atque erudite diſputat.**

FRANCISC. FEVARDENTII *vita Irenæi, epiſcopi et martyris, ex illius et aliorum patrum ſcriptis collecta*, quæ Irenæi libris præmiſſa eſt, a *Io. Erneſto Grabio* editis, Oxoniæ MDCCII. fol.

DANIEL. PAPEBROCHII *de ſancto Irenæo commentarius hiſtoricus, vna cum deductione hiſtorica controuerſiæ, agitatæ inter eccleſias Lugdunenſes ſancti Iuſti et ſancti Irenæi, ſuper poſſeſſione ſacrorum corporum Irenæi, Epipodii et Alexandri martyrum:* ***

La vie de ſaint Irenee, ſecond eueque de Lyon, docteur de l'egliſe et martyr, Pariſiis MDCCXXIII. 8. duobus voluminibus, cuius auctor eſt abbas GERVAISIVS: *

Diſſertation ſur la vie et ſur les ouurages de ſaint Irenee: **

IO.

---

* *acta eruditorum* MDCXC. p. 547.

** dogmata tamen eius praue interdum explicat atque ad falſas ſententias eccleſiæ romanæ trahit, quod DEYLINGIVS *diſſertatione*, paullo poſt adducenda, pluribus oſtendit.

*** commentarius hic eſt in *actis ſanctorum iunii tom.* V. p. 335.

* *memoires de Treuoux* MDCCXXIV. *octobr.* p. 1733. et p. 1743. *iournal des ſauans* MDCCXXIV. *febr.* p. 183.

** in *memoires de Treuoux* MDCCIII. *mai.* p. 344.

IO. ERNESTI GRABII *prolegomena ad Irenæi opera,* quibus ille non ſolum de Irenæi ſcriptis; ſed etiam de eiusdem vita, ſpeciatim de tempore natiuitatis et obitus deque genere mortis Irenæi; breuiter tamen, exponit:

PETRI HALLOIXII diſſertatio: *quandonam ſanctus Irenæus ordinatus ſit epiſcopus? poſt mortemne ſancti Pothini; an vero ante ab ipſomet Pothino?* *

SALOMON. DEYLINGII *Irenæus, euangelicæ veritatis confeſſor ac teſtis, a Renati Maſſueti prauis explicationibus vindicatus,* cuius editio ſecunda auctior et emendatior in lucem exiit Lipſiæ MDCCXXI. 4. **

CLEMENS, *Alexandrinus,*

de quo legantur:

NICOLAI NOVRRII diſſertationes *de omnibus Clementis Alexandrini operibus,* quæ maxime quidem ad ſcripta Clementis ſpectant eorumque inprimis analyſes exhibent; lucem tamen quoque vitæ eius adferunt. Diſputatur: quis fuerit Clemens: qui eius præceptores: quodnam illius munus? ***

THOMAE ITTIGII *præfatio ad operum Clementis Alexandrini ſupplementum,* quod ille Lipſiæ MDCC. 8. edidit:

IO. CLERICI *vie de Clement Alexandrin:* *

IO. TRIBBECHOVII tres *diſſertationes de Clemente Alexandrino,* quarum prima illius *vitam et ſcripta*: ſecunda *philoſophiæ definitionem ac diuiſionem* ac tertia *philoſophiæ finem, media et vſum ad ductum* iſtius exhibet, Halæ MDCCVI.

IO. BALTHAS. BERNHOLDI *hypomnemata de T. Flau. Clemente, vtriusque in eccleſia cathedræ ornamento,* Altorfii MDCCXXV. 4.

IO. ACHAT. FELIC. BIELCKII diſſertatio de *Clemen-*

---

* in *vitis et documentis illuſtrium eccleſiæ orientalis ſcriptorum ſecundi ſeculi* p. 639.

** eſt in eiusdem *obſeruationibus miſcellaneis* p. 3.

*** *adparat. ad maximam bibliothec. patrum tom.* I. p. 624.

* in *bibliothequ. vniuerſell. tom.* X. p. 175. In germanicum ſermonem conuerſa illa exſtat; in *den lebensbeſchreibungen einiger kirchenväter* p. 30.

mente Alexandrino eiusque erroribus, quam vna mecum præside defendit, Ienæ MDCCXXXVII. *

TATIANVS,

de quo ſingulari ſtudio commentati ſunt:

GVIL. ERNEST. TENTZELIVS in *exercitatione de Iuſtino martyre, Athenagora, Theophilo Antiocheno, Tatiano et Sozomeno:* **

LVDOVICVS DV FOVR DE LONGERVE, qui compoſuit *diſſertationem de Tatiano et encratitis* eaque cum de ipſo Tatiano, eius ſtudiis, profeſſione chriſtiana, certaminibus contra philoſophos græcos, ſcriptis, morte; tum de hæreſi, cuius Tatianus auctor fuit, expoſuit. Diſſertatio hæc quum luculenta eſt atque erudita, multum illa ſe commendauit ac ſemel iterumque litteris deſcripta fuit: ***

AVCTOR ex ordine monachorum congregationis ſancti Mauri *præfationis*, quam ille IVSTINI *martyris operibus*, Pariſiis MDCCXLII. editis, præmiſit, vbi iſte de Tatiani ſtudiis litterarum ac conuerſione: de hæreſi, qua ille ſe contaminauit, deque ſecta, ab eo condita: de ſcriptis iſtius ſatis copioſe ac diligenter exponit: *

THEOPHILVS *Antiochenus*,

cuius vita actaque illuſtrantur in:

GVIL. ERNESTI TENTZELII *exercitatione de Iuſtino martyre, Athenagora, Theophilo Antiocheno, Tatiano et Sozomeno:* **

IO. GOTTL. WALPVRGERI commentatione de *Theophilo Antiocheno, boni paſtoris in eccleſia typo*, Chemnitii MDCCXXXV. 4.

THEO.

* locum obtinuit in *miſcellaneis* meis *ſacris* p. 510.

** in eius *exercitation. ſelect.* p. I. p. 165.

*** diſſertationem hanc non ſolum WORTHVS adiunxit TATIANI *orationi ad Græcos*, Oxoniæ MDCC. 8. ſed etiam VOGTIVS tranſtulit illam in *bibliothec. hiſtor. hæreſologic. tom.* I. *faſcicul.* 2. p. 201.

* *part.* III. *cap.* 10. ſeqq. p. 97.

** *part.* I. *exercitation ſelectar.* p. 165.

THEOPHILI GRABENERI *dissertatione de Theophilo, episcopo Antiocheno*, Dresdæ MDCCXLIV. 4.

IO. ERNESTI GRABII commentatione de *Theophilo Antiocheno:* *

MONACHI Benedictini e congregatione sancti Mauri *præfatione*, IVSTINI *martyris operibus*, Parisiis MDCCXLII. fol. editis et iam antea memoratis, præmissa. Ista ** enim de gestis ac scriptis Theophili huius exponitur:

NICOLAI NOVRRII *dissertatione de libris sancti Theophili, patriarchæ Antiocheni*, *** cuius eam ob caussam mentionem facio, quoniam auctor non solum de scriptis Theophili differit; sed etiam explanat, quis ille fuerit.

Q. SEPTIMIVS FLORENS TERTVLLIANVS,

de quo varia scripta exstant legique possunt:

IACOBI PAMELII *vita Tertulliani, quæ eius ætatis viginti quatuor annorum historiam continet:* *

PETRI ALLIXII *dissertatio de Tertulliani vita et scriptis*, quæ primum sine auctoris nomine ac sine indicio loci annique edita est; deinde autem iterum prodiit; nec solum nomen auctoris additum est; sed etiam duæ aliæ eiusdem dissertationes accesserunt, sub inscriptione: *dissertationes tres* I.) *de sanguine domini nostri iesu christi, ad epistolam* CXLVI. *Augustini:* II.) *de conciliorum quorumuis definitionibus expendendis:* III.) *de Tertulliani vita et scriptis, auctore Petro Allix*, Parisiis MDCLXXX. 8. **

Extrait d'vne dissertation critique, touchant Tertullien et ses ouurages, quæ epitome paullo ante memoratæ dissertationis Allixii præmissa est TERTVLLIANI *apologetico*, gallice ac latine edito, Amstelodami MDCCI. 8.

DE LA MOTTE *histoire de Tertullien et d'Origenes*, Parisiis MDCLXXV. et Lugduni MDCXCI. 8.

A IO.

* *spicilegio patrum, vt et hæreticor. secul.* II. *tom.* I. p. 218.
** *part.* III. *cap.* 15. p. 120.
*** in *adparatu* eius *ad bibliothec. maximam patrum tom.* I. p. 498.
* præmissa est PAMELII *adnotationibus in Tertulliani opera*, Parisiis MDCXXXV. fol.
** vide NICERONII *memoires tom.* XXXIV. p. 25.

IO. AVGVST. NOESSELTI *dissertationes de vera ætate scriptorum, quæ supersunt, Q. Septimii Florentis Tertulliani*, Halæ MDCCLVII.

NICOLAI NOVRRII *dissertatio in Tertulliani apologeticum, duos ad nationes libros et vnum ad Scapulam,* * vbi multa de vita gestisque Tertulliani habentur:

IO. HENR. BLVMBACHII *de senatus consulto, Q. Septimio Flor. presbytero et iure consulto Tertullianis liber*, Lipsiæ MDCCXXXV. 4. **

IVSTI CAROLI WIESENHAVERI *disputatio de iureconsulto et Qu. Septimio Florente Tertullianis*, Hildesiæ MDCCXLIII.

IO. IOACHIMI ZENTGRAVII *exercitatio de lapsu Tertulliani ad Montanistas*, Argentorati MDCCIV. 4.

IO. GVIL. HOFFMANNI *dissertatio, Q. Septimii Florentis Tertulliani, quæ supersunt, omnia in Montanismo scripta videri*, Vitembergæ MDCCXXXVIII. 4.

HERMANNI RATHMANNI *priscorum patrum, Tertulliani et Cypriani, theosophia*, Vitembergæ MDCXIX. 4. qui liber sub diuersis titulis iterum atque iterum in lucem prodiit. Spectat ille non tam ad ipsum Tertullianum; quam ad eius dogmata: ***

PAGANINI GAVDENTII *dogmatum Origenis cum philosophia Platonis comparatio et salebræ Tertullianeæ de vita christianorum ante tempora Constantini*, Florentiæ MDCXXXIX. 4.

IO. LAVRENT. MOSHEMII *commentatio chronologico-historica de ætate apologetici Tertulliani et initio persequutionis christianorum sub Seuero:* *

ANONYMI *dissertation, ou l'on fait voir, que le catalogue des heresies, qui se trouue a la fin du liure de Tertullien*

* in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum tom.* II. p. 1174.

** *noua litteraria Hamburgensia* MDCCIV. p. 77.

*** vide MOLLERI *Cimbr. litterat. tom.* III. p. 565.

* quæ est in eius *dissertationibus, ad historiam ecclesiastic. pertinentib. volum.* I. p. I.

lien des prescriptions, est veritablement de cet auteur. * Memoratur quoque: *le genie de Tertullien par de Fayolle*, Parisiis MDCLXII. 4. **

§. VI.

Seculo tertio, postquam a seruatore nostro gratia diuina reparata fuerat, multi exstiterunt christiani doctores, qui sanctissimæ religioni nostræ propagandæ operam darent ac curarent, vt homines sempiternam felicitatem consequerentur. Inter illos nonnulli præ aliis nominis famam meritorumque laudem sibi conciliarunt inque his locum sibi fecerunt ex scriptorum græcorum ordine: Origenes, Hippolytus, Gregorius thaumaturgus; latinorum autem Minucius Felix ac Cyprianus. De his singularia ingenii monimenta in lucem prolata sunt. Exstant de

ORIGENE,

eius vita rebusque; dogmatibus item ac controuersiis, quæ nunc sequuntur, scripta:

GREGORII *thaumaturgi in Originem prosphonetica ac panegyrica oratio, quam Cæsareæ Palæstinæ post multorum annorum apud illum disciplinam dixit, quum in patriam reditum pararet:* ***

EVSEBII, qui magno loco Origenem habuit, ac PAMPHILI martyris *apologia pro Origene* libris sex, ex quibus primus e Rufini versione in latinis Origenis editionibus et inter Hieronymi opera, atque ex ceteris excerpta pauca apud PHOTIVM * exstant. Idem recenset ** anonymi opus, in quinque libros distributum, etiam pro Origene:

RVFINI liber *de deprauatione librorum, præcipue Origenis:* ***

DESI-

* in *memoires de Treuoux, febr.* MDCCIII. p. 133.
** apud FABRICIVM *bibliothec. latin. volumin.* III. p. 348.
*** est in eius *operibus* p. 169. edition. Moguntin. MDCIV. 4.
* *codic.* CXVIII.
** *codic.* CXVII.
*** in latinis ORIGENIS editionibus.

DESIDERII ERASMI de *vita, phrasi, docendi ratione et operibus Origenis, cum singulorum librorum censuris,* epitome: *

PETRI HALLOIXII *Origenes defensus; siue Origenis vita, virtutes et documenta libris* IV. Leodii MDCXLVIII. fol.

PETRI DANIEL. HVETII *Origeniana*, tribus libris, quorum primus de vita Origenis quatuor capita complectitur resque Origenis enarrat a tempore, quo ille in lucem editus est, vsque ad mortem Seueri: ab hac postea ad initia imperii Maximini: ab his vsque ad Philippi necem atque ab hac denique vsque ad Origenis obitum. Libro primo absoluto, sequitur secundus eoque exponitur de Origenis eruditione ac dogmatibus, speciatim de deo, trinitate, de christo, de virgine Maria, de angelis, de anima, de libero arbitrio, gratia ac prædestinatione, de astris, de resurrectione mortuorum, de postremo iudicio, de poenis et præmiis, de mundo, paradiso terrestri et Adamo, de allegorica scripturæ interpretatione. Quibus omnibus explanatis, examen doctrinæ Origenianæ instituitur fataque illius commemorantur. Liber tertius notitiam de scriptis Origenis nobis suppeditat. Opus ipsum horum Origenianorum ita compositum est, vt Huetii eruditionem atque industriam luculenter ostendat; dogmata autem non semper debita adcuratione interpretatus est: **

DE LA MOTTE *histoire de Tertullien et d'Origenes*, Parisiis MDCLXXV. Lugduni MDCXCI. 8. cuius iam antea mentionem feci:

IO. MEISNERI *tractatus historico-theologicus de Origene et Origenianis*, Vitembergæ MDCCXII. 4. antea autem ille,

* est in ERASMI *epistolis*, Londini MDCXLII. fol. editis, p. 1619. et *operum tomo* VIII. p. 425. quæ edita sunt Lugduni Batauor. ab anno MDCCIII. fol.

** HVETIVS *Origeniana* hæc præmisit ORIGENIS *commentariis in sacras scripturas*, quum illos primum in lucem emitteret, Rothomagi MDCLXVIII. fol. Translata illa postea sunt in ORIGENIS *operum*, quæ Benedictini monachi ediderunt, *tomum* IV. atque vltimum.

ille, in formam disputationis academicae redactus, prodiit ac defensus est ibidem MDCLXV.

IO. HENRICI HORBII *historia Origeniana; siue de vltima origine et progressu haereseos Originis tractatus singularis*, Francofurti MDCLXX. 4.

IO. CLERICI *vie d'Origenes*, * quae et in germanicum sermonem conuersa, lucem adspexit: **

CASIMIRI OVDINI *dissertatio de vita, operibus, doctrina et morte Origenis*: ***

LVDOVICI DOVCINI *histoire des mouuemens, arriuez dans l'eglise au suiet d'Origene et de sa doctrine*, Parisiis MDCC. 12. *

STEPHANI BINETI liber de *salute Origenis et an plerumque illustriora ingenia sint peruersiora*, Parisiis MDCXXIX. 8. MDCXXXI. 12.

IO. PICI *Mirandulani* de *salute Origenis disputatio*: **

PAGANINI GAVDENTII *dogmatum Origenis cum philosophia Platonis comparatio et salebrae Tertullianeae de vita christianorum ante tempora Constantini magni*, Florentiae MDCXXXIX. 4.

A letter of resolution concerning Origen and thechief of his opinions, Londini MDCLXI. 4. qui liber iterum litteris descriptus est in volumine primo collectionis variorum opusculorum, quae prodiit Londini MDCCVIII. 8. sub titulo *phoenix*:

IACOBI MERLINI *apologia pro Origene*, *** quam noua apologia tueri coactus est: *

10.

* in *bibliothequ. vniuersell tom.* VI. p. 31.
** in CLERICI *lebensbeschreib ungen einiger kirchenväter* p. 109.
*** *commentar. de scriptorib. ecclesiast. tom.* I. p. 231.
* *acta eruditor.* MDCC. p. 471. BERNARDI *nouuelles de la republiqu. des lettres* MDCC. *septembr.* p. 285.
** in eius *operibus* p. 131.
*** exstat in latina editione ORIGENIS *operum*, quae cura *Merlini* euulgata est, Parisiis MDXII. MDXIX. fol.
* noua apologia nondum in lucem exiit; sed manuscripta adseruatur. Legantur de illa fatisque eius: SIMONIS *epistolae selectae libr.* I. *epistol.* 10. p. 95. *essais de litterature*, MDCCIII. *nouembr.* p. 257. HVETII *Origenian. libr.* II. *cap.* 4. p. 230.

IO. FRANCISCI BVDDEI *exercitatio de allegoriis Origenis*, Vitembergæ MDCLXXXIX. *

ELIAE EHINGERI *Origenes labilis ; ſeu de næuis Origenis diſſertatio :* **

IO. ANDR. SCHMIDII diſſertatio de *lapſu Origenis*, Helmſtadii MDCCIV.

PETRI ZORNII *exercitatio de eunuchiſmo Origenis Adamantii*, qua illum contra perſpicua veterum teſtimonia in dubium vocat. Defendit diſputationem hanc præſide *Io. Henrico Maio*, Gieſſæ MDCCVIII.

IOACHIM. SAMVEL. WEICKHMANNI *commentatio hiſtorico-theologica de ſchola Origenis ſacra, ex Gregorio thaumaturgo informata*, Vitembergæ MDCCXLIV. 4.

MERLIN *examen d' vn raiſonnement, que mr. Bayle attribue a Origenes dans ſon dictionaire hiſtorique et critique, a l' article des Marcionites :* ***

Vindiciæ Origenis in doctrina de diuinitate chriſti, quæ ſub moderamine meo in academia hac MDCCXXVII. publicæ diſquiſitioni traditæ atque a reſpondente, CHRISTIANO GAVPPIO, defenſæ ſunt:

HIPPOLYTI

res illuſtrarunt:

IACOBVS BASNAGIVS *animaduerſionibus de vita, morte et ſcriptis Hippolyti :* *

CHRISTOPHOR. AVGVST. HEVMANNVS *diſſertatione, in qua docetur, vbi et qualis epiſcopus fuerit Hippolytus, ſeculi tertii ſcriptor eccleſiaſticus*, Gœttingæ MDCCXXXVII.

STEPHANVS LE MOYNE *prolegomenis ad varia ſacra:*

THEO-

* locum obtinuit in eiusdem *parergis hiſtorico-theologic.* p. 139.

** addita eſt BRVCKERI *vitæ Ebingeri*, Auguſt. Vindelicor. MDCCXXIV. 8.

*** *memoires de Treuoux* MDCCXXXVI. *mai.* p. 1077.

* exſtant illæ in CANISII *lectionum antiquarum*, ab eo editarum, *tom.* I. p. 3.

THEODORIC. RVINARTVS *actis primorum martyrum :* *

IO. BAPTIST. COTELERIVS *notis ad monimenta ecclesiæ græcæ*, ** aliique, quorum effata ac testimonia de Hippolyto IO. ALBERT. FABRICIVS collegit eiusque *operum tomo* I. præmisit. Sequitur:

GREGORIVS *thaumaturgus*,

de cuius vita rebusque gestis consuli possunt:

GREGORII *Nysseni oratio de vita sancti Gregorii thaumaturgi, episcopi Neocæsareensis*, græce ac latine edita, quæ non magnam auctoritatem fidemque præ se habet. Quæ memoria digna sunt, ea prætermittuntur; res autem falsæ; aut incertæ, miracula nimirum, copiose ac diligenter enarrantur.*** Præter eum, inter antiquiores de Gregorio hoc commentati sunt: EVSEBIVS, HIERONYMVS, BASILIVS atque alii:

NICOLAI MARIAE PALLAVICINI *vita Gregorii thaumaturgi*, quæ lucem vidit Romæ MDCXLIX. 8.

IO. LVDOVICI BOYE *dissertatio de Gregorio thaumaturgo, episcopo Neocæsareensi* prima. Quæ hanc sequi debebant, reliquæ num in lucem omnino prodierint, mihi haud perspectum est; dubito autem de eo.

MINVCIVS FELIX,

ad quem pertinent:

FRANCISCI BALDVINI *dissertatio in M. Minucii Felicis Octauium*, qui primus librum hunc Minucio, vero auctori, restituit, quum ille in prima editione Romana, ad Vaticani codicis fidem facta, et in aliis, proxime insequutis, pro octauo libro Arnobii perperam venditaretur, atque adductam *dissertationem*, veluti prolegomena, conscripsit. Disputat illa de Minucii gente, ætate, caussis, quas Romæ egerit, de scribendi genere deque argumentis, in

 libro

* p. 168.

** *tom.* II. p. 639.

*** est illa græce ac latine, *Laurentio Sifanio* interprete, *tom.* II. *oper.* p. 966. edit. Parisiis MDCXV. latine tantum cura *Gentian. Herueti* in SVRII *vitis sanctorum* ad XVII. *nouembr.* p. 390.

libro eius explanatis, atque aliarum rerum capitibus. Acceſſit diſſertatio hæc ad varias Minucii editiones: IACOBI OVZELII, CHRISTOPH. CELLARII, IACOBI GRONOVII, IO. DAVISII, ita vt illa vel præmiſſa; vel ſubiuncta fuerit:

CHRISTOPHOR. AVGVST. HEVMANNI *obſeruatio, qua numero iure conſultorum eximitur Minucius Felix:**

M. Minucii Felicis pro ſe et ſtatu ſuo epiſtola apologetica ad F. O. M., id eſt, Fridericum Ottonem Menckenium, qua aduerſus HEVMANNI *obſeruationem*, paullo ante adductam, monſtratur, Minucium Felicem inter iureconſultos ac cauſſarum patronos iure meritoque locum tueri: **

NICOLAI NOVRRII *diſſertatio in Marci Minucii Felicis librum, qui Octauius inſcribitur*, vbi multa dicta ſunt, quæ ad ipſum Minucium Felicem ſpectant ac rebus eius lucem adferunt: ***

PETRI ANTONII BVRCHARDI *M. Minucii Felicis Octauius, non octauus liber Arnobii, ſeu elegantiſſimus Minucii pro veritate religionis chriſtianæ dialogus, in theſes digeſtus*, diſſertatio, præſide *Chriſtiano Kortholto* habita, Kilonii MDCLXXXV. *

CYPRIANVS,

de quo ad nos peruenerunt:

PONTII, diaconi Cypriani eiusque in omni certamine ac calamitate perpetui comitis, *vita et paſſio Cypriani*, cuius *volumen* eſſe *egregium*, iudicat HIERONYMVS. ** De auctoritate eius res dubia eſt. Alii tribuunt iſtam Paullo diacono: alii interpolatam eſſe, pronuntiant. Exſtat illa non ſolum in Cypriani editionibus inque ea, quam IO.

FEL-

* in *parergis*; *ſiue acceſſionibus ad omnis generis eruditionem*, quæ Gœttingæ anno MDCCXXXVI. prodire cœperunt, *tom.* I. *libr.* I. p. 208.

** epiſtola hæc translata eſt in *noua acta eruditor.* MDCCXXXVIII. p. 210.

*** in *adparatu ad maximam bibliothec. patrum, tom.* II. p. 2

* vide: MOLLERI *Cimbriam litterat. tom.* I. p. 81.

** de *viris illuſtribus cap.* LXVIII.

FELLO, epifcopo Oxonienfi, debemus, Oxoniæ MDCLXXXII. Bremæ MDCXC. Amftelodami MDCXCIX. fol. cum eiusdem notis; fed etiam apud LAVRENTIVM SVRIVM * ac THEODORICVM RVINARTVM. ** In CYPRIANI *operibus*, a *Nicolao Rigaltio* editis, habentur tria alia martyrii Cypriani *acta*, quæ magnam antiquitatem præ fe ferunt; illa autem germana effe documenta, pro certo haud adfirmandum eft:

GREGORII *Nazianzeni oratio in laudem fancti Cypriani martyris:* ***

AVGVSTINI *fermones in natali Cypriani martyris:* *

ANONYMI *vita Cypriani*, Parifiis MDLXVI. 8. **

IO. PEARSONII *annales Cyprianici; fiue tredecim annorum, quibus fanctus Cyprianus inter chriftianos eft, breuis hiftoria, chronologice delineata*, qui non feparatim in lucem emiffi; fed eo confilio fcripti funt, vt CYPRIANI *operibus*, a IO. FELLO editis, præmitterentur. Pearfonius labore hoc feliciter perfunctus eft; nec folum indagauit, quid Cyprianus fingulis annis; fed etiam fingulis fere menfibus peregerit; hanc autem ob cauffam non tam annales Cyprianicos; quam menologia Cyprianica compofuiffe vifus eft: ***

HENRICI DODWELLI *differtationes Cyprianicæ*, Oxoniæ MDCLXXXIV. 8. Sunt tres ac decem differtationes iisque difputatur de voce *cleri*, facri ordinis *propria*: de litterarum ecclefiafticarum characteribus: de flagitio mulierum, cum clericis concumbentium, eaque occafione de *συνεισάκτοις*: de vifionibus, et qua ratione vifionum fuarum fidem comprobarint veteres: de nominum e diptychis ecclefiæ recitatione in euchariftia: de presbyteris doctoribus,

* in *vitis fanctorum d* XIV. *feptembr.* p. 144.

** *actis primorum martyrum* p. 205.

*** *oration.* XVIII. *tom.* I. *operum* p. 274.

* *fermon.* CCCIX. fequ. *tom.* V. *oper.* p. 869. edition. Benedictin. Antuerp.

** mentionem eius facit FABRICIVS *bibliothec. latin. volum.* III. p. 384.

*** *acta eruditorum* MDCLXXXIII. p. 45.

bus, doctore audientium et legationibus ecclesiasticis: de episcopo, vnitatis principio et sancti Petri in apostolos primatu vnitatis exemplari et quam solide vtrobique argumentetur Cyprianus: de prærogatiua, indulgentiæ priuilegio et priuilegio societatis ex sententia legum romanarum: de potestate presbyterii, sede episcopali vacante: de ordine episcoporum presbyterorumque, e Cypriani veterumque sententia, ab inuicem distinguendo: de martyrum commemoratione eaque occasione de martyrum paucitate in primæuis christianorum persequutionibus deque fide actorum atque martyrologiorum: de primorum martyrum insigni fortitudine eiusque caussis ac denique de secundo martyrii baptismo.* Dissertationes hæ ad ipsum quidem Cyprianum eiusque res haud pertinent; quia autem illum illustrant atque ex eo varia, præsertim antiquitatis ecclesiasticæ, argumenta enarrant, quodam modo istas huc referri posse existimaui:

PRVDENTII MARANI *vita sancti Cypriani*, præmissa CYPRIANI *operibus*, quæ studio STEPHANI BALVZII ac dicti MARANI publicæ luci exposita sunt, Parisiis MDCCXXVI. fol. Elaborata illa est diligenter ac copiose auctorque non solum de Cypriani vita et rebus gestis, sed etiam de eiusdem scriptis, quæ conseruata atque ad nos delata sunt, commentatur:

IO. CLERICI *abregé de la vie de saint Cyprien*, quæ quum in illius *bibliothecam vniuersam*** translata esset, ea separatim prodiit non tantum gallice, sub titulo: *la vie de saint Cyprien, eueque de Carthage, auec la critique des ses ecrits*, Amstelodami MDCLXXXIX. 12. sed etiam germanice in CLERICI *deutsch vbersetzten lebensbeschreibungen einiger kirchenväter:* ***

La

* *acta eruditorum* MDCLXXXVI. p.61. BAELII *nouuelles de la republiqu. des letres* MDCLXXXVI. *mai.* p.532. Adiunctæ sunt *dissertationes* hæ CYPRIANI *operibus*, quæ Bremæ MDCXC. et Amstelodami MDCXCIX. fol. prodierunt.

** *tom.* XII. p.212.

*** p. 138.

La vie de ſaint Cyprien, docteur de l'egliſe, eueque de Carthage et martyr, dans la quelle on trouuera l'abregé des ouurages de ce pere, des notes critiques et hiſtoriques et des diſſertations theologiques ſur les differentes conteſtations de ſon tems, Pariſiis MDCCXVII. 4. * Opus hoc ſine auctoris nomine ad publicum vſum translatum eſt; illum autem IACOB. GERVAISE eſſe, iam alii animaduerterunt. Egregium illud eſt ac ſingularem cum eruditionem; tum induſtriam oſtendit ſcriptorque longe eos ſuperat, qui antea in eodem argumento ingenia ſua exercuerunt. Sex ſunt iſtius libri iisque Cypriani res actaque ab initio vitæ vsque ad finem eius ita enarrantur, vt ſimul varia capita eorum, quæ ætate Cypriani in ciuitate chriſtiana geſta ac diſputata ſunt, lucem accipiant. Quo tempore quælibet illius epiſtola; vel quoduis ſcriptum ſit editum: quæ ipſi ingenii monimenta falſo ſint attributa: quæ plane fuerint deperdita, ſignificatur. Acceſſerunt quinque diſſertationes, quarum *prima* verba Cypriani illuſtrantur de poteſtate abſoluendi lapſos moribundos, quando epiſcopus abſens eſt: *ſecunda* exponitur de fuga Cypriani, qua ille in atroci chriſtianorum vexatione tempore imperatoris Decii proſpexit ſibi ac conſuluit, eamque iuſtam fuiſſe ac æquam, adfirmatur: *tertia* illos auctor reprehendit, qui perſuadent ſibi, Nouatum exſtitiſſe epiſcopum: *quarta* de coniugio clericorum vberius diſſeritur: *quinta* eaque vltima monſtratur, quinam tempore Cypriani dicti fuerint *libellatici:*

RENATI IOSEPHI TOVRNEMINII *coniectures ſur la ſuppoſition de quelques ouurages de ſaint Cyprien et de la lettre de Firmilien:* **

HERMANNI RATHMANNI *priſcorum patrum, Tertulliani et Cypriani theoſophia, fidei antiquæ et vitæ vere chriſtianæ certa et ſalutaria tradens documenta, e monumentis eorum propriis reddita et recitata verbis*, Vitembergæ MDCXIX. 4. cuius libri iam mentionem feci, quum de Tertulliano commen-

* *acta eruditor.* MDCCXVIII. p. 292. *iournal des ſauans* MDCCXVII. *april.* p. 429. *mai.* p 491. adde FRANC. DIONYS. CAMVSATI *obſeruationes ad Ciaconii bibliothecam*, titulo *Cyprianus.*

** *memoires de Treuoux* MDCCXXXIV. *decembr.* p. 2246.

mentatus ſum ſimulque animaduerti, illum non vitam; ſed doctrinam Tertulliani ac Cypriani complecti. Quae et cauſſa eſt, cur de iſto poſtea loco proprio, quando de doctrina patrum exponam, vberius de eo diſſerere, animus mihi ſit:

Cypriani ac Firmiliani epiſtolarum aduerſus Stephani I. *papae decretum de haereticorum baptismo vindiciae*, quas GEORG. GOTTLIEB. PREV conſcripſit ac meo praeſidio adiutus publice defendit, Ienae MDCCXXXVIII. Oppoſitae illae ſunt RAYMVNDO MISSORIO, qui aliis perſuadere conatus eſt, dictas epiſtolas Cypriani ac Firmiliani a Donatiſtis eſſe confictas hancque in rem emiſit: *diſputationes criticas in duas celeberrimas epiſtolas Firmiliani et Cypriani aduerſus decretum Stephani papae* I. *de non iterando haereticorum baptismo*, Venetiis MDCCXXXIII. 4.

§. VII.

Seculo quarto inter patres ac doctores eccleſiae plures fuerunt, qui ſcriptis ac meritis nominum ſuorum memoriam poſteritati commendarent. Inter Graecos eminent: Euſebius Pamphili, Euſebius Emiſenus, Athanaſius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Epiphanius, Ephraemus Syrus, Baſilius, Gregorius Nyſſenus, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, Didymus Alexandrinus, Macarius, Chryſoſtomus; inter latinos autem: Lactantius, Optatus Mileuitanus, Hilarius Pictauienſis, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Rufinus, Paullinus Nolanus. De omnibus his eruditiſſimi viri ſingulares commentationes iuris publici fecerunt. Sunt illae, quas nunc de ſingulis commemorabo.

EVSEBIVS PAMPHILI:

HENRICI VALESII diſſertatio *de vita ſcriptisque Euſebii Caeſareenſis*:*

IO. CHRISTOPHOR. ERNESTI diſſertationes duae de *Eu-*

* diſſertationem hanc VALESIVS praemiſit EVSEBII *hiſtoriae eccleſiaſticae*.

Eusebio, episcopo Cæsareensi, Vitembergæ MDCLXXXVIII. et iterum ibidem MDCCIII.

IO. CLERICI *vita Eusebii*, gallice * ac germanice. ** Addi possunt, quæ scripta ac disputata sunt de quæstione: num Eusebius ad Arianos se adiunxerit; nec ne? Adfirmauit hoc præter DIONYSIVM PETAVIVM, *** HENRIC. NORISIVM, * CHRISTOPHOR. SANDIVM atque alios, IO. CLERICVS memorata *vita Eusebii* ** eademque sententia adprobata est in ELIA DI AMATO *lettera, che Eusebio di Cesarea anco dopo il concilio Niceno fu imbruttato dall' errore Ariano.* *** Alii Eusebium defenderunt; aut excusarunt, inter quos Ioanni Clerico præcipue GVIL. CAVEVS restitit in *dissertatione de Eusebii Cæsareensis Arianismo, aduersus Ioann. Clericum.* * Nec hic tantum; sed alii quoque Eusebii caussam egerunt. **

EVSEBIVS *Emesenus*.

Epistola de vita eius, quæ a GEORGIO *Laodiceno* scripta esse, traditur apud antiquiores; *** interiit autem ista; nec ad nos peruenit:

* *bibliothequ. vniuerselle tom.* x. p. 379.
** in CLERICI *vnpartheyischer lebensbeschreibung einiger kirchenväter* p. 522.
*** *theologic. dogmatum de trinitate libr.* I. *cap.* II. *et* 12. *tom.* II. p. 47.
* *dissertation. de synodo quinta cap.* XIII. *tom.* I. *oper.* p. 801.
** et *epistol. critic. num.* II. p. 30.
*** in *lettere erudite di* AMATO *part.* II. *letter.* 16. p. 291.
* quæ est in *adpendice dissertationum trium*, eiusdem *histor. litterar. scriptor. ecclesiastic. volumini* II. p. 42. addita, vbi etiam p. 63. CAVEI *epistola apologetica* aduersus Clericum de caussa hac controuersa exstat.
** in horum numero sunt: CALOVIVS *confession. martyrum, tom.* II. *scriptor. antisocinianorum* p. 518. VALESIVS antea memorata dissertatione de *vita scriptisque Eusebii*: BVLLVS *defension. fidei Nicænæ*, variis locis: BASNAGIVS *annal. politico-ecclesiast. tom.* II. p. 734. 770. De reliquis taceo.
*** vide SOCRATEM *libr.* II. *cap.* 9. SOZOMENVM *libr.* III. *cap.* 6. NICEPHORVM *libr.* IX. *cap.* 5. ALLATIVM in *diatriba de Georgiis et eorum scriptis* p. 305.

CASIMIRI OVDINI *dissertatio critica de scriptis, Eusebio Emiseno episcopo hucusque perperam attributis.* *

ATHANASIVS:

GREGORII *Nazianzeni oratio de laudibus Athanasii:* **

ANONYMI *vita Athanasii, ex Socratis, Sozomeni, et Theodoreti historia ecclesiastica collecta*, quae plenissima est fabularum; nec vllam fere fidem prae se habet:

Vita Athanasii, graece ac latine, ex PHOTIO *** sumta, quae ipsius Photii iudicio, quisquilias complectitur:

SIMEONIS *metaphrastae vita Athanasii*, graece et latine, quae etiam latine tantum legitur apud LAVRENTIVM SVRIVM. * Ita illa composita est, vt non magna vtilitas ab ista exspectari possit.

Vita Athanasii latine, ex Arabico conuersa, interprete *Eusebio Renaudotio*, quae ad vsum Coptorum conscripta; maxime autem nugis atque ineptiis inquinata est. **

Vita Athanasii, incerto auctore, graece et latine, *Io. Lampadio* interprete: ***

Oratio de vita, certaminibus et laudibus sancti Athanasii, a viro quodam docto ante aliquot annos conscripta: *

TORTELLII; siue IO. ARETINI *vita Athanasii*, Parisiis MDXX. **

CHRISTOPH. PEZELII *oratio de Athanasio, episcopo Alexan-*

* *commentar. de scriptorib. ecclesiastic. tom.* I. p. 390.

** quae est XXI. inter *orationes* eius.

*** *codic.* CCLVIII.

* in *vitis sanctor. ad diem* II. *mai.* p. 17.

** quatuor has Athanasii vitas, quas recensui, Benedictini vna cum GREGORII *Nazianzeni* itidem adducta *oratione, tomo* I. luculentae ac splendidae editioni suae ATHANASII *operum*, Parisiis MDCXCVIII. in lucem emissae, praemiserunt. Exstant illae quoque, si non omnes; pleraeque tamen, in aliis Athanasii editionibus.

*** est in ATHANASII *operibus*, editis Heidelbergae MDCI. *tom.* II. p. 518. ac Coloniae; siue Lipsiae MDCLXXXVI. *tom.* II. *adpendic.* p. 26.

* in dictis ATHANASII *operum* editionibus, Heidelbergensi *tom.* II. p. 607. ac Lipsiensi *tom.* II. *adpendic.* p. 115.

** praemissa est ATHANASII *opusculis*, latine editis Parisiis MDXX. ac litteris iterum descripta in LIPOMANNI *vitarum sanctorum tomo tertio.*

Alexandrino, complectens eius historiam vitae, certaminum et liberationum, Vitembergae MDLXXIII. 8. *

ANTONII PROBI *oratio Athanasiana*, Lipsiae MDLXXXIV. 4.

GODFRIDI HERMANTII *vie de saint Athanase, patriarche d'Alexandrie*, Parisiis MDCLXXI. 4. duobus tomis et 8. itidem duobus voluminibus. ** Opus est magnae diligentiae ac complectitur vitam Athanasii, copiose enarratam.

BENEDICTINORVM *vita Athanasii*, quam illi ATHANASII *operibus*, Parisiis MDCXCVIII. in lucem emissis, praemiserunt atque in ea componenda ita versati sunt, vt singulas Athanasii res magno studio describerent: ab aliis minus adcurate narrata; vel praetermissa emendarent ac supplerent: ordinem, annalium proprium, sequerentur: ***

DANIELIS PAPEBROCHII *vita sancti Athanasii, episcopi Alexandrini, ex ipsius et aliorum veterum scriptis collecta*: *

BERNARDI DE MONFAVCON *animaduersiones in vitam et scripta Athanasii*: **

HENRICI VALESII *obseruationes ecclesiasticae de magno Athanasio*: ***

Vita sancti Athanasii, a theologis Viennensibus concinnata, Viennae MDCCVII. 8.

ANDR. KALLERI *dissertatio de Athanasio*, Vitembergae MDCLXXIV.

Des grossen Athanasii leben vnd thaten, wie auch anmer-

* locum obtinuit inter *orationes Vitembergenses*, *tomo* VII. Seruestae MDLXXXVI. 8. p. 440.
** vide NICERONII *memoires tom.* III. p. 212.
*** epitome vitae huius legenda est in *actis eruditorum* MDCXCIX. p. 197.
* in *actis sanctorum ad* II. *mai. tomo* I. p. 186. et *tomo* VII. p. 546. qui et p. 548. memorat vitam Athanasii, ab Adelperto, priore sancti Vdalrici Augustano, scriptam.
** praemisit illas *collectionis nouae patrum et scriptorum graecorum tomo* II. Parisiis MDCCVI. fol.
*** sunt illae in eius *obseruationum ecclesiasticarum in Socratem et Sozomenum libro* I. p. 173.

merckungen vber sein symbolum fidei, aus dem englischen vbersezt, Francofurti et Lipsiæ MDCCXXXIV. 8.

CONR. SAMVEL. SCHVRTZFLEISCHII *dissertatio, qua Athanasii caussa agitur contra quasdam adcusationes*, Vitembergæ MDCXC. *

MARTINI LVBATHI dissertatio de *exsiliis Athanasii*, Vitembergæ MDCXCI.

IO. SARTORII dissertatio de *Athanasio, in persequutione fugiente*, Thorunii MDCXCVII.

GODOFRED. VOCKERODTI commentatio de *fatis pro christi gloria pugnantium priorum doctorum in Athanasii exemplo*, Gothæ MDCCX. 4.

IVSTI FONTANINI *dissertatio de anno emortuali sancti Athanasii, patriarchæ Alexandrini*, Romæ MDCCXLII. **

IO. ANDR. SCHMIDII dissertatio de *puero Athanasio baptizante*, Helmstadii MDCCI. qua auctor probat, falsa esse, quæ de Athanasio puero baptizante narrentur idemque etiam ostendit in *historia seculi quarti et quinti, fabulis variorum maculata*, Helmstadii MDCCXIII.

BERNARDI DE MONTFAVCON *epistola ad amicum, an vera narratio Rufini de baptizatis pueris ab Athanasio puero: de tempore mortis Alexandri, episcopi Alexandrini ac de anno obitus Athanasii magni*, quod opusculum Parisiis in lucem prodiit ac quoniam maxime rarum erat, *Theodorus Hasæus* id denuo litteris describendum curauit: ***

HENRICI BENZELII *vindiciæ Athanasii, Christophoro Sandio et Gothofredo Arnoldo oppositæ*: *

HENRICI KLAVSINGII *Athanasius vindicatus*, dissertatione academica exhibitus ac Gothofredo Arnoldo oppositus, Lipsiæ MDCCXXIV.

GEORG. HENRIC. GOETZII dissertatio de *dubiis Atha-*

* exstat in SCHVRTZFLEISCHII volumine *disputationum philolog. philosophicarum*, Lipsiæ MDCC.

** addita est eiusdem *historiæ litterariæ Aquileiensi*, Romæ MDCCXLII. 4. editæ, p. 441.

*** in *bibliotheca Bremensi class.* IV. p. 221.

* *syntagmat. dissertation. academic. tom.* II. p. 354.

Athanasii scriptis, quae in noua operum eius editione leguntur, Lipsiae MDCLXXXIX. 4.

CASIMIR. OVDINI *dissertatio de operibus, sancto Athanasio attributis:* *

IO. PHILIPP. BARATIERI *lettre sur deux ouurages, attribues a saint Athanase:* 1) *le discours contre les Grecs, ou les gentils:* 2) *l'incarnation du verbe.* **

CYRILLVS *Hierosolymitanus:*

IO. GRODECII *vita sancti Cyrilli, episcopi Hierosolymitani, ex ecclesiasticae historiae scriptoribus collecta*, quae est apud LAVRENTIVM SVRIVM: ***

GODFRID. HENSCHENII *commentarius historicus de sancto Cyrillo, Hierosolymorum episcopo:* *

DANIEL. PAPEBROCHII *series chronologica episcoporum Hierosolymitanorum:* **

THOMAE MILLESII *praefatio* ad *Cyrilli opera*, Oxoniae MDCCIII. fol. edita, qua ille de Cyrilli huius vita, gestis, fatis scriptisque diligenter exponit:

IO. GRANCOLASII *vie de saint Cyrille*, quam ille CYRILLI *catechesibus*, gallice redditis, Parisiis MDCCXV. 4. praemisit: ***

CASIMIRI OVDINI *dissertatio de vita et scriptis sancti Cyrilli, Hierosolymitani episcopi:* *

ANTONII AVGVSTIN. TOVTTEI *dissertationes tres*, ad Cyrillum spectantes. Prima earum exponit auctor de vita et rebus gestis Cyrilli ac singularem industriam monstrat, quam ad hanc Cyrilli historiam illustrandam adhibuit.

* *commentar. de scriptorib. ecclesiastic. tom.* I. p. 325.
** in *bibliotheque Germanique tom.* XL. p. 80.
*** in *vitis sanctorum d.* XVIII. *martii* p. 200. Eadem vita cum additamento de scriptis Cyrilli praemissa est CYRILLI *operibus*, Parisiis MDCXL. fol.
* in *actis sanctorum tom.* II. *ad* XVIII. *martii* p. 625.
** *actor. sanctor. tom.* III. *maii.*
*** *iournal des sauans* MDCCXVI. *mart.* p. 248. *memoires de Treuoux* MDCCXVIII. *august.* p. 186.
* *commentar. de scriptoribus ecclesiastic. tom.* I. p. 455.

buit. Secunda agit de eiusdem ſcriptis, ea ratione, vt iſta non ſolum iuſto ordine recenſeat; ſed illorum quoque veritatem, auctoritatem atque integritatem oſtendat; praecipue autem de catecheſibus diſputat ac quo tempore locoque iſtae ſint habitae: qua methodo ſcribendique ratione compoſitae, diligenter indagat. Tertia denique verſatur in Cyrilli dogmatibus, iis maxime, quae in animaduerſionibus explanare non licuit. Inter alia enarrat, quae ipſius ſententia fuerit de diuinitate chriſti ac ſpiritus ſancti, atque ex eo teſtimonia veritatis adfert. Simul tamen ſibi ſumit, varia Cyrilli effata peruerſe interpretari atque ad pontificiorum errores de traditionibus non ſcriptis: de transſubſtantiatione, trahere. Diſſertationes has Toutteus CYRILLI *operibus* praemiſit, quae ille Pariſiis MDCCXX. fol. euulgauit:

SALOM. DEYLINGII *ſanctus Cyrillus Hieroſolymitanus, a corruptelis pontificiis, quas recentiſſimus eius elucidator, Antonius Auguſtus Toutteus aliique ei adfinxerunt, vindicatus*, Lipſiae MDCCXXVI. *

EPIPHANIVS:

Vita Epiphanii, cuius auctores eſſe perhibentur IOANNES et POLYBIVS, diſcipuli Epiphanii; iam dudum autem doctiſſimi viri iudicarunt, illam prae ſe habere fidem exiguam ac recentiorem ſcriptorem prodere, qui ſe hominem mendacem praebuerit ac res multas tradiderit fictas ac commentitias. Latine legenda eſt vita haec apud LAVRENTIVM SVRIVM ** et ALOYSIVM LIPOMANNVM; *** graece ac latine autem in Epiphanii editionibus:

DANIEL. PAPEBROCHII *commentarius de ſancto Epiphanio:* *

L' hiſtoire et la vie de ſaint Epiphane, archeueque de Salamine et docteur de l' egliſe, ou l' on voit ce, qui s' eſt paſſé de

* translata eſt diſſertatio haec in eiusdem *obſeruationes miſcellaneas* p. 116.
** in *vitis ſanctor.* d. XII. *mai.* p. 151.
*** *vitis ſanctor. tom.* VI. p. 35.
* in *actis ſanctorum* d. XII. *mai. tom.* III. p. 36.

" *de plus curieux et de plus intereſſant dans l'egliſe depuis l'an 310 iusqu' en 403 auec l'analyſe des ouurages de ce ſaint, ſon apologie contre les proteſtans et des notes critiques et hiſtoriques*, Pariſiis MDCCXXXVIII. 4. Auctor vitam resque Epiphanii, ſpeciatim varias illius lites diligenter recenſet: aliorum, qui in eodem argumento verſati ſunt, vitia emendat: omnia ita ediſſerit, vt hiſtoriam ſeculi quarti eccleſiaſticam vbique illuſtret. Ex libris Epiphanii multa enarrat atque oſtendit, ſe in illis legendis multum ſtudii poſuiſſe. In apologia probare conatur, nihil apud Epiphanium inueniri, quod cum proteſtantium dogmatibus ac ſententiis conſentiat, ſeque erga iſtos acrem praebet ac vehementem. *

CASIMIRI OVDINI *diſſertatio de operibus ſancti Epiphanii, Conſtantiae in Cypro epiſcopi*: **

Sancti Epiphanii elogium cum Danielis Heinſii animaduerſionibus manuſcriptis in Epiphanium, quae iuris publici fecit HENRIC. LEONARD. SCHVRTZFLEISCHIVS: ***

IACOBI THOMASII *notitia editionum operum Epiphanii*, quam *Io. Gottlieb. Krauſius* euulgauit. *

EPHRAEMVS *Syrus:*

Sancti Ephraemi narratio ad monachos de ſua conuerſione, interprete et ſcholiaſte Gerardo Voſſio: **

Sancti patris Ephraemi Syri confeſſio et ſui ipſius reprehenſio, ſcholiaſte et interprete Gerardo Voſſio: ***

Sancti

* *nouor. actor. eruditor. ſupplement. tom.* v. p. I. *ſamlung von alten vnd neuen theolog. ſachen*, 1738. p. 497.

** *commentar. de ſcriptorib. eccleſiaſt. tom.* I. p. 527.

*** in *actis litterariis*, Vitembergae MDCCXIV.

* *hiſtoriae librorum*, germanice editae, *parte* II. p. 258.

** eſt in EPHRAEMI *operibus*, latine a VOSSIO editis, p. 216. in SVRII *vitis ſanctorum febr.* I. p. 16. in *actis ſanctorum februar. tom.* I. p. 55.

*** latine exſtat in memoratis EPHRAEMI *operibus*, latine in lucem emiſſis, p. 465. et in *actis ſanctorum febr. tom.* I. p. 58. graece in EPHRAEMI *operibus*, graece editis, Oxoniae MDCCIX. fol. p. 12.

Sancti patris Ephraemi Syri testamentum, *interprete et scholiaste Gerardo Vossio:* *

GREGORII *Nysseni vita atque encomium sancti patris nostri Ephraemi Syri*, graece ac latine, interprete *Gerardo Vossio*, qui et scholia adiecit: **

Vita sancti patris nostri Ephraemi Syri, *ex vetustissimis manuscriptis graecis anonymis:* ***

De sancto Ephraemo ex vita sancti Basilii magni, auctore, vt creditur, sancto Amphilochio, ex veteribus latinis manuscriptis: *

Sancti patris nostri Ephraemi Syri vita per Simeonem metaphrasten: **

Vitae sancti Ephraemi compendium ex anonymo Syro, syriace, quod *Ioseph. Simon. Assemanus* cum latina interpretatione ac notis iuris publici fecit: ***

MICHAEL. HOYERI *vita sancti Ephraemi*, Duaci MDCXL. 12.

IO. BOLLANDI *commentarius de sancti Ephraemi vita et scriptis:* *

GVIL. ERNESTI TENTZELII dissertatio de *Ephraemo Syro*, Arnstadii MDCLXXXV. 4. **

GOTHOFRED. VOCKERODTI commentatio de *euangelicae*

* exstat latine in iam adducta *Vossii* editione EPHRAEMI *operum* p. 598. in SVRII *vitis sanctor.* p. II. graece in EPHRAEMI *operibus*, Oxoniae MDCCIX. p. 365.

** graece ac latine est in GREGORII *Nysseni operum tomo* II. p. 1027. edition. Parisiens. MDCXV. fol. latine autem tantum in EPHRAEMI *operibus*, a *Vossio* editis, p. I. et in *actis sanctor. febr. tom.* I. p. 67.

*** graece subiuncta est EPHRAEMI *operibus*, Oxoniae MDCCIX. latine exstat in iisdem *operibus*, a *Vossio* editis, p. 9. et in *actis sanctorum febr. tom.* I. p. 64.

* in ROSWEYDI *vitis patrum libr.* I p. 167. et in *actis sanctorum dicto loco* p. 75.

** adiuncta illa est graece EPHRAEMI *operibus*, Oxoniae MDCCIX. latine autem ea legi potest in iisdem *operibus*, latine a *Vossio* in lucem emissis p. 209. et in SVRII *vitis sanctorum* p. 8.

*** in *bibliotheca oriental. Clementino-Vatican. tom.* I. p. 25.

* in *actis sanctorum febr. tom.* I. p. 49.

** quae translata est in eiusdem *exercitation. selectar. part.* I. p. 273.

licæ veritatis et pietatis doctore antiquo, *Ephræmo Syro*, Gothæ MDCCX.

IO. CHRISTOPH. COLERI *disquisitio critica in selecta historiæ litterariæ de Ephræmo et Ioann. Damasceno*, *Syris*, *capita*, Vitembergæ MDCCXIV.

CASIMIRI OVDINI *dissertatio de operibus sancti Ephræmi Syri*, *ecclesiæ Edessenæ diaconi.* *

BASILIVS *magnus:*

GREGORII *Nazianzeni oratio* XX. quæ dicta est in Basilii funere: **

EIVSDEM *epigrammata* XII. *in Basilium*, *cum anonymi græca prosaria expositione*, quæ *Petrus Lambecius* edidit: ***

GREGORII *Nysseni oratio funebris*, *qua fratris sui Basilii magni laudes et memoriam concelebrat*, græce et latine, *Laurentio Sifanio* interprete: *

EPHRAEMI *Syri encomium in sanctum ac magnum Basilium*, scriptum Basilio adhuc superstite, ** quod græce primus *Io. Baptista Cotelerius* edidit ac latinam interpretationem adiecit: ***

Vita et miracula sancti Basilii, *archiepiscopi Cæsareæ Cappadociæ*, cui commentationi inter AMPHILOCHII scripta * locus adsignatus; autor autem non est Amphilochius

* *commentar. de scriptorib. ecclesiastic. part.* I. p. 494. Qui de Ephræmi vita, gestis scriptisque exposuerunt, eos recenset ASSEMANVS in *prolegomenis* ad EPHRAEMI *operum tomum* I. Romæ MDCCXXXII. fol.

** exstat illa græce ac latine in GREGORII *Nazianzeni operum tomo* I. p. 316. latine in COMBEFISII *bibliotheca concionatoria tom.* VII. p. 10.

*** *commentar. de bibliothec. Vindobonens. libr.* VIII. p. 366.

* in eius *operum tom.* II. p. 911. latine in COMBEFISII *bibliotheca concionatoria tom.* VII. p. 33.

** latine est in EPHRAEMI *operibus*, latine a *Vossio* editis, p. 553. et in COMBEFISII *bibliotheca concionatoria tom.* VII. p. 41.

*** *ecclesiæ græcæ monumentor. tom.* III. p. 54.

* exstat illa græce ac latine in AMPHILOCHII *operibus*, a *Combefisio* in lucem emissis, Parisiis MDCXLIV. fol. p. 155. Latine tantum

chius; sed alius longe iunior, quemadmodum eruditissimi viri iudicarunt atque ostenderunt. Partem scripti huius extremam, quae in *Combefisii* editione non exstat, *Petrus Lambecius* in lucem emisit: *

ERASMI *Roterodami libr.* XXVIII. *epistola* 7. ad Sadoletum, quae loco praefationis praemittitur editioni graecae Basilii MDXXXII. **

IO. TVRSTENII *oratio de Basilio, episcopo Caesareensi*: ***

GODFRIDI HERMANTII *vie de saint Basile le grand et celle de Gregoire de Nazianze*, Parisiis MDCLXXIV. 4. duobus tomis:

APOLLINARIS AGRESTA *vita del protopatriarca santo Basilio magno*, Messanae MDCLXXXI. 4.

FRANCISCI BAERTII *commentarius de vita sancti Basilii magni*: *

BENEDICTINORVM *e congregatione sancti Mauri vita sancti Basilii magni, archiepiscopi Caesareensis*, quae copiosa ac magno studio elaborata est: **

CASIMIRI OVDINI *dissertatio de vita et scriptis sancti Basilii, Caesareae in Cappadocia episcopi*: ***

IO. GEORG. WERENBERGII *dissertatio de prudentia Basilii magni in refutandis haereticis*, Lipsiae MDCCXXIV.

GRE-

tum legitur in COMBEFISII *bibliotheca concionatoria tom.* VII. p. 9. et in *actis sanctorum tom.* II. *iunii* p. 936. cum *Baertii* animaduersionibus, quibus probatur, scriptum hoc Amphilochio falso tributum esse, id quod etiam perspexerunt: BARONIVS, BELLARMINVS, POSSEVINVS, TILLEMONTIVS, DVPINIVS atque alii.

* *commentar. de bibliothec. Vindobonens. libr.* VIII. p. 366.

** p. 1626. edition. Londinens. adde *libr.* XXIX. *epistol.* 90. sq. p. 1872.

*** est inter MELANCHTHONIS *selectas declamationes, tom.* III. p. 51. Seruestae MDLXXXVII. 8.

* in *actis sanctorum iunii tom.* II. p. 807.

** praemissa est BASILII *operum*, quae Benedictini ediderunt, *tomo* III. euulgato Parisiis MDCCXXX. fol. Legi et potest praefatio, quae ibidem est.

*** *commentar. de scriptoribus ecclesiastic. tom.* I. p. 543.

GREGORIVS *Nyssenus:*

DANIEL. PAPEBROCHII *commentarius historicus de Gregorio Nysseno:* *

CASIMIRI OVDINI *dissertatio de vita et scriptis sancti Gregorii, Nysseni episcopi:* **

De Gregorio, episcopo Nysseno, et eius operibus praefatio. ***

GREGORIVS *Nazianzenus:*

GREGORII *Nazianzeni carmen de vita sua*, versibus iambicis, græce, cum interpretatione latina atque animaduersionibus *Iacobi Billii:* *

GREGORII *presbyteri vita sancti patris nostri Gregorii, theologi, episcopi Nazianzeni*, græce atque *Iacobo Billio* interprete, latine, cum aliis veterum de Nazianzeno elogiis, per eumdem *Billium* collectis. ** Latine vita hæc habetur apud LAVRENTIVM SVRIVM: ***

NICETAE *Paphlagonis laudatio Gregorii Nazianzeni*, quam ex codice Mazariniano in latinum sermonem *Franciscus Combefisius* conuertit atque ad vsum publicum transtulit: *

THOMAE *Magistri laudatio Gregorii Nazianzeni*, quam græce ac latine vna cum aliis eiusdem THOMAE orationibus et epistolis *Laurentius Normannus* edidit, Vpsaliæ MDCXCIII. 4.

IACOBI LECHNERI *oratio de Gregorio Nazianzeno*, Vitembergæ MDLVIII. **

* *actor. sanctor. martii tom.* II. p. 44.
** *commentar. de scriptor. ecclesiastic. tom.* I. p 583.
*** præfationem hanc præferunt GREGORII *Nysseni opera*, quæ græce ac latine prodierunt Parisiis MDCXV. et MDCXXXVII. fol.
* exstant NAZIANZENI *operum tomo* II. carmen ipsum p. I. notæ autem p. 1321. Illud; siue carmen, in sermonem solutum conuersum et in *acta sanctorum mai. tom.* II. translatum est.
** præmissa est vita hæc NAZIANZENI *operum tomo* I.
*** in *vitis sanctorum ad* IX. *maii* p. 121.
* in *bibliotheca concionatoria tom.* VI. p. 616.
** inter MELANCHTHONIS *orationes tomo* V. p. 50. Vitembergæ MDXC. 8.

CAESARIS BARONII liber de *vita Nazianzeni, collecta ex ipsomet Gregorio et optimis scriptoribus ecclesiasticis*, ad Gregorium XIII. qui antea lucem haud adspexit; postea autem a *Daniel. Papebrochio* notis illustratus atque editus est: *

GREGORII POLYDORII liber de XIV. *pontificibus*: XIII. *episcopis Gregoriis et Gregorio presbytero*, Florentiae MDXCVIII.

GODFRIDI HERMANTII *vie de saint Gregoire de Nazianze*, Parisiis MDCLXXIV. 4. quam vna cum vita Basilii in lucem emisit, duobus tomis, quemadmodum antea memoraui:

IO. CLERICI *vie de saint Gregoire de Nazianze*, ** quae germanice quoque prodiit: ***

CASIMIRI OVDINI *dissertatio de vita et scriptis sancti Gregorii Nazianzeni, Constantinopolitani episcopi:* *

IO. GOTTOFREDI SCHVPARTI dissertatio de *Gregorio Nazianzeno, cognomento theologo*, Giessae MDCCXXI.

ANDREAE RIVINI *epistola ad Io. Horinschuchium, in qua varia de Gregorio Nazianzeno iudicia et elogia percensentur*, Lipsiae MDCXLIV. 8. Quum de anno, quo Gregorius in lucem editus sit, doctissimi viri disputant, legi hac de re potest: *extrait d'vne lettre manuscrite sur l'epoque de la naissance de saint Gregoire de Nazianze.* **

AMPHILOCHIVS:

Beati Amphilochii, episcopi Iconii, historia aduersus Arianum Eunomiumque et Macedonium, quam sub inscriptione hac *Francisc. Combefisius* ex codice regis Galliae non solum graece et latine iuris publici fecit ac *Metaphrastae* tribuit; *** sed etiam notis illustrauit. * Antiquior tamen Metaphraste

* in *actis sanctor. maii. tom.* II. p. 373.
** in *bibliotheque vniuerselle tom.* XVIII. p. 2.
*** in CLERICI *lebensbeschreibungen einiger kirchenuäter vnd ketzer*, p. 415.
* *commentar. de scriptoribus ecclesiasticis tom.* I. p. 614.
** in *memoires de Treuoux* MDCCVII. *mart.* p. 711.
*** AMPHILOCHII *operum*, Parisiis MDCXLIV. fol. p. 228.
* *ibidem* p. 278.

ſte auctor eſt, quod et poſtea Combefiſius agnouit. Latine quoque *hiſtoria* hæc habetur apud ALOYSIVM LIPOMANNVM:*

CASIMIRI OVDINI *diſſertatio de operibus ſancti Amphilochii, Iconienſis epiſcopi, nomine impreſſis, quæ omnia ad Amphilochium, Photii, patriarchæ Conſtantinopolitani, æqualem, Cizici metropolitam, ſpectare videntur:* **

DIDYMVS *Alexandrinus*:

IACOBI BASNAGII *animaduerſiones in Didymum et eius opera:* ***

MACARIVS, Magnetum epiſcopus:

MAGNI CRVSII *diſſertatio hiſtorico-theologica, exhibens notitiam et θεολογούμενα Macarii Magnetis, ex fragmentis hactenus deperditi operis apologetici pro chriſtiana religione aduerſus gentiles conſcripti, depromta.* Goettingæ MDCCXXXVII. 4.

CHRYSOSTOMVS:

PALLADII, epiſcopi Helenopolitani, Aſponam deinde translati, de *vita ſancti Ioannis Chryſoſtomi dialogus*, qui cum Theodoro, eccleſiæ romanæ diacono, per plures dies Romæ habitus fingitur. Primus eum ex codice Mediceo græce in lucem protulit *Emericus Bigotius* atque alia monimenta antiqua addidit: CHRYSOSTOMI *homiliam in laudem Diodori: Tarachi, Probi et Andronici acta: Bonifacii romani paſſionem:* EVAGRIVM de *octo cogitationibus:* NILVM *de octo vitiis*, Pariſiis MDCLXXX. 4. * Latine Palladium reddidit atque euulgauit AMBROSIVS *Camaldulenſis*, Venetiis MDXXXIII. 8. **

PROCLI *Conſtantinopolitani homilia in ſanctum Chryſoſto-*

* *tomo* V. *de vitis ſanctorum.*

** *commentar. de ſcriptorib. eccleſiaſtic. tom.* II. p. 216.

*** in CANISII *lectionum antiquar.* quas *Baſnagius* denuo edendas curauit, *tom.* I. p. 197.

* vita hæc quoque eſt in CHRYSOSTOMI *operum tomo* XIII. quæ *de Montfaucon* edidit.

** ex editione hac Palladius translatus eſt in LIPOMANNI *vitas ſanctorum tom.* II.

ſostomum; ſiue laudatio eius, quæ latine tantum exſtat; interpres autem haud notus eſt. Dicta illa fuit, quum Chryſoſtomi reliquiæ Conſtantinopolim translatæ eſſent, ac ſæpius in lucem prodiit: *

GEORGII *Alexandrini vita ſancti Ioannis Chryſoſtomi*, quam ita ſcripſit, vt eam fabulis contaminaret ac fidem illius imminueret. Attamen qui in Chryſoſtomi rebus enarrandis verſati ſunt, iſti pleraque hauſerunt ex Georgio hoc, Leo imperator, Metaphraſtes, Zonaras, Glycas, Nicephorus, Cedrenus atque alii. Vitam hanc græce *Henricus Sauilius* primus in lucem emiſit; ** in latinum autem ſermonem eamdem conuertit *Godofredus Tilmannus*, Pariſiis MDLVII. ***

SIMEONIS *metaphraſtæ vita Chryſoſtomi*, ex duobus manuſcriptis regiis græce edita. * Latine illam vertit *Gentianus Heruetus* atque ex hac interpretatione vitam hanc *Aloyſius Lipomannus* ** et *Laurentius Surius* *** ediderunt:

ANONYMI *vita Chryſoſtomi*, quam *Sauilius* primus græce iuris publici fecit. * Scripſit ille poſt Conſtantinum Porphyrogenitum, quum illum commemorat inter ſcriptores, quibus ſe vſum fuiſſe, profitetur:

ANONYMI *epitome breuis vitæ Chryſoſtomi*, latine a *Gentiano Herueto* conuerſa et a *Aloyſio Lipomanno* ** edita:

LEONIS *ſapientis* imperatoris *oratio encomiaſtica*, quam græce publicæ luci expoſuit *Henricus Sauilius* *** atque anim-

* prodiit illa in PROCLI *opuſculis*, quæ *Elmenhorſtius* et *Riccardus* ediderunt: in BARONII *annal. ad ann. chriſt.* CCCCXXXVIII, *tom.* V. p. 676. in COMBEFISII *auctario nouo bibliothec. patrum tom.* I. p. 465.

** in CHRYSOSTOMI *oper. tom.* VIII. p. 157.

*** in SVRII *vitis ſanctorum* d. XXVII. *ianuar.* p. 474.

* in CHRYSOSTOMI *operibus*, a *Sauilio* editis, *tom.* VIII. p. 373.

** in *vitis ſanctor. tom.* V. *ad* XIII. *nouembr.*

*** *vit. ſanctor. tom.* I.

* CHRYSOSTOMI *operum tom.* VIII. p. 293.

** *vit. ſanctorum tom.* V. *ad* XIII. *nouembr.*

*** CHRYSOSTOMI *oper. tom.* VIII. p. 267.

animaduertit, eam ex Georgio, antea memorato, fere collectam fuiſſe, ſine debito iudicio. Eadem latine exſtat, *Gentiano Herueto* interprete: *

IOANNIS *Damaſceni oratio in laudem ſancti Ioannis Chryſoſtomi*, græce et latine: **

PHILOTHEI, patriarchæ Conſtantinopolitani, *in Baſilium, Gregorium theologum et Ioannem Chryſoſtomum laudatio*, quam *Iacobus Pontanus* ad finem PHILIPPI dicti *Solitarii dioptræ* græce ac latine edidit, Ingolſtadii MDCIV. 4. quæque et poſtea in FRONTON. DVCAEI *auctario bibliothecæ patrum*; *** latine autem tantum in *maxima bibliotheca patrum Lugdunenſi* * prodiit. Sequuntur ſcripta de Chryſoſtomo recentioris ætatis:

DESIDER. ERASMI *Roterodami vita diui Ioannis Chryſoſtomi, ex hiſtoriæ, quam tripartitam vocant, libro decimo magna ex parte concinnata, nonnullis adiectis ex dialogo Palladii, epiſcopi Helenopolitani, qui fuerat Chryſoſtomi diſcipulus, et Theodori, romanæ eccleſiæ diaconi*, ** qui et aliis locis *** de Chryſoſtomo diſſerit:

HENRICI SAVILII *admonitio de ſcriptoribus rerum Chryſoſtomi et præſertim Georgio ceteriſque βιογράφοις recentioribus, caute legendis*, quam poſt IACOBI VSSERII de *Chryſoſtomi editionibus, antiquis interpretibus et vitæ ſcriptoribus obſeruationes*, GVIL. CAVEVS * luci publicæ expoſuit:

GEORGII GARNEFELTI *vita Chryſoſtomi, hiſtoricis et chronologicis adnotationibus illuſtrata*, quæ ad eiusdem *vitas eremitarum*, Coloniæ MDCXXI. 8. acceſſit. ** Vitam hanc

 non

* apud LIPOMANNVM in *vitis ſanctorum tom.* V. *ad* XIII. *nouembr.*
** IOANNIS *Damaſceni operum tom.* II. p. 886. edition. *Lequien.*
*** *tom.* II. p. 313.
* *tom.* XXVI. p. 217.
** eſt in eiusdem *libr.* XXVIII. *epiſtola* 4. p. 1592. edition. Londinenſ. MDCXLII. et *oper. tom.* III. *part.* 2. p. 1532. Lugdun. Batau. MDCCIII.
*** *libr.* XXVIII. *epiſtol.* 23. 24. *libr.* XXIX. *epiſtol.* 83. ſq.
* *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor. volum.* I. p. 327.
** p. 232.

non ipse *Garnefelt* descripsit; sed est ea, quam SIMEON *metaphrastes* reliquit ac quam antea commemoraui:

IO. VINCARTII *vita Chrysostomi, documentis moralibus illustrata*, Tornaci MDCXXXIX. 12.

GODFRIDI HERMANTII *vie de saint Iean Chrysostome*, quam sub nomine *Menarti* edidit, Parisiis MDCLXIV. 8. MDLXV. 8. duobus tomis: Lugduni MDCLXXXIII. 8. duobus tomis: *

Vita sancti Chrysostomi, ex Palladio, historia tripartita et aliis fide dignis auctoribus, vna cum specimine doctrinae e scriptis eius collecta, Halae MDCCII. 8. cuius auctor, qui nomen suum omisit, BALTHASAR KOEPKENIVS est:

CHRISTIAN. GVIL. VOLLANDI *dissertationes de Ioanne Chrysostomo* quinque, quibus expositum est: de illius elogio: de vita eiusdem: de veteribus ac fide dignis vitae Chrysostomi scriptoribus: de scriptis Chrysostomi ac de optimis Chrysostomi editionibus. Dissertationes hae publice propositae ac defensae sunt Vitembergae MDCCX. MDCCXI.

BERNARDI DE MONTFAVCON *vita Chrysostomi, nunc primum adornata et multis aucta, antea ignotis, quae ex* XII. *homiliis Constantinopolitanis, nuper repertis, excerpta sunt:* **

CASIMIRI OVDINI *dissertatio critica de vita et operibus sancti Ioannis, archiepiscopi Constantinopolitani, cognomento Chrysostomi:* ***

GOTHOFR. VOCKERODTI *dissertatio de Ioanne Chrysostomo, inuidiae ludibrio*, Gothae MDCXCVII.

IO. HENRICI BARTHII *dissertatio, qua Ioannes Chrysostomus in officio suo sistitur*, Argentorati MDCCXVII.

Discours sur l'exil de saint Chrysostome. * Ad dogmata Chrysostomi pertinent:

IO.

* vide: NICERONII *memoires tom.* III. p. 212.
** exstat CHRYSOSTOMI *operum*, quae *Montfaucon* in lucem emisit, *tomo* XIII. p. 91.
*** *comment. de scriptoribus ecclesiastic. tom.* I. p. 687.
* accessit ad CHRYSOSTOMI *epistolas*, gallice euulgatas, Parisiis MDCCXXXII. 8.

IO. FRIDER. MAYERI *Chryſoſtomus Lutheranus, orthodoxa veritatis aduerſus decreta concilii Tridentini adſertor*, Ienæ MDCLXXX. 4. qui liber GEORGIO HEIDELBERGERO oppoſitus fuit, quum ille *Chryſoſtomum papiſtam* edidiſſet:

IO. FRANCISC. HACKII *Chryſoſtomus, a Lutheraniſmo vindicatus*, in monaſterio Oliuenſi MDCLXXXIII. 4. Mayero oppoſitus:

IO. FRIDERICI MAYERI *apologeticus pro Lutheraniſmo Chryſoſtomi*, Vitembergæ MDCLXXXVI. 4.

LACTANTIVS:

SERVATII GALLAEI *vita Lucii Coelii Lactantii Firmiani*, LACTANTII *operibus*, quæ iſte edidit, Lugduni Batauorum MDCLX. 8. præmiſſa. Vitam hanc et aliæ Lactantii editiones præferunt atque in his THOMAE SPARKII, Oxoniæ MDCLXXXIV. 8.

CHRISTOPHORI CELLARII *excerpta de vita Lactantii*, quæ præmiſſa ſunt LACTANTII *operibus*, editis non ſolum ab ipſo *Cellario*, Lipſiæ MDCXCVIII. 8. ſed etiam a *Chr. Auguſt. Heumanno*, Gœttingæ MDCCXXXVI. 8. et a *Io. Ludolpho Bunemanno*, Lipſiæ MDCCXXXIX. 8.

NICOLAI LENGLET DV FRESNOY *Lactantii vita*, eiusdem *operibus* præmiſſa, quæ iſte in lucem protulit, Pariſiis MDCCXLVIII. 4. In præfatione editionis huius de Lactantii erroribus diſputatur.

GEORG. LVDOVICI GOLDNERI *vita Lactantii*, qua eiusdem librum de *opificio dei*, Geræ MDCCXIV. 8. editum, inſtruxit:

Diatribe de Lactantio eiusdemque ſtilo, a me ipſo conſcripta ac LACTANTII *operibus*, Lipſiæ MDCCXV. 8. præmiſſa:

GEORG. CASPAR. KIRCHMAIERI diſſertatio inſcripta: *Lactantius, de falſa ſapientia philologica cenſura illuſtratus*, Vitembergæ MDCXCVII.

IO. AVGVST. KREBSII *diſſertatio de ſtilo Lactantii Firmiani*, Halæ MDCCII. *

* *memoires de Treuoux* MDCCVI. *iun.* p. 1068. vbi diſſertatio hæc digna iudicatur, quæ editionibus Lactantii adiungatur.

MATTH. NIC. KORTHOLTI *dissertatio de Cicerone christiano; siue eloquentia Lactantii Ciceroniana*, Giessae MDCCXI.

IO. GEORGII GERET dissertationes tres, ad Lactantium spectantes, quarum prima inscripta est: *exercitatio anti-Lactantiana de mendosa eucharistiae Platonicae interpretatione*, ac praeside *Io. Guil. Bergero* defensa, Vitembergae MDCCXXII. secunda: *exercitatio historico-litteraria, qua variorum de Lactantio eiusque theologia iudicia exhibentur*, ibidem eodemque anno: tertia: *specimen examinis theologiae Lactantianae in articulo de deo*, ibidem MDCCXXIII.

IOACHIM. IVSTI RAV *diatribe historico-philosophica de philosophia Lucii Caelii Lactantii Firmiani*, Ienae MDCCXXXIII. 8. cuius commentationis eum ordinem auctor sequutus est, vt postquam generatim de Lactantii philosophia disputauit, speciatim de iis differit, quae ad logicam, doctrinam moralem, physicam, ius naturae et gentium; item ad Lactantii fidem in historia philosophica pertinent. In prolegomenis *icon Lactantii* exhibetur; in fine autem accessit: *diatribe, complectens historiam veterem et recentiorem vocis ὁμοούσιος.* *

NICOLAI NOVRRII *dissertatio in Lactantium*, quae satis longa ac copiosa est. Fuse lateque exponit non solum de Lactantii scriptis, eorum argumentis, manu exaratis codicibus, editionibus, commentariis in illa; sed etiam de eiusdem dogmatibus, erroribus, maxime de ratione, qua pro veritate religionis christianae contra gentes superstitiosas disputauit: **

MERLIN *apologie de Lactance, calomnié en diuers endroits du dictionaire de mr. Bayle:* ***

CHRISTIANI FALSTERI *breuis conspectus errorum Lactantii in theologia:* *

IO.

* *iournal des sauans* MDCCXXXIV. *mai.* p. 40. *samlung von alten vnd neuen theol. sachen*, 1735. p. 231. COLERI *auserlesene theol. bibliothec volum.* VI. p. 646.

** exstat dissertatio haec in eiusdem *adparatu ad bibliothecam maximam patrum tom.* II. p. 571.

*** in *memoires de Treuoux* MDCCXXXVI. *iun.* p. 1220. et *iul.* p. 1400.

* *amoenitat. philolog. volum.* I. p. 111.

IO. DIETERICI WINCKLERI *philologemata Lactantiana sacra, variis locis tum sacri codicis illustrandis; tum Lactantii explicandis corrigendisque inseruientia*, Brunsuigæ MDCCLIV. 8.*

Anthologia Lactantii Firmiani, elegantissimas sententias easque tam pietate; quam doctrina illustres complectens, quam THOMAS BECONVS Lugduni MDLVIII. iuris publici fecisse traditur, cuiusque ea sit ratio, vt quæ Lactantius de deo rebusque diuinis; nec non de christianorum moribus scripsit, ista ad certa capita reuocata sint: **

ANTONII RAVDENSIS libri *Firmiani Lactantii erratorum*, quæ *errata* in editione Lactantii Romana anni MCCCCLXVIII. post capitum argumenta præmissa sunt. ***

OPTATVS *Mileuitanus*:

LVDOV. ELL. DV PIN *præfatio ad Optati libros de schismate Donatistarum*, cura ac studio eius editos primum Parisiis MDCC. et iterum Antuerpiæ; siue potius Amstelodami MDCCII. fol. In præfatione hac DVPINIVS cum de vita; tum de libris Optati distincte commentatus est: adde, *acta sanctorum.* *

HILARIVS *Pictauiensis*:

Vita Hilarii duobus libris, qui nomen FORTVNATI præ se habent; minus autem exploratum est, num vnus; an duo illorum auctores sint: qualis fuerit Fortunatus. Quæ posteriori libro, saltem medio seculo sexto composito, de Hilarii miraculis narrantur, minus fide digna sunt. Eadem vita non solum habetur apud LAVRENTIVM SVRIVM,

* *acta erudiitor.* MDCCLVI. p. 577.

** libri huius mentio fit in *catalogo bibliothec. Lugdun. Batau.* p. 36. editionis MDCCXVI. fol. Plura de eo memorat LENGLETVS DV FRESNOY *præfatione ad Lactantii opera* p. 41. ac iudicat, *anthologiam* hanc eumdem fere librum esse cum IO. GARDEI *collection des fleurs de Lactance Firmian, contenant sentences tres-belles*, 8. adde: WINCKLERI *præfationem ad philologemata Lactantiana* p. 29.

*** vide: FABRICII *bibliothec. latin. volum.* III. p. 394. *bibliothec. latin. mediæ et infimæ ætatis volum.* IV. p. 672. et *syllabum scriptorum de veritate religion. christian.* p. 231. LENGLET DV FRESNOY *præfation. ad Lactantium* p. 7.

* *tom.* I. *iunii* d. IV. p. 396.

RIVM;* sed HILARII quoque *opera*, Parisiis MDCLII. fol. in lucem emissa, præter alias editiones, istam præferunt:

Vita eadem, *cum variis manuscriptis collata et notis illustrata*, studio IOANN. BOLLANDI in *actis sanctorum*:**

DESIDERII ERASMI *Roterodami præfatio ad* HILARII *opera*, quæ Basileæ MDXXIII. ex Frobeniana officina in lucem publicam prodierunt; ***

IO. IACOBI GRYNAEI *vita Hilarii*, præmissa HILARII *operibus*, Basileæ MDLXX. fol. in quam monachi Benedictini grauiorem animaduersionem censoriam adhibuerunt pronuntiaruntque, eam esse *ieiunam*, *aridam*, *imperfectam ac falsam enarrationem:**

IO. GILLOTII *de sancto Hilario*, *Pictauorum episcopo*, *ex eius scriptis et aliorum virorum doctissimorum excerpta et in varias partes distributa commentatio*, quam ille HILARII *operibus*, cura eius Parisiis MDLXXII. fol. publicæ luci expositis, præmisit atque in locum *vitæ Hilarii*, a GRYNAEO elaboratæ, substituit. Adiecit quoque vitam Hilarii ex HIERONYMO ac GREGORIO *Turonensi*, vna cum antea memoratis FORTVNATI libris de *vita Hilarii* ac DAMIANI *sermone* de *translatione reliquiarum Hilarii:*

PETRI COVSTANTII *vita Hilarii*, *ex ipsius scriptis ac veterum monimentis nunc primum concinnata*, luculenta atque adcurata, quam ille cum sodalibus monachis Benedictinis HILARII *operibus*, ipsorum cura editis Parisiis MDCXCIII. fol. præmisit:**

CASIMIRI OVDINI *dissertatio de vita et operibus sancti Hilarii*, *Pictauiensis episcopi*, qua postquam ille Hilarii vitam narrauit, exponit de eiusdem dogmatibus suspectis; aut singularibus: de operum eius variis editionibus: de libris illius, iuxta nouam Parisiensem editionem adhuc exstan-

* in *vitis sanctorum* d. XIII. *ianuar.* p. 180.

** *ad* XIII. *ianuar. tom.* I. p. 752.

*** est *libro* XXVIII. *epistolarum* eius *num.* 8. p. 1631. edition. Londinensis MDCXLII.

* *præfation. general.* §. IX. p. 3.

** adiuncta est iam dictæ *præfationi* p. 84.

ſtantibus ac de libris eiusdem, qui iniuria temporum interciderunt: *

AMBROSIVS:

PAVLLINI, diuerſi a Nolano, Ambroſii notarii ac poſtea presbyteri, *vita ſancti Ambroſii, Mediolanenſis epiſcopi*, ad Auguſtinum conſcripta: **

ANONYMI *vita et inſtitutum ſancti patris Ambroſii, Mediolanenſium epiſcopi*, græce atque auctore, vt eruditiſſimi viri ſuſpicantur, SIMEONE *metaphraſte*. Euulgarunt illam cum latina interpretatione monachi Benedictini: ***

IO. GARCAEI *hiſtoriola de ſancto Ambroſio, epiſcopo Mediolanenſi, propoſita anno* MDLXIX. Vitembergæ MDLXXI. 8.

IO. MARCELLI *oratio de Ambroſio*, cum ERASMI REINHOLDI *oratione de ſophiſtica*, Vitembergæ MDXLI. 8. *

LATINI LATINII *ſententia, num ſanctus Ambroſius Auxentio viuente; an vero mortuo, epiſcopus Mediolanenſis creatus ſit?* **

DESIDERII ERASMI *Roterodami præfatio ad* AMBROSII *opera*, quæ cura illius in lucem prodierunt, Baſileæ MDXXVII. ***

IO. COSTERII *vita Ambroſii*, præmiſſa AMBROSII *operibus*, ad quæ in lucem proferenda ipſe ſtudia ſua contulit, Baſileæ MDLV. et iterum MDLXVII. fol. Editioni huic adiecit præter ERASMI *præfationem*, antea memoratam, *vitam Ambroſii*, quam ipſe conſcripſit ac maxime ex Ambroſii libris collegit, vna cum PAVLLINI *vita Ambroſii*, quam iam recenſui:

CAESA-

* *commentar. de ſcriptorib. eccleſiaſt. tom.* I. p. 426.

** locum obtinuit *vita* hæc in AMBROSII *operum*, quæ monachi Benedictini ediderunt, *adpendice tom.* II. p. I. et in SVRII *vitis ſanctor. ad* IV. *april.* p. 51.

*** itidem exſtat in iam dicta *adpendice* p. 15.

* eſt inter MELANCHTHONIS *præfationes et orationes tom.* II. p. 276. Serueſtæ MDLXXXVII. 8.

** in eius *epiſtolis, coniecturis et obſeruationib.* quæ Romæ MDCLIX. 4. prodierunt, *tom.* I. p. 375.

*** exſtat inter eius *epiſtolas libr.* XXVIII. *num.* 3. p. 1584. edition. Londinenſis.

CAESARIS BARONII *vita Ambrosii*, adiuncta AMBROSII *operibus*, quae Romae ab anno MDLXXX. publicam lucem adspexerunt. Baronius tamen, quum *annales ecclesiasticos* scriberet, in hac *vita* multa emendauit:

GODFRIDI HERMANTII *vie de saint Ambroise, archeueque de Milan*, Parisiis MDCLXXVIII. 4.

GODOFR. HENSCHENII *exercitatio de anno et die mortis Ambrosii Mediolanensis:* *

AVG. CHR. BRVNST *dissertationes, quod Ambrosius, Theodosium a sanctiori coetu excludens, maiestatis; aut aliud graue crimen non commiserit*, Gryphiswaldiae MDCCXX.

MONACHORVM *Benedictinorum vita sancti Ambrosii, Mediolanensis episcopi, ex eius potissimum scriptis collecta et secundum chronologiae ordinem digesta*, qua AMBROSII *opera*, ab ipsis duobus voluminibus edita, Parisiis MDCLXXXVI. et MDCXC. fol. ornarunt. **

HIERONYMVS:

Vita Hieronymi, tributa GENNADIO atque in lucem emissa a IO. MABILLONIO ex duobus manuscriptis codicibus germanicis, *** et a IO. MARTIANAEO cum discrepantibus lectionibus ex quinque codicibus manuscriptis; * sed Gennadium esse auctorem, res est parum certa:

Tres epistolae, ad Hieronymum resque eius spectantes: prima sub nomine EVSEBII de morte Hieronymi ad Damasum: secunda sub AVGVSTINI nomine ad Cyrillum, episcopum Hierosolymitanum, de magnificentiis beati Hieronymi, ac tertia, CYRILLO *Hierosolymitano* adtributa, ad Augustinum de miraculis Hieronymi. Exiguam fidem epistolae hae prae se habent: **

Vita diui Hieronymi, incerto auctore: ***

Eusebii Hieronymi, incomparabilis ecclesiae christi doctoris et eximiae

* quae praemissa est *tomo* I. *actor. sanctor. mens. april.* p. 38.
** est in AMBROSII *operum tom.* II. *adpendice* p. 31.
*** *veter. analect.* p. 194. edit. Parisiis MDCCXXIII.
* HIERONYMI *operum tomo* V. p. 7. edition. MARTIANAEI.
** tres epistolae hae sunt *eodem loco* p. 449. 477. 483.
*** *ibidem* p. 508.

eximiæ ſanctitatis viri, vita, ex ipſius præſertim ſyngrammatis, et ſanctorum item Auguſtini, Damaſi, Gregorii, Gelaſii aliorumque aliquot collecta tractatibus: *

DESIDERII ERASMI *Roterodami vita Hieronymi, ex ipſius potiſſimum litteris contexta:* **

MARIANI VICTORII *vita Hieronymi, ex eius vere ſcriptis edita:* ***

IO. STIGELII *oratio de vita Hieronymi Stridonenſis*, Vitembergæ MDXLVI. 8. *

HIERONYMI DE GVADALVPE *ſanctiſſimi maximique ſanctæ eccleſiæ doctoris Hieronymi, presbyteri Stridonenſis, vita, ex ipſius potiſſimum ſcriptis contexta*, Toleti MDXCVII. 4. **

IO. PHILIPPI THOMASSINI *oratio de laudibus Hieronymi*, Patauii MDCXXX.

MARCI MARVLI *diſſertatio de patria Hieronymi*, cum *Io. Lucii* notis: ***

IOSEPHI DE SIGVENZA *vita Hieronymi*, hiſpanice, Madriti MDXCV. 4. *

IO. CINELLII *vita ſancti Hieronymi*, ſermone italico conſcripta atque edita Florentiæ MDCLXXXVIII. 4. Quum auctor, vt ipſe fatetur, plurima a Mariano Victorio accepit atque ad vſum ſuum transtulit; fuerunt, qui illum adpellarent liberiorem Victorii metaphraſten. Attamen et ſua addidit atque ea de Hieronymo animaduertit, quæ Victorius vel plane non; vel non ſatis adcurate tradiderat: **

IO.

* *ibidem* p. 11.

** præfixa eſt HIERONYMI *operibus*, quæ ab *Eraſmo* in lucem edita ſunt, Baſileæ MDXVI. nouem voluminibus fol.

*** præmiſſa eſt HIERONYMI *operibus*, quæ *Victorius* Romæ ab anno MDLXV. nouem voluminibus edidit. Eſt etiam in SVRII *vitis ſanctorum d.* XXX. *ſeptembr.* p. 336.

* exſtat etiam MELANCHTHONIS *declamation. ſelect. tom.* III. p. 67. Serueſtæ MDLXXXVII. 8.

** recenſet librum hunc ANTONIVS *bibliothec. Hiſpan. nou. tom.* I. p. 443.

*** in LVCII *ſcriptor. rerum Dalmaticarum* p. 457. et in SCHWANDTNERI *ſcript. rerum Hungaric. tom.* III. p. 764.

* vide ANTONIVM *dicto loco* p. 624.

** *acta eruditor.* MDCLXXXIX. p. 249.

IO. MARTIANAEI *vie de ſaint Ierome, pretre ſolitaire et docteur de l'egliſe*, Pariſiis MDCCVI. 4. quae vita adcurate compoſita eſt. Diligenter auctor enarrat Hieronymi ſtudia, itinera, labores, res geſtas, ingenii animique indolem aliaque commemoratione digna, praecipue ex ipſius libris, quos reliquit. * Exſtat etiam MARTIANAEI *lettre, que ſaint Ierome a ecrit en caracteurs latins les citations du texte hebreu:* **

IOSEPHI RENATI *hiſtoria vitae inſignis eccleſiae doctoris, ſancti Hieronymi, ex epiſtolis aliisque operibus viri ſancti eiusdem collecta*, Venetiis MDCCXLVI. 4. lingua italica. Tribus libris opus hoc conſtat horumque *primus* Hieronymi vitae curriculum: *ſecundus* virtutes ac *tertius* miracula eiusdem complectitur. ***

SEBASTIANI DOLCI *maximus Hieronymus, vitae ſuae ſcriptor; ſiue de moribus, doctrina et rebus geſtis diui Hieronymi Stridonenſis, catholicae eccleſiae doctoris maximi, commentarius, ex ipſiſmet eius operibus decerptus, editus, illuſtratus*, Anconae MDCCL. 4. Duae ſunt partes operis huius haeque ſpectant ad Hieronymi vitam, ſtudia, res geſtas, in primis ad varias illius controuerſias, quae diligenter enarrantur. Acceſſerunt *vindiciae*, quibus eius ſcripta a Dallaei, Blondelli aliorumque cenſuris auctor defendere adnititur*

CASIMIRI OVDINI *diſſertatio de ſcriptis ſancti Hieronymi presbyteri*, quam eam ob cauſſam adduco, quoniam etiam de vita Hieronymi exponitur. **

AVGVSTINVS:

AVGVSTINI ipſius libri, cum *confeſſionum*, quibus magnam partem vitae ſuae commemorauit; tum *retractionum*, quibus hiſtoriam ſcriptorum ſuorum illuſtrauit:

POS-

* *memoires de Treuoux* MDCCVII *ianuar.* p. 3. *iournal des ſauans* MDCCVI. *aug.* p. 780. BAVMGARTENII *nachrichten von merckwürdigen büchern volum.* VIII. p. 45.

** *iournal des ſauans* MDCXCI. *ianuar.* p. 5.

*** *acta eruditor.* MDCCXLIX. p. 145.

* *acta eruditor.* MDCCLIII. p. 329. KRAFTII *theologiſche bibliothec. volum.* VII. p. 282.

** *commentar. de ſcriptorib. eccleſiaſtic. tom.* I. p. 790.

POSSIDII, Auguſtini diſcipuli ac familiaris, Calamæ, vrbis, prope Hipponem ſitæ, epiſcopi, *vita* atque *indiculus ſcriptorum Auguſtini*, quod vtrumque opuſculum non ſolum plerumque cum AVGVSTINI *operibus* editum eſt;* ſed etiam in alios libros translatum ** ac ſeparatim ſtudio *Io. Salinas* in lucem emiſſum, hac inſcriptione: *Aurelii Auguſtini, Hipponenſis epiſcopi, vita, auctore Poſſidio, Calamenſi epiſcopo, ad manuſcriptos codices recenſita notisque illuſtrata*, Romæ MDCCXXXI. 8.***

IORDANI, eremitæ Auguſtiniani, ſeculo quarto ac decimo celebris, *vita Auguſtini*, Pariſiis MCCCLXX. ſcripta atque a *Iacobo Hommey* * in lucem edita:

IO. SAXONIS, id eſt, PHILIPPI MELANCHTHONIS, *oratio de vita Auguſtini.* **

IO. FREDERI *oratio de ſancto Auguſtino*, de vita eius ac doctrina, quæ recitata quidem eſt a FREDERO anno MDLXXVIII. conſcripta autem a DAVID. CHYTRAEO, hancque ob rem inter huius *orationes* *** locum obtinuit:

CORNELII LANCILOTTI *vita ſancti Aurelii Auguſtini, Hipponenſis epiſcopi*, Antwerpiæ MDCXVI. 8.

WILIBALDI MAIERI *Aurelii Auguſtini vita, iconibus olim illuſtrata et iam fuſius explicata*, Ingolſtadii MDCXXXI.

IO. RIVII *vitæ Aurelii Auguſtini, ex operibus concinnatæ rerumque ab eo geſtarum et ſcriptarum libri* IV. Antuerpiæ MDCXLVI. 4.

ANTONII GODEAV *vie de ſaint Auguſtin*, Pariſiis MDCLII. 4. et Lugduni MDCLXXXV. 8.

ANONYMI *vita glorioſiſſimi patris ſancti Auguſtini*, Paleſtrinæ MDCCXXIII. 4. lingua italica *

MONA-

* *vitam* hanc vna cum *indiculo* præcipue Benedictini monachi, ad codices manu exaratos diligenter recenſitam, exhibent AVGVSTINI *operum tom.* X. p. 164.
** in SVRII *vitas ſanctorum* d. XXVIII. *auguſti* p. 302.
*** *acta eruditor.* MDCCXXXIV. p. 18.
* in *ſupplemento patrum* p. 569.
** in MELANCHTHONIS *orationibus*, Argentorati MDXLI. editis, p. 291 ac Serueſtæ MDLXXXVII. *tom.* II. p. 257.
*** p. 589. adde SCHVTZII *vitam Chytræi libro* II. p. 577.
* *ſamlung von alten vnd neuen theolog. ſachen*, 1725. p. 73.

MONACHORVM *Benedictinorum ſancti Aurelii Auguſtini, Hipponenſis epiſcopi, vita, ex eius potiſſimum ſcriptis concinnata,* quæ copioſe omnique ſtudio atque adcuratione elaborata ac compoſita eſt. Octo libri ſunt operis huius; nec de Auguſtino, eius fatis, ſtudiis, controuerſiis, ſcriptis, rebus aliis quidquam, commemoratione dignum, prætermiſſum eſt. * Præter hos, alii ſcriptores vitæ Auguſtini adducuntur atque in his nominantur:

EDMVNDVS NEVILLVS, GEORG. MITWEILER, GER. MORINGVS; LVDOVIC. DE ANGLIS, MARTIN. CORNEIVS, MARTIN. FRECHTVS, SANCHEZ DE AVILA, a quibus ac reliquis recenſendis merito abſtineo, vti et ab encomiaſtis Auguſtini. ** Enarro potius ſcripta, quibus ſingularia de Auguſtino argumenta explanantur, cuius generis ſunt:

IVSTI FONTANINI *diſquiſitio de corpore ſancti Auguſtini, Ticini reperto,* Romæ MDCCXXVIII. 4. Quum Auguſtiniani monachi famam diſſeminarent, Auguſtini ſepulcrum corpusque Ticini repertum eſſe; multi autem, in ipſa Italia, immo in vrbe Ticino, negarent, hoc eſſe ſepulcrum ſancti viri, auctor dicta disquiſitione omnes vires ad id adhibuit, vt aliis perſuaderet, verum Auguſtini corpus nuper omnino inuentum atque e terra erutum fuiſſe: ***

Collectio actorum atque allegatorum, quibus, oſſa ſacra, Ticini in confeſſione ſancti Petri in cælo aureo MDCXCV. *reperta, eſſe ſacras ſancti Auguſtini, Hipponenſis epiſcopi et eccleſiæ doctoris, exuuias, probatum eſt et nouiſſime iudicatum,* Venetiis MDCCXXIX. 4. duabus partibus. Luculentam præfationem opus hoc præ ſe habet, quam *Fulgentius Bellellius* conſcripſit eaque hiſtoriam controuerſiæ huius illuſtrauit atque oſtendit, multa hac de re diſputata eſſe ac litteris conſignata: *

FER-

---

* vitam hanc AVGVSTINI *operum,* quæ cura monachorum Benedictinorum prodierunt, *tomus* XI. editionis Antuerpienſis complectitur: confer *acta erudítor.* MDCCI. p. 248.

** vide: FABRICII *bibliothec. latin. volum.* III. p. 519.

*** *acta eruditorum* MDCCXXX. p. 91. *ſupplement du iournal des ſauans* MDCCXXIX. p. 620.

* *acta eruditor.* MDCCXXXI. p. 215.

FERRANDI *lettre au comte de Beauuais, si saint Augustin a ete moine:* *

IO. MARTINI CHLADENII *dissertatio de fortuna bibliothecæ Augustini in excidio Hipponensi*, Lipsiæ MDCCXLII.

DE VITRY *dissertation critique sur le tems, au quel saint Augustin acheua ses liures du libre arbitre:* **

IACOB. GVIL. FEVERLINI *disquisitio historico-critica de libris hypognosticon, an ab Hincmaro, in augustana confessione et alibi recte tribuantur diuo Augustino*, Altorfii MDCCXXXV.

HENRICI NORISII *somnia quinquaginta* F. *Macedo in itinerario sancti Augustini post baptismum Mediolano Romam*, quod ingenii monimentum Norisius sub nomine *Fulgentii Fossei* ad Io. Mabillonium Lugduni Batauorum; siue potius Parisiis MDCLXXXVII. 4. et iterum in fine *historiæ Pelagianæ*, MDCCII. denuo descriptæ, iuris publici fecit. *** Refutatur ab eo FRANCISCVS MACEDO ac contra *itinerarium Augustini*, quod ille operi de *mysterio incarnationis* adiecerat, veluti narrationem non veram; sed falsam disputatur.

RVFINVS:

La vie de Rufin, pretre de l'eglise d'Aquilée, Parisiis MDCCXXIV. 12. duobus voluminibus: *

IVSTI FONTANINI *historiæ litterariæ Aquileiensis libro quarto ac quinto*, vbi copiosior narratio habetur de Rufino, vita eius pariter ac scriptis, Romæ MDCCXLII. 4.

PAVLLINVS *Nolanus:*

VRANII *presbyteri epistola de obitu sancti Paullini ad Pacatum*, quæ non solum in PAVLLINI *operibus*; sed etiam a LAVRENTIO SVRIO ** atque ex manuscripto Trecensi edita a *Petro Francisc. Chiffletio*, collata quoque

* in *iournal des sauans* MDCLXXXVIII. *aug.* p. 336.
** in *memoires de Treuoux* MDCCXVII. *nouembr.* p. 1906. et *iournal des sauans* MDCCXVIII. *iul.* p. 27.
*** est quoque illud in NORISII *operum omnium tomo* III. p. 1181. Veronæ MDCCXXIX. fol.
* *iournal des sauans* MDCCXXV. *april.* p. 391.
** in *vitis sanctorum ad diem* XXII. *iunii* p. 285.

cum aliis codicibus manuſcriptis notisque *Dan. Papebrochii* illuſtrata eſt: *

FRANCISC. SACCHINI *vita ſancti Paullini, ex ipſius ſancti ſcriptoris et veterum elogiis concinnata*, quae cum PAVLLINI *operibus* ** et cum animaduerſionibus *Dan. Papebrochii* *** in lucem prodiit:

PETRI FRANCISC. CHIFFLETII *Paullinus illuſtratus; ſiue adpendix ad opera et res geſtas ſancti Paullini Nolani*, Diuione MDCLXII. 4.

Sancti Pontii Meropii Paullini, ſenatoris et conſulis romani, deinde Nolani epiſcopi, vita, ex ipſius ſancti et veterum ſcriptorum operibus concinnata, quam inſcriptionem *vita* prae ſe fert, PAVLLINI *operibus*, Veronae MDCCXXXVI. fol. editis, praemiſſa.

IO. BAPTISTAE LE BRVN *vita Paullini*, ſeparatim gallice publicae luci expoſita, Pariſiis MDCLXXXVI. 8. *

EIVSDEM *diſſertationes in ſancti Paullini vitam et ſcripta*, quae variam multamque lucem Paullino rebusque eius adferunt. Septem ſunt illarum: *prima* de Paullini epiſtolis; ſiue earum ordine chronologico: *ſecunda* de poematibus eiusdem; ſiue eorum ordine chronologico: *tertia* de Sulpicio Seuero et Alethio presbyteris, ad quos ſcripſit Paullinus: *quarta*: quis fuerit Victricius, ad quem Paullinus ſcripſit epiſtolas binas: *quinta*: quis fuerit Aper, ad quem Paullinus tres epiſtolas dedit: *ſexta* de operibus Paullini amiſſis, dubiis et ſuppoſititiis: *ſeptima* de Paullini captiuitate, quo tempore illa acciderit: **

LVDOVICI ANTONII MVRATORII *diſſertationes ad Paullini poemata*, quarum nonnullae ad ipſum Paullinum ſpectant ac varias illius res illuſtrant, vti *nona* de Paullini dignitatibus: *decima* de Paullino, Campaniae conſulari: *vndecima* de reliquis Paullini rebus geſtis: *duodecima* de tempore ſuſcepti a Paullino epiſcopatus: *tertia et decima*

* in *actis ſanctorum menſ. iun. tomo* IV. p. 198.
** a *Rosweido* editis, Antuerpiae MDCXXII. fol.
*** et cum adpendice de tribus Paullinis, Nolae epiſcopis ſanctis, in *actis ſanctor. iun. tom.* IV. p. 202.
* *iournal des ſauans* MDCLXXXVII. p. 442.
** LE BRVN diſſertationes has PAVLLINI *operibus*, ab ipſo Pariſiis MDCLXXXV. editis, addidit.

decima de ædificiis, Nolæ a Paullino conditis: *vigeſima* de Paullini ſententia in elementorum numero adſignando: *ſecunda ac vigeſima*, quæ ſpicilegium ex operibus Paullini deperditis exhibet. *

La vie de ſaint Paullin, eueque de Nole, avec l'analyſe de ſes ouurages et trois diſſertations ſur quelques points importans de ſon hiſtoire, Pariſiis MDCCXLIII. 4. ** Memoratur etiam HENRICI VAVGHAN *vita Paullini*, anglice edita Londini MDCLIV. 8.

§. VIII.

Numerus eorum doctorum, qui antiquiori ciuitati chriſtianæ bene conſuluerunt ac laudem meritorum nominisque famam præ aliis conſequuti ſunt, ſeculo quinto non tantus fuit, quantus ſuperiore ætate exſtiterat. Inter Græcos inprimis celebres ſunt: Syneſius, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Iſidorus Peluſiota; inter latinos autem: Sulpicius Seuerus, Prudentius, Oroſius, Marius Mercator, Caſſianus, Leo I. Saluianus, Alcimus Auitus, quos iam nominatos eam ob cauſſam tantum ad locum hunc refero; reliquos autem omitto, quoniam maxime de illis ſingularia ſcripta ad nos peruenerunt. Sunt illa, quæ nunc ſequuntur:

SYNESIVS *Cyrenenſis:*

LVCAE HOLSTENII *diſſertatio de Syneſio et fuga epiſcopatus:* ***

MARTINI CHLADENII *theologumena Syneſii Cyrenenſis*, Vitembergæ MDCCXIII.

PETRI ADOLPHI BOYSEN *philoſophumena Syneſii Cyrenenſis*, Halæ MDCCXIV.

CYRILLVS *Alexandrinus:*

Vita ſancti Cyrilli, patriarchæ Alexandrini, ex variis auctoribus congeſta: *

* exſtant diſſertationes hæ in eius *anecdot. latin. tom.* I. p. 141.

** *memoires de Treuoux* MDCCXLIV. *auguſt.* p. 1419.

*** eſt inter HOLSTENII tres *diſſertationes*, EVAGRIO *Valeſii* adiectas.

* in *actis ſanctorum d.* XXVIII. *ianuar.* p 843. vbi BOLLANDVS de Cyrillo hec copioſe differit.

CASIMIRI OVDINI *dissertatio de vita et scriptis sancti Cyrilli, Alexandrini episcopi:* *

HENRICI BENZELII *vindiciæ Cyrilli Alexandrini, Gothofredo Arnoldo oppositæ.* **

THEODORETVS, Cyri episcopus:

VICTORIN STRIGELII *vita Theodoreti, ex Euagrio, Nicephoro, Gennadio et aliis auctoribus collecta.* Edidit ille THEODORETI *dialogos* græce, Lipsiæ MDLXVIII. 8. ac sub idem tempus separatim latinam suam interpretationem eique, quam memoraui, THEODORETI *vitam* præmisit:

IO. SOMMERI *oratio de sancto Theodoreto et multiplici vsu trium eius dialogorum:* ***

IACOBI SIRMONDI *vita Theodoreti, ex eius potissimum epistolis concinnata:* *

IO. GARNERII *dissertationes quinque*, quæ historiam de Theodoreto illustrant: *prima* de vita Theodoreti: *secunda* de libris Theodoreti: *tertia* de fide Theodoreti: *quarta* de quinta synodo generali: *quinta* de Theodoreti et orientalium caussa: **

CASIMIRI OVDINI *dissertatio de vita et operibus Theodoreti, Cyrensis episcopi:* ***

ISIDORVS *Pelusiota:*

GODEFRID. HENSCHENII *de sancto Isidoro Pelusiota commentarius historicus:* *

CHRISTOPHOR. AVGVST. HEVMANNI dissertatio de *Isidoro Pelusiota et eius epistolis, quas maximam partem fictitias esse, demonstratur*, Gœttingæ MDCCXXXVII.

SVL-

* *commentar. de scriptoribus ecclesiastic. tom.* I. p. 1007.

** *syntagmat. dissertation. academic. tom.* II. p. 375.

*** exstat inter *orationes Vitembergens. tom.* VII. p. 377. Seruestæ MDLXXXVI. 8.

* præmissa est THEODORETI *operum tomo* I. Parisiis MDCXLII. fol.

** locum obtinuerunt *dissertationes* hæ in THEODORETI *operum tomo* V. p. 109. sqq. qui cura *Garnerii* lucem adspexit, Parisiis MDCLXXXIV. fol.

*** *commentar. de scriptorib. ecclesiastic. tom.* I. p. 1051.

* in *actis sanctorum februar. tom.* I. p. 468.

SVLPICIVS SEVERVS:

DAN. GVIL. MOLLERI *dissertatio de Sulpicio*, Altorfii MDCLXXXVI.

HERIBERTI ROSWEIDI *notæ ad Paullinum*, in quarum principio plures sunt ad Sulpicium epistolæ: *

IO. CLERICI *remarques sur la vie et les ouurages de Sulpice Seuere*, ** quæ animaduersiones in *diarium* quoque *Londinense* a MICHAEL DE LA ROCHE translatæ sunt: ***

CHRIST. BREITHAVPTII *dissertatio*, *qua stilus Sulpicii Seueri omnibus elegantioris litteraturæ cultoribus commendatur*, Halæ MDCCXIII.

IO. IACOBI WELLERI *dissertatio*, *qua perpetui silentii votum*, *Seuero Sulpicio adsertum et improbatum*, *expenditur*, Altorfii MDCCXXIV.

TRICAVTII abbatis dissertatio de *vita et scriptis Sulpicii*, recitata in academia scientiarum Lugdunensi anno MDCCXIX. d. VI. iun. vbi auctor etiam de eo disserit, quod Sulpicium Seuerum, qui a multis inter sanctos colitur, ex romano martyrologio expunxit Vrbanus VIII. pontifex. *

Aurelius PRVDENTIVS *Clemens:*

ALDI MANVTII *vita Prudentii*, eius *operibus* præmissa: **

Vita Prudentii, breuiter conscripta atque dictis *operibus* itidem præfixa: ***

IO. CLERICI *vie de Prudence*, *auec la critique de ses ouurages*, * quæ et non solum separatim prodiit Amstelodami MDCLXXXIX. 12. sed etiam in sermonem germanicum conuersa est: **

* in editione PAVLLINI, Antuerpiæ MDCXXII. 8.
** *bibliotheque choisie tom.* XX. p. 325.
*** in *memoirs of litterature tom.* I. p. 61. ann. MDCCX.
* vide: FABRICII *bibliothec. latin. volumin.* III. p. 734.
** quæ edita sunt ab ipso *Aldo* et a *Weitzio*.
*** vitam hanc præ se ferunt PRVDENTII *opera*, quæ studio *Chamillardi* in vsum Delphini Parisiis MDCLXXXVII. prodierunt.
* *bibliothequ. vniuers. tom.* XII. p. 136.
** in CLERICI *deutsch vbersezten lebensbeschreibungen einiger kirchenväter* p. 338.

IO. PETRI LVDOVICI *dissertatio de vita Aurelii Prudentii Clementis*, Vitembergæ MDCXCII. *

NICOLAI HIERONYMI GVNDLINGII *obseruatio de patria Aurelii Prudentii Clementis.* **

PAVLLVS OROSIVS:

DAN. GVIL. MOLLERI *dissertatio de Paullo Orosio*, Altorfii MDCLXXXIX.

PAVLL. IGNAT. DE DABONASSES ET RO *dissertatio historica de patria Orosii*, edita hispanice, Barcinone MDCCII. fol. ***

NICOL. HIERONYMI GVNDLINGII *cogitationes de Orosii Hormesta:* *

CHRIST. AVGVST. HEVMANNI *programma, quo Paullo Orosio nomen tertium Hormisdæ restituitur*, Gœttingæ MDCCXXXII.

MARIVS MERCATOR:

Vita Marii Mercatoris, quam IO. GARNERIVS litteris mandauit in *præfatione* ad MARII MERCATORIS *opera*, quæ ille edidit, Parisiis MDCLXXIII. fol. duabus partibus:

Vita eiusdem, conscripta a STEPHANO BALVZIO, itidem in *præfatione* ad MARII MERCATORIS *opera*, quæ ille iuris publici fecit, Parisiis MDCLXXXIV. 8.

IOANN. CASSIANVS:

ALARDI GAZAEI *præfatio* ad CASSIANI *opera*, quæ ille in lucem emisit atque illustrauit Duaci MDCXVI. 8. duobus voluminibus: iterum cum notis auctioribus Atrebati MDCXXVIII. fol. Parisiis MDCXLVII. fol. Lipsiæ MDCCXXII. fol. Ibi notitia de Cassiano ac rebus eius suppeditatur:

GVIL. CVPERI commentarius de *Ioanne Cassiano:* **

IO. BAPTISTAE GVESNAY *sanctus Ioannes Cassianus illu-*

* est quoque in eius *opuscul. miscell. tom.* II. p. 493.

** in *der neuen bibliothec part.* XXVI. p. 475. et in GVNDLINGII *obseruat. select. tom.* III. p. 53.

*** librum hunc memorat FABRICIVS *bibliothec. latin. volumin.* III. p. 535.

* *Gundlingi in. part.* XXV. p. 439.

** qui est in *actis sanctorum ad diem* XXIII. *iulii*, *tom.* V. p. 458.

illustratus, Lugduni MDCLII. 4. quo libro auctor de ipso Cassiano, maxime de eius doctrina exponit hancque veram atque ab omni errore, in primis semipelagianorum, alienam esse, aliis conatur persuadere. Eam obcaussam HENRIC. NORISIVS acriter in eum inuehitur: *

CASIMIRI OVDINI *dissertatio de vita, scriptis et doctrina Ioannis Cassiani, abbatis Massiliensis, semipelagianorum principis:* **

LEO I. *magnus.*

PASCHASII QVESNELLI *dissertatio de vita et rebus gestis sancti Leonis magni, ecclesiae romanae episcopi, in qua seruato annorum ordine cum praeclare ab eo gesta; tum scripta eius singula recensentur*, quae cum diligentia atque adcuratione conscripta est resque illius temporis ecclesiasticas illustrat: ***

LVDOVICI MAIMBVRGII *histoire du pontificat de saint Leon le grand*, Parisiis MDCLXXXVII. 4. et in 12. et Hagae comitum in 12.*

PETRI CANISII *vita Leonis magni, cum commentario praeuio et adnotatis Godefr. Henschenii:* **

Historia eleuati et translati corporis sancti Leonis, ex manuscripto catalogo ecclesiae sancti Petri: ***

LVDOVICI SERGARDI *ragguaglio della solenne translazione del corpo di s. Leone magno, seguita gli* II. *aprile* MDCCXV. *nella basilica Vaticana*, Romae MDCCXV. 4.

SALVIANVS:

STEPHANI BALVZII *vita Saluiani*, quam ille enarrauit in *praefatione*, SALVIANI *operibus* praemissa, Parisiis MDCLXXXIV. 8. eorundem editioni Bremensi MDCLXXXVIII. 4.

Vita Saluiani simulque generale argumentum librorum VIII.

 de

* *libr.* II. *histor. Pelagian. variis capitib.*

** *commentar. de scriptorib. ecclesiastic. tom.* I. p. 1133.

*** exstat inter *dissertationes*, quas QVESNELLVS transtulit in LEONIS *operum*, ab ipso editorum, *tomum* II. ibique primum locum occupat p. 131. Lugduni MDCC.

* *acta eruditor.* MDCLXXXVII. p. 610.

** in *actis sanctorum april. tom.* II. p. 14.

*** etiam in *actis sanctorum april. tom.* II. p. 21.

de prouidentia, gubernatione ac iudicio dei et demonſtratio, quod libri IV. *ſub nomine Timothei editi, ipſius ſint Saluiani:* *

ALCIMVS ECDICIVS AVITVS:

Vita ſancti Auiti, ex veteri manuſcripto expreſſa, cuius auctor incertus eſt. **

§. IX.

Enumeratis adhuc veterum chriſtianorum doctoribus ac ſcriptoribus ii adiungendi ſunt, qui ſeculo poſt natum chriſtum ſexto floruerunt ſibique itidem meritorum laudem conciliarunt. Inter Græcos locum hunc ſibi fecerunt: Procopius Gazæus, Anaſtaſius Sinaita, ſenior, Leontius Byzantinus, Leontius Cyprius, Euagrius; inter latinos autem ſcriptores: Cæſarius, Fulgentius, Boethius, Ennodius, Caſſiodorus, Venantius Fortunatus, Gregorius magnus, Iſidorus Hiſpalenſis. De his quoque ſingulares commentationes eruditiſſimorum virorum lucem viderunt.

PROCOPIVS *Gazæus:*

CHORICII *ſophiſtæ oratio funebris in Procopium Gazæum, ſophiſtam, Io. Chriſtiano Wolfio interprete:* ***

ANASTASIVS *Sinaita* ſenior:

IACOBI BASNAGII *obſeruatio de duplici Anaſtaſio, Antiocheno et Sinaita.* *

LEONTIVS *Byzantinus:*

HENRICI CANISII *obſeruatio de Leontio*, Byzantino nimirum: **

IACOBI BASNAGII *obſeruationes in Leontium*, itidem Byzantinum: ***

CAE-

* quæ præmiſſa ſunt SALVIANI *operibus*, Bremæ MDCLXXXVIII. in lucem editis.

** in LABBEI *nou. bibliothec. manuſcriptor. libror. tom.* I. p. 693. adde *acta ſanctor. d.* V. *febr. tom.* I. p. 660.

*** habetur in FABRICII *bibliothec. græc. volum.* VIII. p. 841.

* in CANISII *lection. antiquar. tom.* I. p. 433.

** *ibidem tom.* I. p. 529.

*** *ibidem* p. 531.

CAESARIVS *Arelatensis:*

Vita sancti Caesarii, episcopi Arelatensis, a Cypriano, eius discipulo, et Messiano presbytero et Stephano diacono conscripta, duobus libris, quae apud LAVRENT. SVRIVM est: *

CASIMIRI OVDINI *dissertatio de vita et scriptis sancti Caesarii, Arelatensis archiepiscopi.* **

Lettre de M. - - - pretre du diocese de Riez sur ce, qui est dit des saints Fauste de Riez et Cesaire d'Arles dans l'histoire litteraire de France: ***

FVLGENTIVS *Ruspensis:*

Fulgentii episcopi Ruspensis vita, a quodam eius discipulo conscripta ad Felicianum, episcopum, sancti Fulgentii successorem. Auctor illius nonnullis Ferrandus, ecclesiae Carthaginensis diaconus videtur; rationes autem, cur hoc adfirment illi, alii non satis ad probandum valere, statuunt. *

BOETHIVS:

IVLII MARTIANI ROTAE *vita Boethii,* quae fabulis contaminata est atque exiguam fidem prae se habet: **

PETRI BERTII copiosa *praefatio* ad BOETHII *libros de consolatione philosophiae,* Lugduni Batauorum MDCXXXIII. 16. qua de Boethio eiusque scriptis exponitur: ***

DAN. PAPEBROCHII *commentarius historicus, quo agitur de Symmacho et Seuerino Boethio:* *

Nachricht von ankunft, leben vnd todt Seuerini Boethii, quae notitia praemissa est interpretationi germanicae librorum

* in *vitis sanctor.* d XXVII. *august.* p. 284.
** *commentar. de scriptorib. ecclesiast. tom.* I. p. 1339.
*** *memoires de Treuoux* MDCCXXXVI. *iul.* p. 1541.
* vita haec exstat quoque in SVRII *vitis sanctor. ad ianuar.* p. II. in *actis sanctor. ianuar. tom.* I. p. 32. ante FVLGENTII *opera,* Parisiis MDCLXXXIV. 4. in *bibliothec. patrum maxim. Lugdunens. tom.* IX. p. 4.
** est ante BOETHII *opera,* Basileae MDLXX. fol. et ante libros de *consolatione philosophiae,* Antuerpiae MDCVII. 8.
*** eadem praefatio praemissa legitur editioni cum notis *Sitzmanni* et variorum, vulgatae Lugduni Batauorum MDCLXXI. 8.
* *act. sanctorum maii tomo* VI. p. 702.

rum de *consolatione philosophiæ*, studio *Christ. Knorrii de Rosenroth* compositæ ac præterito illius nomine, in lucem emissæ, Salisbaci MDCLXVII. 12. ac Luneburgi MDCXCVII. 8.

IO. CLERICI *vie de Boëce, auec la critique de ses ouvrages:* *

Histoire de Boëce, senateur Romain, auec l'analyse de tous ses ouurages, des notes et des dissertations historiques et theologiques, Parisiis MDCCXV. 12. quinque voluminibus. Auctor, qui abbas GERVAISE esse traditur, Boethii res præ ceteris diligenter narrauit historiamque in tres libros diuisit.

ENNODIVS:

Vita Ennodii, episcopi Ticinensis, a IACOBO SIRMONDO composita atque *operibus* illius præmissa, Parisiis MDCXI. 8. **

CASSIODORVS:

IO. CVSPINIANI *vita M. Aurelii Cassiodori*, quæ præmissa est CASSIODORI *chronico*, cum *Cuspiniani* commentario, Francofurti MDCI. fol.

IO. GARETII *magni Aurelii Cassiodori, senatoris, exquæstoris, exconsulis, exmagistri officiorum, expræfecti prætorio et patricii, ac deinde Viuariensis; seu Castelliensis monasterii fundatoris et abbatis vita*, quam GARETIVS conscripsit; in duas diuisit partes ac CASSIODORI *operibus*, quum illa in lucem emitteret, Rothomagi MDCLXXIX. fol. duobus tomis, præmisit. Non mediocrem industriam atque adcurationem probauit:

EIVSDEM *dissertatio de magni Aurelii Cassiodori senatoris vita monastica*, quæ memoratæ editioni CASSIODORI *operum* itidem addita est:

DANIEL. GVIL. MOLLERI *dissertatio de magno Aurelio Cassiodoro*, Altorfii MDCLXXXVI.

DIONYSII SAMMARTHANI *vie de Cassiodore, chancelier et premier ministre de Theodoric le grand et de plusieurs auteurs*

* *bibliothequ. choisie tom.* XVI. p. 194.

** atque in aliis editionibus, quæ sunt in SIRMONDI *operum tom* I. in *bibliotheca patrum maxima Lugdunens. tom.* IX. p. 312. adde: *acta sanctorum iulii* XVII. *tomo* IV. p. 271.

auteurs rois d' Italie, ensuite abbé de Viuiers. Auec vn abregé de l' histoire des princes, qu'il a serui, et des remarques sur ses ouurages, Parisiis MDCXCIV. 12. quæ vita, vtpote diligenter ac cum iudicio composita, multum se commendauit.

VENANTIVS *Honorius Clementianus Fortunatus:*

CHRISTOPHOR. BROWERI *vita Venantii Honorii Clementiani Fortunati*, sex capitibus distincta, quibus exponitur de Venantii nomine, genere et patria: de eius educatione, studiis, peregrinatione, aduentu et commoratione in Germania ac Gallia, ingenii et animi dotibus, opusculis et libris, ab isto scriptis ac denique de extrema ætate episcopatus et obitu. Vitam hanc BROWERVS conscripsit ac VENANTII *operibus* præmisit, quæ ille euulgauit Moguntiæ MDCIII. 4. et iterum emendatiora cum RABANI MAVRI *pœmatis sacris* MDCXVII. 4.*

GREGORIVS I. *magnus:*

PAVLLI WARNEFRIDI, diaconi monachi Casinensis, *sancti Gregorii papæ vita*, quæ breuior est sæpiusque in lucem edita, vel sub PAVLLI nomine ac cum notis, cura monachorum Benedictinorum ** ac speciatim IO. MABILLONII; *** vel sine indicio scriptoris, cum commentario de sancto Gregorio studio IO. BOLLANDI.* De auctore vitæ huius disputatur, aliis adfirmantibus, scriptam illam esse a PAVLLO; aliis animos, hac de re non plane certos, significantibus. Spectant huc MABILLONII *vindiciæ vitæ Gregorianæ, Paullum diaconum auctorem præferentis:***

IOANNIS, monachi Casinensis ac postea diaconi ecclesiæ romanæ, *sancti Gregorii papæ vita*, libris quatuor, itidem

---

* cum vita hac exstant VENANTII *opera* in *maxim. bibliothec. patrum tom.* X. p. 520.

** GREGORII *operum tom.* IV. *part.* I. p. I.

*** in MABILLONII *actis ordinis Benedict. secul.* I. p. 385.

* *act. sanctor. mart. tom.* II. p. 130.

** sunt illæ in eiusdem *veteribus analectis* p. 498. edition. Paris. MDCCXXIII. fol.

itidem ſæpe litteris deſcripta atque ad vſum publicum translata: *

ANONYMI *vita ſancti Gregorii magni pontificis maximi, ab incerto auctore conſcripta et a Caniſio primum in lucem edita ex membranis manuſcriptis monaſterii Petruſiani*, cum IACOBI BASNAGII *obſeruatione* de hac vita, qua diſputatur contra ſententiam Mabillonii, vitam, a Caniſio editam, diuerſam eſſe ab ea, quæ *Paulli* nomen præferat atque a Mabillonio in lucem emiſſa ſit: **

Zachariæ, incertæ ſedis epiſcopi, ſermo de ſancto Gregorio magno, ex manuſcripto codice monaſterii ſancti Emmerammi Ratisbonæ. *** Exempla horum antiquiorum ſcriptorum recentiores ſequuti atque itidem in rebus Gregorii magni enarrandis verſati ſunt, quod varia eorum monimenta, ad nos delata, comprobant. Spectant huc:

THEODORI PETREII *confeſſio Gregoriana; ſiue de Gregorii magni doctrina*, Coloniæ MDXCVII. MDCV. 8.

PETRI MOLINAEI, patris, *vie et religion de deux bons papes, Leon* I. *et Gregoire* I. Sedani MDCL. 12. vbi auctor oſtendit, pontifices hos ea ſtatuiſſe, quæ dogmatibus romanis hodiernis repugnent:

LVDOVICI MAIMBVRGII *hiſtoire du pontificat de ſaint Gregoire le grand*, Pariſiis MDCLXXXVI. 4. et Amſtelodami eodem anno 12. quæ hiſtoria quatuor libris abſoluitur: *

DIONYSII SAMMARTHANI *hiſtoire de ſaint Gregoire le*

---

* exſtat illa: in SVRII *vitis ſanctor. die* XII. *martii:* in *actis ſanctorum tom.* II. *martii* p. 137. MABILLONII *actis ordin. Benedict. ſecul.* I. p. 398. cum eiusdem notis: in GREGORII *operum*, a monachis Benedictinis editorum, *tom.* IV. *part.* I. p. 19. cum notis. In ROCCA *theſauro antiquitatum ſacrar. tom.* II. p. 394. eſt *index rerum inſigniorum*, quæ in vita hac narrantur.

** exſtant hæc in CANISII *lection. antiquar. tom.* II. *part.* 3. p. 251. edition. *Basnagii.*

*** ſermo hic translatus eſt in PEZII *theſaurum anecdot. tom.* IV. *part.* 2. p. 16.

* *acta eruditor.* MDCLXXXVI. p. 343 BAELII *nouuelles de la republique des lettres* MDCLXXXVI. *februar.* p. 184.

le grand, pape et docteur de l'eglise, tirée principalement des ses ouurages, Rothomagi MDCXCVII. 4. * quae historia in latinam linguam conuersa ac GREGORII *operibus*, Parisiis MDCCV. editis, adiuncta est; ** ea autem interpretationis huius ratio est, vt varia capita exhibeantur breuiora; nec ordo gallicae narrationis semper seruetur. In praefatione auctor eos recenset, qui in describendis Gregorii magni rebus versati sunt:

CASIMIRI OVDINI *dissertatio de vita, indole, doctrina et scriptis genuinis et spuriis sancti Gregorii magni:* ***

ANGELI ANGELI *exemplar virtutis, ecclesiasticis considerandum in Gregorio magno*, italice, Venetiis MDCLXXIX.

IO. PETRI STVTE *Gregorius magnus papa, Lutheranus*, Lipsiae MDCCXV. 4.

FRANCISCI DAL POZZO *istoria della vita e del pontificato di sancto Gregorio magno, papa e dottore della chiesa*, Romae MDCCLVIII. quae non tam historiam, adcurate scriptam; quam sermonem panegyricum exhibet:

Sancti Gregorii parentumque eius, Gordiani et Siluiae imagines, cum commentario Angeli Rocca et de tabulis donariorum marmoreis, a Gregorio sanctis apostolis, Petro et Paullo, dicatis, Romae MDXCVII. fol. *

Nec omittenda sunt scripta de Gregorio magno eoque monacho. Quum IOANNES *diaconus* tradidit, Gregorium monachum Benedictinum fuisse, pro sententia hac monachi Benedictini pugnarunt; alii autem, maxime BARONIVS, restiterunt hancque ob rem lis nata est atque ab vtraque parte singularia ingenii monimenta in lucem emissa sunt. Pro vita monastica Gregorii prodierunt:

CONSTANTINI BELLOTI scriptum *pro monachatu Gregorii magni* aduersus Baronium, quem contra istum GALLONIVS libro, paullo post a me commemorando, defendere adnisus est:

CON-

* *iournal des sauans* MDCXCVIII. p. 123. *histoire des ouurages des sauans* MDCXCIX. p. 99. *acta eruditor.* MDCXCIX. p. 393.

** *tom.* IV. p. 199.

*** *commentar. de scriptorib. ecclesiastic. tom.* I. p. 1491.

* in eius *thesauro antiquitat. sacrar. tom.* II. p. 368.

CONSTANTIN. CAETANI *pro Ioanne diacono de ſancti Gregorii magni eiusque diſcipulorum monachatu Benedictino libri duo*, Salzburgi MDCXX. 4. Romæ MDCXX. 8.

MATTHAEI LAVRETI *diſputatio de monachatu Gregorii magni ſub regula ſancti Benedicti*, Neapoli MDCXVI.

HENRICI ZYPAEI *ſanctus Gregorius magnus, eccleſiæ doctor, primus eius nominis pontifex romanus, ex nobiliſſima et antiquiſſima in eccleſia dei familia Benedictina oriundus*, Ypris MDCXI.

IO. MABILLONII *diſſertatio de monaſtica vita Gregorii magni:* *

Lettre de mr. de Barcos, abbé de ſaint Cyran, a mr. Gouſſainuille, touchant le monachiſme de ſaint Gregoire le grand. ** De reliquis vitæ monaſticæ, a Gregorio magno peractæ, defenſoribus taceo. Qui repugnarent, non defuerunt, interque hos principem locum ſibi fecit CAESAR BARONIVS. *** Varia ſcripta in cauſſa hac pro eo lucem adſpexerunt, ex quibus adduxiſſe ſufficiat:

ANTONII GALLONII *apologeticum librum pro adſertis in annalibus eccleſiaſticis de monachatu Gregorii*, Romæ MDCIV. contra Bellotum, cuius antea mentionem feci. Scriptores, qui ex Gregorii magni libris vel expoſitiones codicis ſacri; vel fidei vitæque dogmata collegerunt, deque illis ſingularia ediderunt volumina, omitto. *

ISIDORVS *Hiſpalenſis;* ſiue iunior:

BRAVLIONIS *vita Iſidori; ſeu prænotatio librorum* eius *et obitus* eiusdem, *a Redemto clerico recenſitus:* **

Vita Iſidori, auctore canonico regulari cœnobii Legionenſis ſancti

* eiusdem *veter. analect.* p. 513. et *annalib. ordinis Benedict. tom.* 1. p. 655.

** in MABILLONII *annal. ordinis Benedict. tom.* 1. p. 672.

*** *annal. eccleſiaſtic. ad ann. chr.* DLXXXI. *num.* 9. ſq.

* ſcriptores hos recenſet FABRICIVS *bibliothec. latin. mediæ et infimæ ætat. volum.* III. p. 244.

** exſtant hæc: ante ISIDORI *opera*, quæ Coloniæ MDCXVII. fol. prodierunt: in SVRII *vitis ſanctor.* d. IV. *april.* p. 60. in *actis ſanctor. april. tom.* 1. p. 330.

sancti Isidori, forte Luca, postea episcopo Tudensi, ex manuscripto codice Toletano, cum commentario praeuio et notis GODEFR. HENSCHENII.*

§. X.

Quamuis illi ecclesiæ doctores *patrum* nomine maxime digni videantur, qui sex primis a christo nato seculis floruerunt, si rem adcurate definire atque exprimere volumus; nonnulli tamen, qui post illos vixerunt, præ aliis itidem *patrum* nomen præferunt ac patribus, proprie et stricte sic dictis, adiungi solent, quum istis doctrina, virtute, docendi scribendique genere similes habentur. In horum numero sunt: Ioannes Damascenus, Bernhardus atque alii.

IOANNES *Damascenus:*

IOANNIS *Hierosolymitani vita Ioannis Damasceni*, sæpius edita, græce ac latine coniunctim a *Michael. Lequien*, ex interpretatione latina *Iacobi Billii*, cum emendatione ac notis: ** græce tantum Romæ MDLIII. 8. atque ex codice græco manuscripto Mediceo, collato cum codice regis Franciæ studio *Dan. Papebrochii:* *** latine tantum cura *Oecolampadii*, Augustæ Vindelicorum MDXXII. 8. *Iacob. Billio* interprete apud LAVRENTIVM SVRIVM * ex versione *Antonii Franc. Destieu*, cum *Dan. Papebrochii* notis: **

CONSTANTINI ACROPOLITAE *sermo de Ioanne Damasceno*, quem *Daniel Papebrochius* ex codice manuscripto Vaticano græce euulgauit, cum versione *Io. Francisci de Rubeis.* *** Præbuit se auctor, veluti paraphrasten Ioannis Hierosolymitani:

ANONYMI *narratio de vita et conuersatione Ioannis Damas-*

* vide: *acta sanctor. dicto loco.*
** ita vita hæc habetur: in DAMASCENI *operibus*, a *Lequien* editis, Parisiis MDCCXII. fol. *tom.* I.
*** in *actis sanctorum mai. tom.* II. p. 723.
* in *vitis sanctorum d.* VI. *mai.* p. 83.
** *acta sanctor. dicto loco* p. 111.
*** in *actis sanctorum mai. tom.* II. p. 731.

mascenI, quæ latine exstat, * ex græco, vt maxime probabile est, conuersa:

LEONIS ALLATII commentatio de *Ioanne Damasceno, ex opere eiusdem Leonis non edito de libris apocryphis.* **

BERNARDVS *Claræuallensis:*

Sancti Bernardi, abbatis Claræuallensis, vita et res gestæ, libris septem comprehensæ. A variis auctoribus illi conscripti sunt: primus a GVILLELMO, abbate sancti Theodorici Remensis; eo tempore autem monacho Signiacensi: secundus ab ERNALDO; siue ab ARNOLDO, Bonæuallis in agro Carnutensi abbate: tertius, quartus et quintus a GAVFRIDO; siue GODEFRIDO abbate, qui Bernardi notarius fuit: sextus a variis scriptoribus de miraculis, a Bernardo per Germaniam, Belgium Galliamque perpetratis: septimus, desumtus ex libro, cui titulus: *exordium magnum Cisterciense*, itidem de Bernardi miraculis atque aliis rebus: ***

PHILOTHEI *monachi de vita et moribus sancti Bernardi, abbatis Claræuallensis, carmen encomiasticon:* *

GAVFRIDI *sermo in anniuersario obitus sancti Bernardi,* habitus anno MCLXIII. **

ALANI, episcopi Autisiodorensis, *vita Bernardi*, ad Pontium, Claræuallis abbatem, scripta: ***

PHILIPPI DE SANCTO IOANNE BAPTISTA *vita del diuoto et mellifluo dottore Bernardo, abbate di Chiarauallé,* Neapoli MDCXXXIV. 4.

CASPAR. IONGELINI *purpura diui Bernardi; siue elogia illius et Cisterciensium*, Coloniæ MDCXLIV.

THEOPHILI RAYNAVDI *trias fortium Dauid: Robertus*

* exstat in DAMASCENI *operibus tom.* I. edition. *Lequien.*

** commentationem hanc *Lequien* præmisit *Damasceni oper. tom.* I.

*** quinque priores horum librorum exhibet SVRIVS in *vitis sanctor.* d. XX. *august.* p. 197. singuli autem translati sunt in BERNARDI *operum volumen* II. p. 1076. edition. *Mabillonii*, Paris. MDCCXIX. fol.

* *ibidem* p. 1310. Addita sunt quædam aliorum carmina, quæ iidem ad Bernardum spectant.

** in BERNARDI *operum volum.* II. p. 1326. memoratæ edition. *Mabillonii.*

*** *dicto loco* p. 1252.

tus de Arbriſſello, fundator Fontebraldenſis; ſanctus Bernardus, apis gallica, Claræuallenſium pater: homo dei, Cæſar de Bus, auctor congregationis doctrinæ chriſtianæ, Lugduni MDCLVII. 4.

IO. EREMITAE *vita ſancti Bernardi*, duobus libris deſcripta atque a *Chiffletio* vulgata: *

PETRI FRANCISCI CHIFFLETII *ſancti Bernardi, Claræuallenſis abbatis, genus illuſtre adſertum. Accedunt Odonis de Diogilo, Ioannis Eremitæ, Herberti et aliorum ſcriptorum opuſcula, ſeculi* XII. *hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectantia*, Diuione MDCLX. 4. Idem edidit *opuſcula quatuor*, Pariſiis MDCLXXIX. 8. quorum quartum GAVFRIDI *excerpta de vita et geſtis ſancti Bernardi* complectitur:

La vie de ſaint Bernard, premier abbé de Clairuaux, diuiſée en ſix liures, dont les trois premiers ſont traduits du latin de trois celebres abbez de ſon tems et contiennent l' hiſtoire de ſa vie, et les trois derniers ſont tirez de ſes ouurages et repreſentent ſon eſprit et ſa conduite, qui liber Pariſiis MDCLXXXIV. 8. ac ſæpius prodiit:

HENRICI HEGNERI *wahrhafte abbildung; oder kurtze lebensbeſchreibung des Bernardi, erſten abts zu Clarawall*, Wettingæ MDCCII. 12.

DE VILLEFORE *vie de ſaint Bernard, premier abbé de Clairuaux, pere et docteur de l'egliſe*, Pariſiis MDCCIV. 4.**

CHR. COLBERGII *ſchediaſma hiſtoricum de Bernardo, abbate Claræuallenſi, ab Alexandro* III. *papa in numerum ſanctorum relato*, Regiomonte MDCCXXV. 4.

MERLINI *apologie de ſaint Bernard, contre les calomnies, qui ſont repandues dans le dictionaire de mr. Bayle:* ***

PETRI MAGAGNOTTI *vita ſancti Bernardi, primi abbatis Claræuallenſis, iam latine ſcripta a diuerſis ætate ſupparibus fideque dignis auctoribus ac ſeptem in libros diuiſa, nunc in vernaculam Italorum translata*, Patauii MDCCXLIV. 4. Præbet nobis opus hoc interpretationem italicam ſeptem librorum de vita rebusque Bernardi, quos antea recenſui; varia tamen acceſſerunt,

F 2

* addita eſt adductæ CHIFFLETII commentationi de *Bernardi genere illuſtri.*

** *memoires de Treuoux aug.* MDCCV. p. 1320.

*** in *memoires de Treuoux* MDCCXXXIX. *mart.* p. 582. *aug.* p. 1711.

runt, quæ Bernardi hiſtoriam illuſtrant, copioſa præfatio, tres adpendices, quarum prima agitur de libris, quos Gaufridus de miraculis Bernardi compoſuit: ſecunda exhibet deſcriptionem de ſitu monaſterii Claræuallis ac tertia complectitur illuſtrem epiſtolam Petri de Roia. Præterea additæ quoque ſunt adnotationes hiſtoricæ ac monaſticæ: ſeries chronologica abbatum Claræuallenſium, qui Bernardo ſucceſſerunt.* Exſtant quoque: *chronologia Bernardina*, ab anno chriſti MXCI. ad MCLIII.** et *ſancti Bernardi canoniſatio.**** Alia ſcripta ſpectant maxime ad Bernhardi dogmata ac teſtimonia veritatis, cuius generis ſunt:

MICHAEL. NEANDRI *theologia Lutheri; ſiue aphoriſmi ſententioſi de omnibus doctrinæ chriſtianæ capitibus; item theologia Bernardi et Tauleri in tenebris pontificiis de ipſorum monimentis deſcripta*, MDLXXXI. 8.

IACOBI THOMASII commentatio de *Bernardo, teſte veritatis*, quam diſputationi de *Nigello Wirekero* defendendæ Lipſiæ MDCLXXIX. præmiſit ac cum Bernardo Anſelmum, itidem teſtem veritatis, coniunxit:*

GEORG. HENRICI GOETZII *ſchediaſma theologicum de lutheraniſmo Bernardi*, Dresdæ MDCCI. 4.** et iterum in eiusdem *meletematibus Annæbergenſibus*:***

LAVRENTII BERTRANDI *Bernardi, doctoris melliflui, theologia ſpeculatiua*, Aſtæ MDCLXXV. MDCLXXVI. 4. duobus voluminibus:

DAVIDIS L'ENFANT *biblia ſancti Bernardi; ſiue expoſitio locorum ſacræ ſcripturæ e Bernardo*,, Pariſiis MDCLV. 4. Plures alii ſcriptores commemorantur, qui de Bernardi vita ac doctrina expoſuerunt; prætereo autem iſtos. Sufficiant, qui a me adducti ſunt. Inter huiusmodi patres, quemadmodum adpellari ſolent, numerantur quoque: Anſelmus; Theophylactus, Oecumenius atque alii, de quibus autem taceo.

CAPVT

* *acta eruditor.* MDCCXLIX. p. 337.
** in BERNARDI *operum volumin.* I. in fine edition. *Mabillonii.*
*** *ibidem volum.* II. p. 1358.
* *eius præfation.* p. 563.
** *memoires de Treuoux april.* MDCCIV. p. 313. *iournal des ſauans mai.* MDCCII. p. 123.
*** p. 761.

CAPVT II.
DE SCRIPTIS PATRVM ILLORVMQVE EDITIONIBVS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Indicatur, qua ratione ac quo ordine ſcriptorum patrum editiones enarrandæ ſint §. I.
Tres illarum claſſes conſtituuntur ac referuntur ad primam antiquiſſimæ; *ſiue illæ, quæ non longe poſt natam typographiam prodierunt* §. II.
Ad ſecundam antiquiores, *quæ ſeculo ſexto ac decimo lucem adſpexerunt, inprimis ſtudio Eraſmi* §. III.
Ad tertiam recentiores, *in lucem emiſſæ in Gallia, maxime cura monachorum Benedictinorum* §. IV. V. VI.
In Anglia §. VII.
In Italia §. VIII.
In Belgio et Hiſpania §. IX.
In Germania §. X.
Denique ſingularia patrum ſcripta recenſentur, quæ ſeparatim in lucem edita ſunt §. XI.

Poſtquam commemorationem eorum auctorum feci, qui ad vitas resque patrum ordinis ſacri enarrandas ſtudia ſua contulerunt, ad eorumdem ſcripta me conuerto, non eo conſilio, vt illa ipſa ſingulorumque editiones iuſto ordine ac debita adcuratione recenſeam, vtpote quod ab inſtituto meo alienum eſt aliique ſunt, qui labores eiusmodi ſuſceperunt. * Eam potius, editiones enarrandi, rationem inire, animus eſt, vt præcipue ſignificetur, qualis iſtarum ſit varietas ac diſcrepantia: quæ aliis ſint meliores atque vtilitate ac dignitate antecedant: quorum cura iſtæ in lucem prodierint, ac quæ aliæ rei huius rationes memorari poſſunt.

* præter GVIL. CAVEVM *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſtic.* NICOL. LE NOVRRY *adparat. ad bibliothec. maxim. veter. patrum:* CASIMIR. OVDINVM *commentar. de ſcriptorib. eccleſiaſtic.* THOMAM ITTIGIVM *præfatione ad tractatum de bibliothecis et catenis patrum:* HOTTINGERVM *bibliothecar. quatripartito* * aliosque generis huius ſcripto-

* *libr.* II. *bibliothec. theolog. cap.* 4. et 5. p. 294.

res, quos ſupra adduxi, IO. ALBERT. FABRICIVS vtraque *bibliotheca*, *græca* ac *latina* eaque cum *antiquæ*; tum *mediæ et infimæ ætatis*, plane ſingularem induſtriam hac in re oſtendit ac reliquos longe ſuperauit.

§. II.

Varia ſunt, quibus editiones patrum inter ſe differunt inque illis ad *temporum* rationes animum aduertere debemus, quibus iſtæ lucem adſpexerunt, vbi iudicare velimus, quale earum pretium ſit ſtatuendum. Ad diuerſa tempora ſi editiones referantur, tres illarum claſſes conſtitui poſſunt, ita vt ad primam *antiquiſſimæ*, ad ſecundam *antiquiores* et ad tertiam *recentiores* pertineant. In recenſendis illis initium facio ab *antiquiſſimis*; ſiue ab iis, quæ ab ætate inuentæ et ad vſum ſatis inſtructæ typographiæ vsque ad cœptam ſacrorum emendationem in lucem exierunt. * Ipſæ editiones hæ magnam fidem præ ſe habent atque in ſingulari ſunt exiſtimatione. ** Inter libros, qui non longe poſt natam typographiam litterarum formis deſcripti ſunt, locum etiam tenent ingenii monimenta, a patribus eccleſiaſticis relicta. Quædam tantum adduxiſſe ſufficiat. Ex numero eorum, quæ a græcis auctoribus compoſita ſunt, in lucem prodierunt:

ORIGENIS libri VIII. *contra Celſum*, philoſophum Epicureum, pro veritate religionis chriſtianæ conſcripti, latine ex interpretatione *Guil. Perſonæ*, ſeparatim Romæ MCCCCLXXXI. fol.

EVSEBII *Pamphili*, epiſcopi Cæſareenſis, libri *præparationis euangelicæ*, latine interprete *Georgio Trapezuntio*, Venetiis MCCCCLXX. fol. per Nicol. Ienſon: Taruiſii MCCCCLXXX. fol. Patauii MCCCCXCVII. fol.

ATHANASII *opuſcula* quædam, ab *Omnibono Leoniceno* in ſermonem latinum conuerſa, Vincentiæ MCCCCLXXXII. eiusdem *opera* latine, Tubingæ MDXV. fol.

CHRYSOSTOMI *opera*, latine, Venetiis MDIII. fol. apud Aldum, duobus voluminibus, ac Baſileæ MDIV. fol. ex officina Iacobi de Pfortzen, quam editionem FRONTO

DVCAE-

DVCAEVS, LVDOVIC. ELL. DV PIN, RICHARD SIMON pro omnium quidem antiquissima habent; falsa autem persuasio haec est. Quae enim Venetiis prodiit atque a me paullo ante adducta est, illa maiorem antiquitatem prae se habet eamdemque editio Basileensis refert. Eadem aetate et patrum latinorum multa scripta lucem adspexerunt. Inter prima litterarum monimenta, typis exscripta, locum habent:

CYPRIANI *opera*, Romae MCCCCLXXI. per Conradum Sweynheym et Arnoldum Pannartz, fol. Venetiis itidem MCCCCLXXI. per Vindelinum Spirensem, fol. quam editionem Spirae descriptam atque in lucem emissam esse, praue nonnulli tradunt: * eadem *opera* sine indicio loci et anni fol. ac Parisiis MDXII. per Bertoldum Remboltum, cum praefatione Roberti Fortunati, Maclonienfis, 4.

LACTANTII libri, qui seculo quinto ac decimo saepius prodierunt: Romae MCCCCLXV. e monasterio Sublacensi, non MCCCCLXI. vti BERNARD. DE MONTFAVCON ** quidem scripsit; se autem errasse, ipse postea confessus est. *** Editionem hanc, qua nulla alia antiquior memoratur, plures aliae eiusdem aetatis sequutae sunt: nimirum Romae MCCCCLXVIII. in domo Petri de Maximis, per Conradum Sweynheym et Arn. Pannartz fol. cuius mentionem facit RICHARD SIMON: * Romae MCCCCLXX. per eosdem, cum praefatione *Io. Andreae,* Aleriensis episcopi: Venetiis MCCCCLXXI. apud Adam fol.** Venetiis MCCCCLXXII. apud Vindelinum fol.*** Romae MCCCCLXXIV. per Vdalricum Gallum Alamannum et Simonem Nicolai de Luca, fol. Rostochii MCCCCLXXVI. per fratres presbyteros et clericos *congregationis domus viridis horti ad sanctum Michaelem* fol. Venetiis MCCCCLXXVIII. impendio, vt in fine legitur, prouidorum virorum Io. de Colonia, Io. Manthen de Ghere-

 tzen

* vide: MAITTAIRE *annal. typograph.* p. 89. et FABRICII *bibliothec. latin. volum.* III. p. 378.
** *diar. Italic.* p. 256.
*** vide: MAITTAIRE *annal. typograph.* p. 60.
* *tom.* I. *epistolar. selectar.* p. 153.
** confer. *bibliothec. Bunauian. tom.* III. *vol.* I. p. 140.
*** vide: RITTERSHVSIVM *ad Saluianum* p. 192.

tzen sociorum, fol. Venetiis itidem MCCCCLXXVIII. per Andream de Paltasichis Catarensem et Boninum de Boninis, socios, fol. Venetiis MCCCCLXXXIII. per Bernardinum de Benaliis, Bergomensem: Venetiis MCCCCXCIII. fol. Venetiis MCCCCXCVII. per Simonem Beuilaquam Papiensem fol. quae editio descripta est ad Romanam anni MCCCCLXX. cum praefatione *Ioann. Andreae*, antea a me memoratam Parisiis MD. 4. Venetiis MDII. fol. ex emendatione *Io. Pierii Valeriani:* Venetiis MDIX. impensis et opera Ioannis de Tridino, cognomento Tacuini, ex castigatione *Iani Parrhasii*, addito Tertulliani apologetico et Chrysostomi sermone de eucharistia, cum narratione ex Suida in Ιησοῦς. Parisiis MDIX. apud Ioannem Paruum, cum Tertulliani apologetico atque aliorum scriptis cumque *Aegidii Maseriensis* praefatione: Venetiis MDXI. apud Ioannem de Tridino fol. Florentiae MDXIII. apud Iuntam, ex *Mariani Tuccii* recognitione 8. Parisiis MDXIII. 4. Venetiis MDXV. apud Aldum, cum Tertulliani apologetico, ex *Io. Baptistae Egnatii* emendatione 8. De editionibus his Lactantii videatur: IO. ALBERT. FABRICIVS: *

AMBROSII libri editi sine nota loci atque anni cura *Maffelli Veniae*, monachi Augustiniani atque eiusdem ordinis generalis, Ambrosio Corano, qui MCCCCLXXXVI. vitam finiuit, consecrati. Editioni huic tempore pariter ac characteribus proxima est illa, quae Mediolani MCCCCXC. studio *Cribellii* presbyteri apud Leonardum Pachel lucem vidit. Vtraque editio quum paucos Ambrosii libros complectitur, *Iaannes Amerbachius* curauit, vt locupletior editio prodiret ac plura illius scripta, antea omissa, ad publicum vsum transferrentur. Editio haec Basileae MCCCCXCII. fol. exiit, tribus tomis, ita adornata, vt singulos libros, in certa capita diuisos, vna cum illorum argumentis exhibeat, fol. Ad eam denuo litterarum formis describendam operam suam adhibuit *Io. Petr. de Langendorf*, cum copioso indice ac *Conradi Leontorii* praefatione, Basileae MDVI. 4. tribus voluminibus. Addendae sunt duae aliae generis huius editiones: altera Mediolanensis anni MCCCCXCIV. fol. altera Basileensis anni MDXVI. fol.

HILA-

* *bibliothec. latin. volum.* III. p. 394.

HILARII Pictauienſis *opera*, Pariſiis MDIX. Baſileæ MDXVI. fol.

HIERONYMI *epiſtolæ*, quarum antiquiſſimæ editiones exſtant. Collegit illas Theodorus, epiſcopus Taruiſinus, ac primus earum tomus lucem vidit Romæ MCCCCLXVIII. cura *Ioannis Andreæ*, epiſcopi Alerienſis, per Conradum Schweynheym et Arnoldum Pannartz fol. ſecundus autem tomus prodiit itidem Romæ MCCCCLXX. ex eadem officina fol. Vterque tomus eodem anno iterum deſcriptus eſt Moguntiæ per Petrum Schoifferum fol. hasque memoratas editiones plures aliæ, quæ itidem ſimilem antiquitatem præ ſe ferunt, ſequutæ ſunt: Venetiis MCCCCLXXVI. per Antonium Bartholomæum fol. Parmæ MCCCCLXXX. fol. Venetiis MCCCCLXXXVIII. Baſileæ MCCCCXCII. Venetiis MCCCCXCVI. Lugduni MDXIII. per magiſtrum Nicolaum de Benedictis, fol.

AVGVSTINI varia ſcripta, prima ætate inuentæ typographiæ ſeculoque quinto ac decimo edita, vti ſunt: *libri* XXII. *de ciuitate dei*, Venetiis per Vindelinum Spirenſem, MCCCCLXX. fol. ibidem per Gabriel. Petri de Taruiſio MCCCCLXXV. fol. Baſileæ cum commentariis *Thomæ Valois* et *Nicol. Triueth* per Ioannem Amerbacenſem MCCCCLXXXIX. fol. et MCCCCXC. fol. Præter has editiones memorantur: Romana anni MCCCCLXXIV. Moguntina MCCCCLXXV. Neapolitana MCCCCLXXVII. Baſileenſis MCCCCLXXIX. atque aliæ eiusdem ætatis, quas prætermitto. * Spectant huc etiam AVGVSTINI *libri* IV. *de conſenſu euangeliſtarum*, Laugingæ ſine mentione typographi MCCCCLXXIII. fol. eiusdem *opuſcula plurima*, Argentorati, ſumtu et opera Martini Flachi, MCCCCLXXXIX. fol. libellus de *veræ vitæ cognitione*, ſine indicio loci atque anni; cum inſignibus autem typographicis Fauſti et Schefferi 4. de *doctrina chriſtiana liber* IV. de arte prædicandi ad codices manuſcriptos emendatus, Moguntiæ per Io. Fauſt, vti ex prologo patet, ſine anno fol. Separatim non ſolum ſingularia Auguſtini ſcripta a prima artis typographicæ origine prodierunt, vti commemorata exempla monſtrant; ſed Ioannes Amerbachius ſtu-

* FABRICII *delect. argumentor. et ſyllab. ſcriptor. de veritate religion. chriſtian.* p. 244.

dia quoque in eo posuit, vt vniuersa illius opera, quæ inueniri ac colligi poterant, coniunctim in lucem emitteret. Quam in rem vsus est adiumento Augustini Dodonis, Basileæ ad sanctum Leonardum canonici, qui pecunia satis instructus, omnia Augustini scripta in bibliothecis Italiæ, Galliæ, Germaniæ perquisiuit ac curauit, vt ista ad Amerbachium transferrentur. Quæ postquam acceperat, ad ista euulganda se contulit. Augustini *opera* iuris publici fecit Basileæ MDVI. fol. vndecim voluminibus; quæ autem iam antea circa annum MCCCCLXXXIX. MCCCCXCIV. MCCCCXCV. ediderat, ea nunc omisit:

OROSII libri, qui ante finem seculi quinti ac decimi non semel; sed iterum iterumque descripti sunt. Prodierunt illi sine mentione loci, typographi atque anni, ornate atque eleganter; Vicentiæ tamen editionem hanc in conspectum publicum venisse, inter eruditos constat. Præfuit illi corrigendæ atque emendandæ Aeneas Vulpes ac Hermannus Leuilapis Coloniensis libros ipsos in lucem protulit. Hæc habetur antiquissima editio. Sequuta est alia Augustæ MCCCCLXXI. opera Io. Schuszleri, de qua doctissimi viri adfirmant, eam reliquas veteres editiones omnes præstantia sua antecedere. Post illam in lucem prodiit editio tertia Venetiis MCCCCLXXXIII. fol. sumtu Octauiani Scoti Modœsiensis, ac quarta itidem Venetiis opera Bernardi Veneti de Vitalibus MD. et quæ etiam huc referri potest, quinta Parisiensis, anni MDX. 4. *

CASSIANI *opera: de institutis cœnobiorum: de origine, caussis et remediis vitiorum et collationes patrum*, quæ publicæ luci exposita sunt Basileæ sine mentione typographi, MCCCCLXXXV. fol.

LEONIS *magni sermones*, quorum editio seculi quinti ac decimi exstat, quæ autem neque locum; neque annum præ se habet fol.

CASSIODORI *expositio in psalterium*, Basileæ per Ioannem Amerbachium MCCCCXCI. fol.

GRE-

* de editionibus his differit HAVERCAMPVS *præfatione* ad *Orosii historiarum libros*, ceter. Lugduni Batauorum MDCCXXXVIII. 4.

GREGORII *magni* varia ſcripta, vti ſunt: *moralia*, Baſileæ MCCCCXCVI. fol. *liber paſtoralis*, Argentorati eodem anno ac Pariſiis MCCCCXCVIII. fol. *dialogus de vitis patrum Italicorum*, Pariſiis MCCCCXCIX. fol. Sunt aliæ generis atque antiquitatis huius editiones; quum autem fuerint, qui iſtas recenſerent, ab illis commemorandis iam abſtineo.*

* editiones, quas adpello antiquiſſimas, cur ſingularem auctoritatem atque exiſtimationem habeant, cauſſas varias GVIL. CAVEVS ** enarrat atque ita ediſſerit: *editiones, quæ in primis rei typographicæ incunabulis prodierunt, ex optimis quibusuis manuſcriptis expreſſæ ſunt, adeo vt deſideratis iam plerisque codicibus manuſcriptis, editiones iſtæ non immerito manuſcriptorum vicem ſupplere poſſint.* Quibus dictis, addit: *quia nondum natis de eccleſia reformanda controuerſiis: nondum exorto Romanos inter et reformatos de fidei articulis et eccleſiæ romanæ corruptelis diſſidio nulla ſatis idonea cauſſa ſubeſſe poterat, cur in excudendis patrum operibus fraude vterentur. Nullus adhuc Hannibal ad portas: nemo fere, qui aduerſus eos caſtra moueret, quique frequentes patrum turmas in aciem proferret. Hinc ſcriptores eccleſiaſticos ſine fraude et fuco propria dogmata propriis verbis tradentes nobis exhibuerunt.* Quibusdam interpoſitis, ſubiungit: *his addi poteſt, quod primi rei typographicæ curatores ſua quam emendate in lucem emiſerunt, non ignaris, ineptis et e triuio petitis, quos vocant, correctoribus emendandi curam relinquentes.* Recte ita Caueus de editionibus patrum, ſeculo quinto ac decimo in lucem emiſſis, iudicat illisque dignitatem fidei atque adcurationis præ multis aliis, quæ poſtea prodierunt, merito tribuit; quodſi autem iſtas ipſas

---

* videantur: BEVGHEMII *incunabula typographiæ; ſiue catalogus librorum ſcriptorumque, proximis ab inuentione typographiæ annis editorum*, Amſtelodami MDCLXXXVIII. 12. MAITTAIRE *annales typographici ab artis inuentæ origine ad annum* MD. Hagæ comitum MDCCXIX. 4. vna cum reliquis eorum tomis: LABBEI *veterum editionum ante annum chriſti* MD. *breuiarium*, in eiusdem *noua bibliothec. manuſcriptorum librorum* p. 337. atque alia argumenti huius ſcripta, quæ diligenter recenſentur in *catalogo bibliothec. Bunauianæ tom.* I. p. 671.

** *prolegomen. hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor.* p. 18.

ipſas ſine comparatione ſpectamus, fatendum eſt, in illis eſſe vitia, non fraudis ac malitiæ; ſed incuriæ ac negligentiæ. Nec ſine cauſſa IO. FRANCISC. BVDDEVS * animaduertit, quando Caueus tradat, primas patrum editiones ex optimis quibusuis manuſcriptis expreſſas eſſe ac codicum manu exaratorum, quum illi deſiderarentur, vicem ſupplere poſſe, hæc non plane adfirmanda eſſe, quoniam præſtantiſſimi codices manuſcripti in bibliothecis inueniantur, ex quibus ſcripta patrum recenſeri queant. Sine ratione tamen SAINIORIVS; ſiue RICHARDVS SIMON ** Caueum reprehendit, quod ſcripſerit: *nondum motis de eccleſia reformanda controuerſiis: nondum exorto romanos inter et reformatos de fidei articulis et eccleſiæ romanæ corruptelis diſſidio, nulla ſatis idonea cauſſa ſubeſſe poterat, cur in excudendis patrum operibus fraude vterentur.* Contra quæ quum SIMON pugnat, contra experientiam ſane pugnat.

§. III.

Ad claſſem editionum patrum eccleſiæ ſecundam *antiquiores* pertinent, illæ nimirum, quæ ſeculo ſexto ac decimo prodierunt, maxime quum Lutherus veram doctrinam ex tenebris in lucem reuocare cœpiſſet. In illis eminent, quæ ſummo ſtudio ac cura *Roberti Stephani** et *Ioannis Frobenii*** in conſpectum publicum venerunt quibusque *Erasmus Roterodamus* manus admouit. *** Iſtæ enim non ſolum adcurate deſcriptæ ſunt; ſed litterarum quoque elegantia multum ſe commendant atque inter editiones temporis illius principatum tuentur.

* *Robertus Stephanus* vir fuit litteris latinis, græcis, ebræis multum excultus ac bibliothecas non ſolum Gallorum; ſed etiam aliarum nationum diligenter perluſtrauit. Artem ſuam primum Pariſiis; deinde Geneuæ exercuit, tanta cum laude, vt principem locum inter typographos ſibi fecerit. Quos deſcribendos curauit, libri monſtrant maximum ſtudium, ad eos corrigendos adhibitum: ſummam typorum elegantiam atque admirabilem pulcritudinem. Ita ex officina

---

* *iſagog. ad theolog. vniuerſ. libr.* II. *cap.* 3. p. 590.
** *bibliotheque critique tom.* I. *cap.* 17. p. 255.

cina eius varia ſcripta patrum eorumque græcorum, ſine interpretatione latina, in lucem prodierunt, nominatim:

IVSTINI *martyris opera*, ex bibliotheca regia et regiis typis, Pariſiis MDLI. fol. Exhibentur Iuſtini ſcripta eo ordine, quo iſta Stephanus in codice inuenit, hoc modo diſpoſita: epiſtola ad Zenam et Serenum: cohortatio ad Græcos: dialogus cum Tryphone iudæo: apologia pro chriſtianis ad ſenatum: apologia ad Antoninum: de dei monarchia: nonnullorum Ariſtotelis dogmatum confutatio: quæſtiones chriſtianorum ad Græcos: quæſtiones et reſponſiones ad orthodoxos: quæſtiones Græcorum ad chriſtianos. Quædam aliter, ac in codice legantur, deſcripta eſſe hancque editionem, licet illa ſplendida ſit atque inſignis, non omni plane vitio carere, doctiſſimi viri animaduertunt: *

EVSEBII Cæſareenſis ſcripta eaque: *præparatio euangelica*, ex codice regiæ bibliothecæ ac regiis typis, Pariſiis MDXLIV. fol. *demonſtratio euangelica*, quam Robertus Stephanus itidem ex codice regio ac typis regiis nitidis primus edidit, Pariſiis MDXLV. fol. Euſebii, Socratis, Theodoreti, Theodori, Sozomeni, Euagrii *hiſtoriæ eccleſiaſticæ* libri, quos iſte, etiam ex codicibus regiis elegantiſſimis litterarum formis deſcriptos, iuris publici fecit, Pariſiis MDXLIV. fol. liber de *martyribus Palæſtinæ*, qui Euſebii *hiſtoriæ eccleſiaſticæ*, a Stephano græce in lucem emiſſæ, ſubiicitur: de *vita Conſtantini magni* libri quatuor, quos idem Stephanus primus græce cum *hiſtoria eccleſiaſtica* vulgauit, Pariſiis MDXLIV. fol. Addi poteſt *Henricus Stephanus*, filius Roberti, ex cuius officina prodierunt:

ATHENAGORAE, Athenienſis philoſophi chriſtiani, libelli: alter *apologia pro chriſtianis*, ad imperatores Antoninum et Commodum, græce cum interpretatione latina Conradi Gesneri huiusque ac Henrici Stephani adnotationibus eiusdemque ATHENAGORAE libellus alter de *reſurrectione mortuorum*, græce, cum verſione latina Petri Nannii et Hen-

* videantur de editione hac: NOVRRIVS *adparat. ad bibliothec. maximam patrum tom. I.* p. 468. ac *præfatio ad Iuſtini opera*, a monachis Benedictinis edita, Pariſiis MDCCXLII. p. I.

Henrici Stephani notis, Parisiis ex dicta officina Stephani MDLVII. 8.

** *Io. Frobenius* nominis famam sibi adquisiuit non mediocrem. Celeberrimus ille est eruditione, industria, meritis in rem litterariam, ad quam ornandam nullam curam operamque neglexit. Officinam habuit Basileæ inque ea artem exercuit tam laudabili studio, vt a nullis curis, vigiliis, laboribus: a nullo sumtu alienus esset; nec quidquam omitteret, quod ad libros, adcurate atque eleganter describendos, pertinebat. Inter typographos, Germanorum saltem, principem locum sibi fecit ac libris, qui ex officina eius prodierunt, præcipue scriptis patrum latinorum, paullo post a me commemorandorum, magnam laudem atque existimationem conciliauit.

*** ERASMVS præclaram operam in eo quoque posuit, vt scripta patrum ecclesiasticorum debita fide atque adcuratione recenseret: quæ vitiosa in illis fuerant, ea emendaret atque subiungeret animaduersiones. Editiones hæ, patrum inprimis latinorum, Basileæ ex Frobeniana officina in lucem prodierunt, singularem laudem consequutæ sunt atque eamdem constanter conseruarunt. Locum in illis habent:

CAECILII CYPRIANI, *episcopi Carthaginiensis, opera, ab innumeris mendis repurgata, adiectis nonnullis libellis ex vetustissimis exemplaribus, quæ hactenus non habebantur, ac semotis iis, quæ falso videbantur inscripta, vna cum adnotatiunculis, studio Erasmi Roterodami*, Basileæ apud Ioannem Frobenium MDXX. fol. quam primam editionem plures aliæ sequutæ sunt atque in his secunda, itidem Basileæ apud Frobenium, MDXXV. fol. *

HILARII, *Pictauorum episcopi, lucubrationes, quotquot exstant, olim per Desid. Erasmum Roterodamum emendatæ, nunc denuo recognitæ*, Basileæ in officina Frobeniana MDXXIII. et iterum MDXXXV. fol. **

AMBRO-

* ERASMI *præfatio* locum habet inter eius *epistolas libr.* XXVIII. *num.* 6. p. 1615. edition. Londinens.

** quam ERASMVS præmisit, *præfatio* censuram romanam ac theologorum Parisiensium experta est, quoniam illa Erasmi sententias pra-

AMBROSII *opera*, ſtudio *Eraſmi Roterodami* edita Baſileæ ex officina Frobeniana MDXXVII. Eorum, qui antea ad doctoris huius veteris ſcripta, in lucem emittenda, ſe contulerant, induſtriam longe ſuperauit curamque in eo collocauit, vt non ſolum plura; ſed etiam emendatiora Ambroſii opera exhiberet. Quæ dedit, cuncta ad duo volumina redegit ac quatuor tomos conſtituit, ita diſpoſitos, vt primus ethica: ſecundus polemica: tertius orationes, epiſtolas ac conciones; quartus denique noui ac veteris teſtamenti explanationes complecteretur. Singulis tomis ac nonnullis libris cenſuras quasdam præmiſit. Ita adornata editio hæc multum ſe commendauit ac ſæpius litterarum formis expreſſa eſt. * Non defuerunt, qui varia in illa reprehenderent eamdemque emendandam eſſe, iudicarent. In his monachi Benedictini ** arguunt Erasmum, eum plus ingenio ſuo ac propriis coniecturis; quam manuſcriptorum codicum auctoritati tribuiſſe, hancque ob cauſſam, quum Eraſmi editio Pariſiis MDXXIX. Cheuallonii typis denuo deſcripta ſit, multa commutata fuiſſe in textu atque in margine nonnulla adnotata; nec Pariſiis tantum; ſed Baſileæ quoque, vbi prima Eraſmi editio ex Frobeniana officina prodierit, in ſequutis editionibus, hoc factum eſſe:

HIERONYMI *Stridonenſis opera omnia, ex emendatione et cum argumentis ac ſcholiis Deſiderii Eraſmi Tomi* VIII. Baſileæ ex officina Frobeniana MDXVI. fol. quæ editio diuerſis locis, Baſileæ, Lugduni, Pariſiis, iterum atque iterum prodiit. Erasmus, Io. Cononis, Io. Reuchlini, Io. et Brunonis Baſiliique Amerbachiorum et Conradi Pellicani opera adiutus, magnum egregiumque ſtudium ad Hieronymi ſcripta

prauas ac maleuolas de Hilario, eius doctrina, moribus, rebus geſtis complectatur. Legantur, quæ præfati ſunt monachi Benedictini ad *Hilarii opera*, Pariſiis MDCXCIII. edita, p. 2. Ipſa ERASMI *præfatio* exſtat quoque in eiusdem *epiſtolis libr.* XXVIII. *num.* 8 p 1651. edition. Londinenſ.

* præmiſſa ERASMI *præfatio* eſt in eiusdem *epiſtolis libr.* XXVIII. *num.* 3. p. 1584. edition. Londinenſ.

** *præfation. ad Ambroſii operum tomum* II. editum Pariſiis MDCLXXXVI.

ſcripta vndique conquirenda, recenſenda, illuſtranda, germana ab adulterinis ſecernenda adhibuit:

AVGVSTINI *opera*, Baſileæ MDXXVIII. et MDXXIX. ex officina Frobeniana in lucem producta atque in decem tomos diſtributa, ad quam editionem Erasmus Roterodamus itidem opem adtulit eique laudem atque exiſtimationem conciliauit. Nec latinorum tantum; ſed græcorum quoque patrum ſcripta ſtudio Erasmi ex officina Frobeniana in conſpectum publicum venerunt. In numero illorum ſunt:

IRENAEI, *epiſcopi Lugdunenſis, opus eruditiſſimum, in quinque libros digeſtum, in quibus mire retegit et confutat veterum hæreſeon impias ac portentoſas opiniones ex vetuſtiſſimorum codicum collatione, quantum licuit, emendatum opera Deſid. Erasmi Roterodami ac nunc primum in lucem editum opera Io. Frobenii. Additus eſt index rerum ſcitu dignarum,* Baſileæ MDXXVI. fol. Vſus eſt Erasmus tribus manu exaratis libris; dolent autem eruditi viri, illum, melioribus codicibus deſtitutum, plura præſtare non potuiſſe. Id quod quum animaduertit RENATVS MASSVETVS, * addit: *tot enim mendis, lacunis mutilisque ac deprauatis periodis ſcatet Erasmi editio, vt Irenæus ſæpe in ipſo Irenæo quæratur illiusque ſententiam adſequi, difficile ſit.* Conſecratum eſt opus hoc Bernardo, eo tempore epiſcopo Tridentino: **

CHRYSOSTOMI *opera*, Baſileæ MDXXX, MDXXXIII. apud Frobenium, quinque tomis, quæ vti Erasmus recenſuit; *** ita eodem interprete varia Chryſoſtomi opuſcula latine prodierunt, vti ſunt: homiliæ quinque *aduerſus iudæos:* homiliæ quatuor de *Lazaro et diuite:* homiliæ de *viſione:* homilia de *Philogonio* martyre: libri duo de *orando deum:* libri tres de *Davide et Saule:* homilia, *quum presbyter eſſet deſi-*

* *præfatione* ad *Irenæi libros contra hæreſes*, Pariſiis MDCCX. p. 5.

** dedicatio hæc locum obtinuit in ERASMI *epiſtolis libr.* XXVIII. *num.* 5. p. 1610. editionis Londinenſis, et in IRENAEI *libris contra hæreſes*, a *Maſſueto* editis, eorumque ſine: adde: GRABII *prolegomena ad Irenæum ſection.* III. p. 17.

*** vide: ERASMI *epiſtolas libr.* XXVIII. *num.* 4. p. 1590. dictæ editionis, vbi etiam de variis Chryſoſtomi ſcriptis, ab ipſo per minora volumina ſeparatim in lucem emiſſis, diſſerit, *epiſtol.* 23. 24. 83. ſqq.

designatus: in psalmum: cantate domino: homilia, *quum Sartoninus et Aurelianus acti essent in exsilium et Gainas egressus esset a ciuitate et de auaritia:* homiliæ duæ de *fide Annæ:* homiliæ quatuor *commentariorum in acta apostolorum:* homiliæ septem *commentariorum in secundam ad Corinthios:* enarratio *in epistolam ad Galatas:* homiliæ duæ *in epistolam ad Philippenses.* Omnia monimenta hæc, ab Erasmo latine reddita, lucem viderunt. * Eodem modo et in aliorum græcorum patrum scriptis versatus est, nominatim:

ATHANASII, cuius sequentia opuscula ab Erasmo in latinum sermonem conuersa atque edita sunt: epistolæ duæ de *sancto spiritu:* epistolæ duæ *contra Eusebium de Nicæna synodo:* apologetici duo *aduersus eos, qui calumniabantur, quod in persequutione fugisset:* homilia de *passione domini:* opus *de hoc, quod scriptum est Luc.* XIX, 30. de *virginitate; siue de exercitatione:* de *peccato in spiritum sanctum:* ac de *spiritu sancto:* **

ORIGENIS *commentariorum in euangelium Matthæi fragmento*, latine, a capite XIII. ad XVI. ***

BASILII *operibus*, græce cum ERASMI *præfatione* Basileæ apud Hieronymum Frobenium MDXXXII. fol. quæ editio putatur omnium prima. Continentur ista græce: homiliæ in *hexaëmeron* et in *psalmos:* aliæ XXIX. homiliæ de *diuersis argumentis:* liber de *spiritu sancto* cum *epistolis* nonnullis. * Singularia quoque nonnulla Basilii scripta Erasmus latine interpretatus est ac separatim recensuit. Sunt ista: *expositio in prophetam Iesaiam:* liber de *spiritu sancto:* homiliæ duæ de *laudibus ieiunii.* **

§. IV.

---

* coniunctim exhibentur ista ERASMI *operum tom.* VIII. p. 7. sqq. edition. Lugdun. Batauorum MDCCVI. fol.

** omnia hæc itidem exstant in ERASMI *operum tom.* VIII. p. 327. sq. dictæ editionis.

*** est *ibidem* p. 439.

* vide GARNIERII *præfationem ad Basilii opera*, Parisiis MDCCXXI. fol.

** exstant scripta hæc latine in ERASMI *operum tom.* VIII. p. 483. memoratæ editionis.

§. IV.

Sequitur classis tertia editionum patrum ordinis sacri, quæ *recentiores* adpellari possunt. Aspexerunt istæ lucem seculo superiori nostroque; siue septimo ac octauo decimo atque ita adornatæ sunt, si non omnes; multæ tamen, vt iis, quæ antea in conspectum publicum venerunt, præstantia sua antecellant, siue ad res ipsas; siue ad typorum elegantiam animum aduertere velimus. *

* Editiones hæ variis virtutibus se commendant ac iure locum superiorem tuentur. Sunt istæ I.) reliquis pleniores ac monimenta complectuntur, quæ nondum edita fuerant; nunc autem ex tenebris ad primam lucem veniebant: II.) in patrum scriptis adulterinis ab iis, quæ germana sunt, rite discernendis illi, qui in illis edendis versati sunt, maiorem ac feliciorem operam probarunt; nec solum ipsa scripta falsa recensuerunt; sed etiam hanc in rem præcepta critica dederunt, cuiusmodi labore perfuncti sunt: ANDREAS RIVETVS in *critico sacro:* ROBERTVS COCVS in *censura quorumdam scriptorum:* IO. HENRIC. HOTTINGERVS in *elencho; seu catalogo scriptorum suppositiorum:* ABR. SCVLTETVS *aphorismis de fructuosa lectione patrum*, eiusdem *medullæ* præmissis: GVIL. CAVEVS *prolegomenis ad historiam litterar. scriptorum ecclesiasticorum* atque alii, quos infra debito loco pluribus commemorabo: III.) patrum græcorum interpretationes latinæ, quando illæ antea vel minus recte atque adcurate; vel haud scite ac satis perspicue compositæ fuerant, ad veram auctorum sententiam facilius adsequendam diligenter emendatæ sunt: IV.) accesserunt notæ, ita conscriptæ, vt diuersas lectiones, ex codicibus manu exaratis collectas, exhibeant atque ipsis patribus rebusque, quas isti tradiderunt, lucem præbeant: V.) laudari omnino debent; nec mediocrem vtilitatem promittunt præfationes, singulares commentationes ac dissertationes, quibus instructas esse nonnullas harum editionum, maxime a monachis Benedictinis e congregatione sancti Mauri vulgatas, constat. Enarrantur ibi patrum vitæ resque gestæ, sæpe ex ipsis eorum libris: scriptorum, quæ reliquerunt, historia ac editiones: dogmata

ac controuerſiæ: locorum, quæ difficilia; vel dubia ſunt, explicationes ac quæ ſunt alia generis huius argumenta: VI.) nec omittendus eſt ſplendor, quem ab elegantia ac præſtantia chartarum ac litterarum habent editiones, inprimis in Gallia atque Anglia publicæ luci expoſitæ.

§. V.

Inter recentiores patrum editiones illæ inprimis ſingularem laudem atque exiſtimationem ſibi conciliarunt, quæ in *Gallia* cura ac ſtudio monachorum Benedictinorum e congregatione ſancti Mauri in lucem prodierunt. In ornandis atque edendis iſtis dicti monachi induſtriam et eruditionem haud mediocrem probarunt; tantum tamen abfuit, vt omnibus ſatisfacerent; vt in varias incurrerent reprehenſiones ſibique neceſſitatem defendendi impoſitam eſſe, putarent. Lucem viderunt ſtudio:

NICOLAI HVGONIS MENARDI *ſancti Gregorii papæ* I. *liber ſacramentorum, cum notis et obſeruationibus*, Pariſiis MDCXLII. 4. * Quæ additæ ſunt, notæ luculenter teſtantur de Menardi eruditione ac iudicio. Exſtat quoque BARNABAE *epiſtola*, a MENARDO hoc illuſtrata; non autem ab eo ipſo; ſed a *Luca Dacherio*, poſtquam iſte mortalitatem ſuam finierat, cum veteri verſione ac Menardi notis in lucem emiſſa, Pariſiis MDCXLV. 4. **

IACOBI DV FRISCHE ac NICOLAI LE NOVRRY *ſancti Ambroſii, Mediolanenſis epiſcopi, opera, ad manuſcriptos codices Vaticanos, Gallicanos, Belgicos, ceter. nec non ad editiones veteres emendata*, duobus tomis, quorum primus Pariſiis MDCLXXXVI. ſecundus autem ibidem MDCXC. fol. prodiit. Labore, ad *opera* hæc adhibito, memorati doctiſſimi viri partite perfuncti ſunt, ita vt FRISCHE prioris; NOVRRY autem poſterioris tomi curam ſuſciperet. Scripta Ambroſii eo ordine diſpoſita ſunt, vt prior tomus

 ea

* notæ hæ translatæ ſunt in GREGORII *magni operum*, a monachis Benedictinis editorum, *tomum* III. p. 273.

** cum notis *Menardi* epiſtola hæc exſtat in COTELERII *patrum apoſtolicor. volum.* I. p 5. edit. CLERICI, Amſtelodami MDCCXXIV.

ea complectatur, quæ ad ſcripturarum ſacrarum interpretationem pertinent: poſterior reliquas Ambroſii lucubrationes exhibeat, vna cum adpendice, in qua triplex Ambroſii vita locum obtinuit. * RICHARDVS SIMON quæ in editione hac reprehenderet, inueniſſe ſibi viſus eſt. **

IO. GARETII *magni Aurelii Caſſiodori, ſenatoris, viri patricii, conſularis et Viuarienſis abbatis, opera omnia, in duos tomos diſtributa, ad fidem manuſcriptorum codicum emendata et aucta, notis et obſeruationibus illuſtrata, cum indicibus locupletiſſimis, quibus præmittitur illius vita, quæ nunc primum in lucem prodit; cum diſſertatione de eius monachatu*, Rothomagi MDCLXXIX. fol. et iterum Venetiis MDCCXXIX. fol. Diuiſum eſt opus hoc in duas partes, quarum altera continet omnia ſcripta, a Caſſiodoro tanquam politico et hiſtorico compoſita, vti ſunt libri duodecim *variarum*; ſiue varii generis epiſtolarum: *hiſtoriæ eccleſiaſticæ tripartitæ epitome: chronicon* ad Theodoricum regem: *computus paſchalis*, cum IORNANDE de *Gothorum origine et rebus geſtis*. Altera pars complectitur ea, quibus Caſſiodorus ſcripturas diuinas explanauit, vna cum eiusdem libris de *inſtitutione diuinarum litterarum*: de *artibus ac diſciplinis liberalium litterarum*: de *oratione et octo partibus orationis*: de *orthographia*: de *anima*. In colligendis atque edendis ſcriptis his GARETIVS maxime laudabilem atque egregiam operam poſuit. Primus ille ſingulas Caſſiodori lucubrationes coniunctim euulgauit: codices manuſcriptos diligenter conſuluit atque in illis multa reſtituit, quæ adhuc in editis operibus omiſſa fuerant: quæ nondum erant edita, ex tenebris in lucem vocauit; præterea autem non ſolum ſuas; ſed etiam aliorum, nominatim CLAVDII GRVLARTI et FRANCISCI IVRETI, notas adiecit: ***

IO.

* recenſetur editio hæc in *actis eruditor.* MDCLXXXVIII. p. 64. et eorum *ſupplement. tom.* II. p. 209. in CAVEI *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. volum.* I. p. 262. OVDINI *commentar. de ſcriptorib. eccleſiaſtic. tom.* I. p. 656. ITTIGII *præfation. ad tractatum de bibliothec. patrum* p. 91.

** in *lettres choiſies* p. 74.

*** *ad noua acta eruditorum ſupplement. tom.* I. p. I.

IO. MABILLONII *sancti Bernardi, abbatis primi Claraeuallensis, opera, post Horstium denuo recognita, aucta et in meliorem digesta ordinem; nec non nouis praefationibus, admonitionibus, notis et obseruationibus indicibusque copiosissimis locupletata et illustrata*, Parisiis MDCLXVII. fol. duobus voluminibus: eodem loco atque anno 8. nouem voluminibus: iterum atque iterum Parisiis MDCXC. fol. duobus voluminibus ac MDCCXIX. fol. itidem duobus voluminibus. Referri solet Bernardus inter patres ecclesiae; minus autem adcurate, haecque est caussa, cur nunc *opera* eius, a Mabillonio edita, recenseam: *

THOMAE BLAMPINI *sancti Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi, opera omnia, post Louaniensium theologorum recensionem, castigata denuo ad manuscriptos codices Gallicanos, Vaticanos, Anglicanos, Belgicos, ceter. nec non ad editiones antiquiores et castigatiores*, Parisiis edita atque in vndecim tomos fol. diuisa. Eorum primus et secundus in lucem emissi sunt MDCLXXIX. tertius MDCLXXX. quartus MDCLXXXI. quintus MDCLXXXIII. sextus et septimus MDCLXXXV. octauus ac nonus MDCLXXXVIII. decimus MDCXC. vndecimus, in quo sunt: Augustini vita, ex eius potissimum scriptis concinnata; nec non indices generales tum in opera Augustini; tum in alia, quae in adpendices translata sunt; index quoque alphabeticus operum Augustini: eorumdem distributio noua, comparata cum editione Louaniensi, nonnulla denique addenda et corrigenda, MDCC. ** Cuius mentionem feci, Blampinus praecipue quidem curam ac laborem ad editionem hanc contulit; adiutus tamen fuit ab ordinis sui sociis, *Francisco Delfau, Io. Mabillonio* atque aliis. Praefatio generalis, quae praemissa est, iam dicto *Mabillonio* tribuitur. *** Narrantur ibi, quae de editione hac peracta sint. Quamuis enim monachi hi Benedictini in ista ornanda omnem laudabilem industriam posuerint; fuerunt tamen, qui acerbe eam im-

 pugna-

* *actor. eruditor. supplement. tom.* I. p. 556.

** *acta eruditor.* MDCLXXXIII. p. I. MDCLXXXVIII. p. 618. MDCCI. p. 248.

*** vide: DVPIN *nouuell. bibliothequ. des auteurs ecclesiastiqu. tom.* XVIII. p. 225.

pugnarent ac monachis illis imponerent necessitatem, caussam editionis suae peragendi. Inter aduersarios hos iesuita quidam, EMERICVS L'ANGLOIS, primus exstitit, qui se opponeret ac sub nomine *abbatis Germani* ederet: *lettre d' vn abbé Alemand contre la nouuelle edition de saint Augustin.* Respondit BERNARDVS DE MONTFAVCON ac ficto nomine D. B. DE RIVIERE vsus, in lucem protulit: *vindicias editionis Augustini, a Benedictinis adornatae, aduersus epistolam abbatis Germani,* Romae MDCXCIX. 12. * Ad eum adiunxerunt se alii atque itidem pro noua Augustini editione pugnarunt: DIONYSIVS nimirum SAMMARTHANVS, qui emisit: *reflexions sur la lettre d' vn abbé d' Alemagne aux* R. R. P. P. *Benedictins de la congregation de saint Maur sur leur dernier tome de l' edition de saint Augustin,* Rothomagi MDCXCIX. 12. ** auctor scripti, cuius titulus est: *lettre d' vn ecclesiastique aux* R. P. D. E. L. FRANCISC. LAMIVS, cuius prodiit: *lettre d' vn theologien a vn de ses amis sur vn libelle, qui a pour titre: lettre de l'abbé aux* R. R. P. P. *Benedictins de sa congregation de saint Maur sur le dernier tome de leur edition de saint Augustin,* MDCXCIX. 12. item scriptum, quod titulum prae se fert: *plainte de l' apologiste des Benedictins a messeigneurs les prelats de France,* MDCXCIX. 8. Reprehenderunt quoque Benedictinos BARTHOLOMAEVS GERMONIVS *** et IGNATIVS DE LAVBRVSSEL, * quibus PETRVS COVSTANT ** restitit ac pro Benedictinis disputauit. Nec omittendus est RICHARDVS SIMON, qui monachos hos atque ab illis AVGVSTINI *opera* edita acerrime perstringit iisdemque imperitiam artis criticae, crassam ignorantiam atque alia vitia gra-

* auctorem memorati scripti esse MONTFAVCONIVM, animaduertunt: SIMON *bibliothequ. critiqu. tom.* III. *cap.* 12. p. 116. et PEZ *bibliothec. Benedictin. Maurian.* p. 371. adde: *histoire des ouurag. des sauans* MDCXCIX. p. 269.

** SIMON *bibliothequ. critiqu. tom.* III. *cap.* II. p. 114.

*** de *veter. reg. Franc. diplomat. discept.* II. *adpendic. cap.* 3. sqq.

* libro, gallica lingua edito, de *abusu criticae in rebus, ad religionem spectantib. tom.* I. p. 131.

** in *vindiciis codicum manuscriptor. cap.* XV. et in *vindiciis veterum codicum confirmatis part.* V. *cap.* I. p. 478.

grauiora exprobrat. * Eorum, quæ aduerſarii hi Benedictinis de editione Auguſtini obiecerunt, præcipua capita ſunt, iſtos ſatis monſtraſſe, ſe a Ianſenii dogmatibus haud alienos eſſe, ac codices ſequutos fuiſſe, deprauatos maxime ab adſeclis Gotteſchalci et Ratramni. ** Editio hæc Auguſtini Pariſienſis denuo deſcripta eſt non Antuerpiæ, vt titulus præfert; ſed Amſtelodami, ab anno MDCC. fol. minori typorum charactere. Curam geſſit IO PHEREPONVS, id eſt, IO. CLERICVS ac tomus duodecimus acceſſit, ſub titulo: *adpendix Auguſtiniana*, qua continentur: PROSPERI *carmen de ingratis*, cum notis *Martini Steyarti*, Louanienſis theologi: IO. GARNERII *diſſertationes pertinentes ad hiſtoriam Pelagianam:* PELAGII *commentarii in epiſtolas Paulli:* DESID. ERASMI, IO. LVD. VIVIS, IACOB. SIRMONDI, HENR. NORISII, IO. PHEREPONI et aliorum *præfationes*, *cenſuræ*, *notæ et animaduerſiones in omnia Auguſtini opera.* *** Sed tamen editio hæc tantum abfuit, vt omnibus ſeſe commendaret; vt variorum vitiorum adcuſaretur: ab aliis, eam multis operarum erratis contaminatam eſſe: ab aliis, Clericum in notis ſuis liberius de Auguſtino ſenſiſſe: in *adpendice* ea exſtare, quæ in reprehenſionem merito incurrant. Defenſionem Auguſtini ſuſceperunt ac Clericum confutarunt: ROBERTVS IENKIVS in *apologia Auguſtini*, Cantabrigiæ MDCCVII. 8. ſine nomine edita * et LAMINDVS PRITANIVS; ſiue qui ſub nomine hoc latet, LVDOV. ANTON. MVRATORIVS in libris de *ingeniorum moderatione in religionis negotio*, editis Pariſiis MDCCXIV. et Francofurti MDCCXVI. 8. Promiſſa denique atque adnuntiata eſt editio Veneta, adcurate ad ex-

 emplum

* *bibliothequ critiqu. tom.* III. *cap.* II. p. 101. et *tom.* IV. *epiſtol.* 4. et 5. p. 37. ſqq.

** qualia ſcripta in ſingulis tomis ſint ac qualem ordinem iſta inter ſe habeant, oſtendunt: CAVEVS *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor. volum.* I. p. 292. OVDINVS *commentar. de ſcriptoribus eccleſiaſtic. tom.* I. p. 955.

*** *acta eruditor.* MDCCIII. p. 289. OVDINVS *dicto loco* p. 986. *nouuelles de la republiqu. des lettres* MDCCII. *tom.* II. p. 359. CLERICI *bibliothequ. choiſ. tom.* I. p. 399.

* *hiſtoire des ouurages des ſauans* MDCCVIII. p. 435.

emplum Parisiense descripta, * quæ num omnino lucem adspexerit, me ignorare fateor: **

NICOLAI LE NOVRRY *Lucii Cecilii liber ad Donatum confessorem de mortibus persequutorum, hactenus Lactantio adscriptus, ad Colbertinum codicem denuo emendatus. Accessit dissertatio, in qua de huius libri auctore disputatur et omnia illius loca dubia illustrantur,* Parisiis MDCCX. 8. *** In addita dissertatione non solum de auctore libri de *mortibus persequutorum* disputatur illumque Lactantium esse, contra plerorumque sententiam negatur; sed etiam exponitur de aliis argumentis atque inter hæc de signo crucis, a Constantino magno viso: de imperatoribus romanis, christianorum persequutoribus; præterea autem notæ atque animaduersiones in librum hunc exhibentur. Eidem NOVRRIO eiusque industriæ debemus AMBROSII *operum*, quæ cura monachorum Benedictinorum prodierunt, *tomum posteriorem*, id quod iam antea memoraui:

BERNARDI DE MONTFAVCON varia patrum scripta: I.) *sancti patris nostri Athanasii, archiepiscopi Alexandrini, opera omnia, quæ exstant; vel quæ eius nomine circumferuntur, ad manuscriptos codices Gallicanos, Vaticanos ceter. nec non ad Commelinianas lectiones castigata: multis aucta: noua interpretatione, præfationibus, notis, variis lectionibus illustrata: noua sancti doctoris vita, onomastico et copiosissimis indici-*

---

* *acta eruditor.* MDCCVII. p. 94. *noua litterar. Hamburgens.* MDCCVII. p. 35.

** quæ de editione Augustini Parisiensi disputata ac controuersa sunt, ea relata atque illustrata legimus in *bibliothequ. Germaniqu. tom.* XXXIII. p. 188 *tom.* XXXIV. p. 13. *tom.* XXXV. p. 69. PFAFFII *specimine historiæ dogmaticæ de gratia et prædestinatione*, in *primitiis* eius *Tubingensib.* p. 97. BVDDEI *isagog. ad theologiam vniuersam libr.* II. *cap.* 3. §. 10. p. 592. DVPINII *nouuelle bibliotheque des auteurs ecclesiastiqu. tom.* XVIII. p. 223. FABRICII *bibliothec. latin. volum.* III. p. 516. *præfatione generali* editionis huius, quæ *tomo* illius *vndecimo* exstat et MABILLONIO tribuitur, quemadmodum iam antea animaduerti.

*** *memoires de Treuoux* MDCCXI. *ianuar.* p. I. CLERICI *bibliothequ. anciennn. et modern. tom.* III. p. 431. *acta eruditor.* MDCCXI. p. 469.

dicibus locupletata, Parisiis MDCXCVIII. fol. tribus tomis.* Ex titulo hoc copioso, quem transscripsi, satis perspicimus, qualis editionis huius sit ratio: qualis eiusdem præstantia. Omnium scriptorum, quæ nomen Athanasii præ se ferunt, duæ partes constitutæ sunt quumque prima pars in duos tomos diuisa est, tres totius operis tomi numerantur. Duo priores eorum germana Athanasii monimenta ingenii complectuntur; tertius autem; siue vltimus ea exhibet, quæ vel dubia; vel aperte adulterina sunt. Accesserunt multa Athanasii scripta, quæ nondum edita fuerant ac noua græci textus latina interpretatio composita est. Quantum fieri potuit, Benedictini monachi id quoque diligenter curarunt, vt ipsa scripta Athanasii ad temporis, quo illa litteris consignata sunt, ordinem disponerent. Præter alia, addita est vita episcopi huius, a Benedictinis magno atque adcuratiori studio conscripta lectioneque digna: II.) *collectio noua patrum et scriptorum græcorum, Eusebii Cæsareensis, Athanasii et Cosmæ Aegyptii. Hæc nunc primum ex manuscriptis codicibus græcis, Italicis Gallicanisque eruit, latine vertit notis et præfationibus illustrauit Bernardus de Montfaucon*, Parisiis MDCCVII. fol. duobus tomis, ** cuius operis eam præcipue ob caussam mentionem facio, quoniam ibi *** habentur: ATHANASII *opuscula, secundis curis reperta et antehac inedita*, ac per illa supplementum editionis Athanasii Benedictinorum exhibetur: * III.) *hexaplorum Origenis quæ supersunt, multis partibus auctiora, quam a Flaminio Nobilio et Ioanne Drusio edita fuerint, ex manuscriptis et libris eruit et notis illustrauit Bernardus de Monfaucon*, Parisiis

* BERNARDI *nouuelles de la republiqu. des lettres* MDCXCIX. *mart.* p. 243. *mai.* p. 569. NEOCORI et SIKII *bibliothec. librorum nouorum tom.* IV. p. 3. *acta eruditor.* MDCXCIX. p. 193. FABRICII *bibliothec. græca, volum.* V. p. 300. qui diligenter editionem hanc recenset: ITTIGII *præfatio ad tractatum de bibliothecis et catenis patrum* p. 51.

** *iournal des sauans* MDCCVII. *ianuar.* p. 30. CLERICI *bibliothequ. ancienne et modern. tom.* IV. p. I. *acta eruditor.* MDCCVII. p. 434. *vnschuld. nachrichten* 1707. p. 564.

*** in principio *tomi* II.

* quæ sint opuscula hæc, refert ITTIGIVS *præfatione tractatus de bibliothecis et catenis patrum* p. 55.

risiis MDCCXIII. fol. duobus tomis. Praeter alia, quae opus hoc ornant ac commendant, instructum illud est discrepantibus lectionibus ac notis praefertque *praeliminaria* amplissima atque eruditissima de tetraplis hexaplisque Origenis: de historia versionum graecarum atque aliis argumentis: * IV.) *sancti patris nostri Ioannis Chrysostomi, archiepiscopi Constantinopolitani, opera omnia, quae exstant; vel quae eius nomine circumferuntur, ad manuscriptos codices Gallicanos, Vaticanos, Anglicanos Germanosque; nec non ad Sauilianam et Frontonianam editiones castigata: innumeris aucta: noua interpretatione, vbi opus erat, praefationibus, monitis, notis, variis lectionibus illustrata: noua sancti doctoris vita, adpendicibus, onomastico et copiosissimis indicibus locupletata*, Parisiis ab anno MDCCXVIII. ad annum MDCCXXXVIII. fol. tribus ac decem tomis: **

10. MARTIANEI *Hieronymi* editio, quae, antequam in conspectum publicum prodiret, emisit ille in lucem: *diui Hieronymi prodromum; siue epistolam ad omnes viros doctos ac studiosos, cum epistola sancti Hieronymi ad Sunniam et Fretelam castigata ad manuscriptos codices optimae notae ac multiplici obseruationum genere illustrata*, Parisiis MDCXC.*** Sequuta est ipsa editio Hieronymi cura eiusdem Martianaei, quinque tomis, quorum *primus* ita inscriptus prodiit: *sancti Eusebii Hieronymi, Stridonensis presbyteri, diuina bibliotheca, antehac inedita, complectens translationes latinas veteris et noui testamenti, cum ex ebraeis; tum e graecis fontibus deriuata: innumera quoque scholia marginalia antiquissimi cuiusdam scriptoris ebraei, voces pressius exprimentis. Prodit e vetustissimis manuscriptis codicibus Gallicanis, Vaticanis,* ceter.

* *acta eruditorum* MDCCXIV. p. I. *memoires de Treuoux* MDCCXIV. *ianuar.* p. 107. *iournal des sauans* MDCCXIII. *nouembr.* p. 537. CLERICI *bibliotheque choisie part.* XXVII. p. 324. *deutsche acta erudit. volum.* II. p. 1013. *neuer büchersaal der gelehrten welt volum.* III. p. 539. 665. *nachrichten von einer hällischen bibliothec volum.* VII. p. 491.

** *iournal des sauans* MDCCXVIII. *mai.* p. 537.

*** *acta erudit.* MDCXCV. p. 98.

ceter. Parisiis MDCXCIII. fol. * Qui in *tomum* hunc ** translati sunt, *canones euangeliorum*, restituit ANTONIVS POVGET, monachus Benedictinus. RICHARDVS SIMON censuram edidit, sub titulo: *critique du liure publie par les moines Benedictins de la congregation de saint Maur sous le titre de bibliotheque diuine de Ierome*, Coloniae MDCXCIX. 8. Tomi *secundi* titulus est: *sancti Eusebii Hieronymi operum tomus secundus, complectens libros editos ac ineditos etymologicos, geographicos, quaestiones ebraicas, epistolas criticas et commentarios in sacra volumina, a genesi vsque ad prophetas*, Parisiis MDCXCIX. fol. *** Qui sequitur, tomus *tertius* hanc praefert inscriptionem: *sancti Eusebii Hieronymi operum tomus tertius, complectens commentarios in sexdecim prophetas maiores atque minores, restitutos ad fidem manuscriptorum codicum vetustissimorum*, Parisiis MDCCIV. fol. * in quo edendo Nicostratus Bara, monachus Benedictinus ex congregatione sancti Mauri, Martianaeo adiutorem se praebuit. ** Titulus tomi *quarti* est: *sancti Eusebii Hieronymi operum tomus quartus, in binas partes diuisus, complectens commentarios omnes in nouum testamentum atque epistolas criticas eiusdem argumenti, ordine librorum scripturae sacrae positas: deinde cunctas alias epistolas ordine chronologico, nunc primum editas et in varias classes distributas, cum opusculis apologeticis et polemicis, ad fidem vetustissimorum codicum recensitis ac restitutis*, Parisiis MDCCVI. fol.*** Tomus denique *quintus* huius est inscriptionis: *sancti Eusebii Hieronymi operum tomus quintus, complectens vitam sancti Hieronymi, a duobus anonymis scriptam: catalogum Genna-*

* *acta eruditor. dicto loco*, vbi *prodromus* et *tomus* hic *primus* coniunctim recensentur.

** p. 1429.

*** *acta eruditor.* MDCXCIX. p. 528. BERNARDI *nouuelles de la republiqu. des lettres* MDCC. *iul. p.* 67. *iournal des sauans* MDCXCVI. p. 455. MDCC. p. 308. 317.

* *iournal des sauans* MDCCIV. *iun.* p. 553. *acta eruditor.* MDCCVI. p. 417.

** vide: PEZII *bibliothec. Benedictino-Maurian.* p. 331.

*** tomus quartus vna cum quinto recensetur in *memoires de Treuoux* MDCCVII. *febr.* p. 297. ac *iournal des sauans* MDCCVI. *nouembr.* p. 960.

Gennadii de viris illuſtribus: opuſcula omnia ſuppoſititia, tam edita; quam inedita, cum adpendice curioſiſſima theſium et diſputationum in biblia ſacra, quas antea nullus poſteris tradiderat, Pariſiis MDCCVI. fol. * De editione hac Hieronymi MARTIANAEVS nactus eſt aduerſarios, inter quos principes fuerunt: RICHARDVS SIMON et IO. CLERICVS. Ille, qui SIMON eſt, pugnauit contra Martianæi Hieronymum non ſolum in *critique du liure publie par les moines Benedictins de la congregation de ſaint Maur ſous le titre de bibliotheque diuine de ſaint Ierome,* cuius antea mentionem feci; ſed etiam in *lettres critiques* et in *lettres choiſies;* ** hic autem; ſiue CLERICVS in *quæſtionibus Hieronymianis*, Amſtelodami MDCC. 8. editis, de quibus infra plura diſſerere, animus mihi eſt. Hoſtibus his MARTIANAEVS reſtitit ac cauſſam ſuam egit contra Simonem in *defenſe de la bible de ſaint Ierome contre la critique de mr. Simon,* MDCXCIX. in lucem emiſſa ac contra Clericum in *eruditionis Hieronymianæ defenſione,* Pariſiis MDCC. 8. *** In concertatione hac vtraque pars neglexit leges moderationis ac nimium indulſit animi adfectibus: *

DIONYSII SAMMARTHANI *ſancti Gregorii papæ* I. *cognomento magni, opera omnia, ad manuſcriptos codices Romanos, Gallicanos, Anglicanos emendata, aucta et illuſtrata notis,* Pariſiis MDCCV. fol. quatuor tomis. Quartus horum tomorum complectitur triplicem vitam Gregorii magni: primam a PAVLLO *diacono* breuiter deſcriptam: ſecundam, cuius auctor IOANNES *diaconus* eſt: tertiam a DIO-

* notitia tomi quinti ſuppeditatur in commentariis litterariis, paullo antea adductis, quemadmodum iam memoraui.

** *tom.* I. p. 222.

*** ſcriptum hoc MARTIANAEVS tranſtulit in HIERONYMI *operum tomum* III. p. 1138.

* de editione hac generatim ac ſingulis illius tomis coniunctim exponitur: in *nouis litterar. Hamburg.* MDCCVII. p. 145. BAVMGARTENII *nachrichten von merckwürdigen Büchern, volum* IX. p. 48. FABRICII *bibliothec. latin. volumin.* III. p. 452 ITTIGII *præfatione ad tractatum de bibliothecis et catenis patrum* p. 96. NICERONII *memoires tom.* I. p. 108. CAVEI *hiſtor. litterar. ſcriptorum eccleſiaſtic. volum.* I. p. 268. OVDINI *commentar. de ſcriptorib. eccleſiaſt. tom.* I. p. 857.

a DIONYSIO SAMMARTHANO copiose atque adcurate compositam: primum gallice editam; postea autem in sermonem latinum conuersam atque in tomum vltimum GREGORII *operum*, quemadmodum antea iam animaduerti, translatam: *

PETRI COVSTANT *sancti Hilarii, Pictauorum episcopi, opera, ad manuscriptos codices Gallicanos, Romanos, Belgicos; nec non ad veteres editiones castigata, aliquot aucta opusculis, præuiis in locos difficiles disputationibus, præfationibus, admonitionibus, notis, noua sancti confessoris vita et copiosissimis scripturarum, rerum, glossarum indicibus locupletata et illustrata,* Parisiis MDCXCIII. fol. Luculenta atque adcurata editio hæc copiosa ornata est præfatione de Hilarii scriptis, eorum editionibus, codicibus, eiusdemque dogmatibus, vna cum Hilarii vita, ex ipsius scriptis ac veterum monimentis nunc primum concinnata. ** Editio hæc Benedictinorum Parisiensis denuo descripta iterumque in lucem emissa est, *nunc*, vt titulus habet, *libris de trinitate et commentariis in psalmos, ad binos capituli Veronensis codices, antiquitate ac præstantia quosuis ad hanc diem cognitos facile exsuperantes, diligenter exactis atque octo maxime variantium tractatuum adiectione locupletatis*, Veronæ MDCCXXX. fol. duobus tomis. ***

RENATI MASSVETI *sancti Irenæi, episcopi Lugdunensis et martyris, detectionis et euersionis falso cognominatæ agnitionis; seu contra hæreses libri quinque. Post Francisci Feuardentii et Ioann. Ernesti Grabii recensionem castigati denuo ad manuscriptos codices, Romanos, Gallicanos et Anglicanos; nec non ad antiquiores editiones, et a multis, quibus adhuc scatebant, mendis expurgati: aucti nouis fragmentis græcis: obser-*

---

* *iournal des sauans* MDCCV. *decembr.* p. 1174. 1200. *memoires de Treuoux* MDCCVII. *mart.* p. 377. BERNARDI *nouuelles de la republiqu. des lettres* MDCCV. *nouembr.* p. 582. *acta eruditor.* MDCCVI. p. 385. OVDINI *commentar. de scriptoribus ecclesiastic. tom.* I. p. 1549.

** *actor. erudit. supplement. tom* III. p. 49. OVDINI *comment. de scriptorib. ecclesiastic. tom.* I. p. 443 ITTIGII *præfat. ad tractatum de bibliothec. et catenis patrum* p. 62.

*** *actor. eruditor. supplement. tom.* X. p. 337.

obseruationibus ac notis copiosissimisque glossariis et indicibus illustrati et locupletati, Parisiis MDCCX. fol. Præter alia, splendidam ac luculentam editionem hanc commendant tres dissertationes, a MASSVETO præmissæ, quarum *prima* de hæreticis, quos libro primo recenset Irenæus, eorumque actibus, scriptis et doctrina: *secunda* de sancti Irenæi vita, gestis et scriptis: *tertia* de eiusdem doctrina exponitur: *

IVLIANI GARNIERI *sancti patris nostri, Basilii, Cæsareæ Cappadociæ archiepiscopi, opera omnia, quæ exstant; vel quæ eius nomine circumferuntur, ad manuscriptos codices Gallicanos, Vaticanos, Florentinos et Anglicos; nec non ad antiquiores editiones castigata: multis aucta: noua interpretatione, criticis præfationibus, notis, variis lectionibus illustrata: noua sancti doctoris vita et copiosissimis indicibus locupletata.* Præclaræ atque insignis editionis huius tres tomi sunt, Parisiis fol. editi. Primus prodiit MDCCXXI. secundus MDCCXXII. tertius MDCCXXX. Singuli ornati sunt præfationibus, diligenter ac copiose conscriptis. Ea, quam primus tomus præ se habet, varia argumenta explanantur: vtrum res vno momento; an sex dierum spatio creatæ sint? de aquis supra cælos: de psalmis, de Theodori Heracleotæ commentario atque aliis. Quæ præfatus est auctor ad tomum secundum, illa ad monimenta quædam, Basilio adscripta, spectant fitque de eorum auctoritate disputatio, num germana ista sint; an adulterina? speciatim ad homilias ac scripta ascetica. Præfatione tomi tertii recensentur atque illustrantur dogmata quædam Basilii eaque de vna; vel tribus hypostasibus in personis diuinis: de processione spiritus sancti ex filio: de mundo, num ille temporis momento creatus fuerit? de auctoritate traditionis: de christi præsentia in sacra cœna atque alia. Sequitur præfationem hanc Basilii *vita*, copiose ac diligenter composita: **

ANTO-

* *iournal des sauans* MDCCXI. *ianuar.* p. 68. *memoires de Treuoux* MDCCXI. *april.* p. 557. CLERICI *bibliothequ. choisie tom.* XXV. p. 237. *acta eruditor.* MDCCXII. p. 173. OVDINI *commentar. de scriptorib. ecclesiastic. tom.* I. p. 208. FABRICII *bibliothec. græc. volumin.* V. p. 69.

** *acta eruditor.* MDCCXXII. p. 465. MDCCXXXI. p. 491. 537.

iour-

ANTONII AVGVSTINI TOVTTEE *sancti Cyrilli Hierosolymitani opera, quae exstant, omnia et eius nomine circumferuntur, graece et latine, ad manuscriptos codices; nec non ad superiores editiones castigata: dissertationibus et notis illustrata, cum noua interpretatione et copiosis indicibus*, Parisiis MDCCXX. fol. Insignis est editio haec atque inter reliquas omnes praestantia ac splendore suo omnino princeps. Ornandi illam Touttee eam rationem sibi praescripsit, vt quae Cyrillus ipse graece scripsit, ea ad fidem codicum manu exaratorum ac vetustiorum editionum emendaret: discrepantes lectiones studiose colligeret ac principales earum recenseret: nouam interpretationem latinam adornaret: additis notis cum rebus; tum verbis lucem adferret. Praeter alia, praemissae sunt tres dissertationes: *prima* de vita et rebus gestis Cyrilli, quas auctor diligenter persequitur: *secunda* de eiusdem scriptis, eorum veritate, antiquitate atque integritate, inprimis de catechesibus, quo tempore quoque loco illae sint habitae: *tertia* de Cyrilli doctrina, quam non omnem Touttee debita fide enarrat. Peruertit multa capita trahitque ad dogmata ecclesiae romanae, de traditione: de transsubstantiatione atque alia: *

PRVDENTII MARANI *sancti patris nostri Iustini, philosophi et martyris, opera, quae exstant, omnia; nec non Tatiani aduersus Graecos oratio, Athenagorae, philosophi Atheniensis, legatio pro christianis, Theophili Antiocheni tres ad Autolycum libri, Hermiae philosophi irrisio gentilium philosophorum: item in adpendice supposita Iustino opera, cum actis illius martyrii et excerptis operum deperditorum eiusdem Iustini et Tatiani et Theophili, cum manuscriptis codicibus collata ac nouis interpretationibus, notis, admonitionibus et praefatione*

iournal des sauans MDCCXXI. *decembr.* p. 683. *deutsche acta eruditor. volum.* IX. p. 77. *samlung von alten vnd neuen theol. sachen*, 1721. p. 781.

* *iournal literaire tom.* XI. p. 296. *memoires de Treuoux* MDCCXXI. *decembr.* p. 2338. *iournal des sauans* MDCCXX. *mai.* p. 554. *iun.* p. 603. *actor. eruditor. supplement. tom.* VIII. p. 193. *deutsche acta eruditor. volum.* VI. p. 1056. BAVMGARTENII *nachricht von merckwürdig. büchern volum.* XI. p. 153. 169. *samlung von alten vnd neuen theol. sachen* 1721. p. 604.

tione illustrata, cum indicibus copiosis, Parisiis MDCCXLII. fol. Qui *opera* hæc iuris publici fecit, monachus, aliorum Benedictinorum exemplum sequutus atque in illis expoliendis ita versatus est, vt codicibus manu exaratis vteretur, non sine prudentia: discrepantes scripturas animaduerteret cum iudicio: difficiliora loca iis notis illustraret, a quibus non mediocris vtilitas exspectanda est. Præfatio tribus constat partibus auctorque differit earum *prima* de variis editionibus atque interpretibus scriptorum, quæ in volumine hoc exhibentur: *secunda* de iis, quæ ad Iustini et aliorum religionis defensorum doctrinam spectant: *tertia* de gestis et scriptis Iustini, Tatiani, Athenagoræ et Theophili Antiocheni: *

CAROLI DELARVE *Origenis opera omnia, quæ græce; vel latine tantum exstant et eius nomine circumferuntur, ex variis editionibus et codicibus, manu exaratis, Gallicanis, Italicis, Germanicis et Anglicis collecta, recensita, latine versa atque adnotationibus illustrata, cum copiosis indicibus, vita auctoris et multis dissertationibus.* Quatuor tomi editionis huius sunt. Eorum primus in lucem prodiit Parisiis MDCCXXXIII. secundus eodem anno: tertius MDCCXL. ac quartus vltimusque MDCCLIX. fol. Primo tomo continentur: ORIGENIS *epistolæ:* fragmenta librorum de *resurrectione* et *stromateon:* libri περὶ ἀρχῶν, siue de *principiis:* de *oratione: exhortatio ad martyrium:* libri VIII. *contra Celsum*: de *dialogo contra Marcionitas;* siue de *recta in deum fide* ac *philosophumena.* Tomo secundo ac tertio exhibentur ORIGENIS *commentarii in libros scripturæ sacræ* ac tomi quarti denique pars prior complectitur ORIGENIS *commentarios* quosdam, antea omissos; posterior autem varia scripta, quæ ad Origenem, vitam, res gestas et dogmata eius pertinent, vti sunt: PAMPHILI *apologia pro Origene*, interprete Rufino: GREGORII *thaumaturgi oratio panegyrica in Origenem:* HVETII *Origeniana:* BVLLI commentatio, qua probatur, Origenem de diuinitate christi recte sensisse: **

THEO-

* *acta eruditor.* MDCCL. p. 625.

** *acta eruditorum* MDCCXXXVII. p. 289. MDCCXLVII. p. 337. 529. *iournal des sauans* MDCCXXXIV. *ianuar.* p. 34. *februar.* p. 159. 259. ERNESTI *theolog. bibliothec. volum.* VII. p. 371.

THEODORICI RVINARTI *sancti Georgii Florentii Gregorii, episcopi Turonensis, opera omnia; nec non Fredegarii scholastici epitome et chronicum cum suis continuatoribus et aliis antiquis monumentis ad codices manuscriptos et veteres editiones collata, emendata et aucta atque notis et obseruationibus illustrata*, Parisiis MDCXCIX. fol. quæ GREGORII *opera* maxime eam ob caussam iterum edenda se curasse, Ruinartus narrat, quod illa ob veterum codicum penuriam antea non adcurate et ad mentem auctoris descripta fuerint. * Magnam de patrum scriptis meritorum laudem famamque consequutos esse Benedictinos monachos, luculenter monstrant editiones, quas recensui idemque tot eruditissimorum virorum testimonia confirmant. **

§. VI.

Præter monachos Benedictinos e congregatione sancti Mauri, alii doctissimi viri in Gallia fuerunt, qui in scriptis patrum, publicæ luci exponendis, versarentur ac curarent, vt illa emendata atque illustrata prodirent. In illis multi quidem locum sibi fecerunt; non omnes autem parem laudem sibi compararunt, quum essent, qui aliis superiores se præberent ac maiorem eruditionem, ingenii iudiciique facultatem atque industriam et adcurationem monstrarent. Eam ob caussem mirum non est, editiones has in diuerso esse honore.*

* Inter eos Gallos, qui præter monachos Benedictinos curarunt, vt monimenta doctorum christianorum antiquioris ætatis in lucem prodirent, locum obtinent:

FRAN-

* *acta eruditor.* MDCC. p. 437.

** vberiorem notitiam de monachis Benedictinis e congregatione sancti Mauri eorumque scriptis, speciatim patrum editionibus suppeditant: PEZII *bibliotheca Benedictino-Mauriana; seu de ortu, vitis et scriptis patrum Benedictinorum e celeberrima congregatione sancti Mauri in Francia libri* II. Augustæ Vindelicorum MDCCXVI. 8. LE CERF *bibliotheque historique et critique des auteurs de la congregation de saint Maur*, Hagæ comitum MDCCXXVI. 8. quibus iam memoratis duobus auctoribus adiungi possunt: SIMON in *bibliothequ. critiqu. tom.* IV. p. 52. BVDDEVS *isagog. ad theolog. vniuers. libr.* II. *cap.* 3. § 10. p. 590.

FRANCISCVS BALDVINVS, qui OPTATI *Mileuitani* libros de *ſchismate Donatiſtarum* iuris publici fecit; Pariſiis MDLXIII. 8. quum autem editio hæc ſex tantum libros priores complecteretur, Balduinus de noua editione cogitauit ac librum ſeptimum, minutioribus characteribus exaratum, adiiciendum curauit. Duobus codicibus manuſcriptis vſus eſt eorumque opera multa emendauit; ipſa autem editio hæc lucem adſpexit Pariſiis MDLXIX. *

FRONTON. DVCAEVS, cui debemus: GREGORII *Nyſſeni opera*, latine tantum in lucem emiſſa, Pariſiis MDCIII. fol. quæ editio ceteris plenior atque adcuratior eſt: eiusdem *opera* græce ac latine, Pariſiis MDCXV. fol. duobus voluminibus, et iterum Pariſiis MDCXXXVIII. fol. tribus voluminibus, quæ editio amplior quidem eſt priore, quum *adpendix*, a *Iacobo Gretſero* ſuppeditata ac ſeparatim publicæ luci expoſita, Pariſiis MDCXVIII. fol. acceſſit; minus autem tam elegans atque emendata. Exſtant quoque: GREGORII, *epiſcopi Nyſſeni*, *opuſcula* græce et latine, Ducæo interprete, Ingolſtadii MDXCVI. 8. MDXCIX. 8. præter quæ, eiusdem Ducæi ſtudio prodierunt: IO. CHRYSOSTOMI *opuſcula*, græce et latine, Ingolſtadii MDXCIII. 8. IO. CHRYSOSTOMI *opera omnia, nunc primum græce et latine edita. Fronto Ducæus variantes lectiones, e manuſcriptis codicibus erutas, ſelegit, veterem interpretationem editarum olim homiliarum recenſuit, aliarum nouam addidit, vtramque notis illuſtrauit*, quod opus coeptum quidem; non autem ad finem perductum eſt, quum ſex tantum tomi lucem viderunt eorumque primus Pariſiis MDCIX. fol. ſecundus, tertius ac quartus MDCXIV. quintus MDCXVI. ſextus MDCXXIV. item: CHRYSOSTOMI *opera*, latine tantum, itidem ſex tomis, Pariſiis MDCXIII. fol. quam editionem nonnulli multum laudant ac prioribus longe præferunt. Nec omittendæ ſunt: *notæ in opera Baſilii magni*, quæ ſunt in BASILII *operibus*, latine editis, Pariſiis MDCIII. fol. *notæ in editionem græco-latinam operum Baſilii magni*, Pariſiis MDCXVIII. quæ locum obtinuerunt *tomo* III. inſcripto: *adpendix ad Baſilii magni opera,* atque in iisdem *operibus*, a mona-

* vide: DV PIN *præfatione ad Optatum Mileuitanum.*

monacho Benedictino *Garniero* in lucem prolatis atque antea a me memoratis. Denique Ducæus ad vsum publicum transtulit: *bibliothecam veterum patrum*, Parisiis MDCXXIV. fol. duobus tomis. *

GABRIEL ALBASPINAEVS, laudandus loco hoc ob *notas in Optatum Mileuitanum*, quæ cum ipsis Optati libris post mortem istius prodierunt, Parisiis MDCXXXI. fol. non adcurate; sed mendose, et ob *notas in aliquot Tertulliani libros et loca*, editas cum eiusdem *libris duobus de veteribus ecclesiæ ritibus obseruationum*, Parisiis MDCXXIII. 4. et Helmstadii MDCLXXII. 4. et cum PAMELII *adnotationibus in Tertullianum*, Parisiis MDCXXXV. fol.

IACOB. SIRMONDVS, qui de multis veterum scriptorum ecclesiasticorum monimentis optime meritus est sibique non mediocrem adquisiuit laudem, quum ista in lucem protulit notisque illustrauit. Locum in illis habent: I.) THEODORETI, *episcopi Cyri, opera omnia, quorum plurima græce, quædam etiam latine nunc primum prodeunt: græca cum manuscriptis exemplaribus diligenter collata: latinæ versiones ad Græcorum normam exactæ et recognitæ*, quæ insignis editio lucem vidit Parisiis MDCXLII. fol. quatuor tomis. ** II.) MAGNI FELICIS ENNODII, *episcopi Ticinensis, opera, in ordinem digesta multisque locis aucta: emendata ac notis illustrata*, Parisiis MDCXI. 8. *** III.) FVLGENTII *de veritate prædestinationis et gratiæ libri tres*, Parisiis MDCXII. 8. eiusdem *excerpta ex libris contra Fabianum*, Parisiis MDCXLIII. 8. * IV.) C. SOLLII APOLLINARIS SIDONII, *Arernorum episcopi, opera, primum recognita et notis illustrata*, Parisiis MDCXIV. 8. ibidem MDCLII. 4. V.) IDATII *episcopi chronicon a Theodosio augusto ad Leonem, anno christi* CCCCLXVII. *et fasti consulares*, Parisiis MDCXIX. 8. ** VI.) FACVNDI, *episcopi Hermia-*

* NICERONII *memoires tom.* XXXVIII. p. 117. sqq.

** vide: SARRAVII *epistolas* p. 40.

*** exstant etiam in SIRMONDI *operum*, quæ cura *de la Baune* prodierunt Parisiis MDCXCVI. fol. *tom.* I.

* hæc in FVLGENTII quidem; non autem SIRMONDI *operibus* habentur.

** sunt in SIRMONDI *operum tomo* II.

mianensis, *libri* XII. *pro defensione trium capitulorum concilii Chalcedonensis*, *cum notis*, Parisiis MDCXXIX. 8. * qui etiam OPTATI *Mileuitani operibus*, Parisiis MDCLXXIX. fol. additi sunt: VII.) AVGVSTINI *sermones noui* XL. cum notis, Parisiis MDCXXXI. 8. ** VIII) AVITI, *archiepiscopi Viennensis*, *opera cum notis*, Parisiis MDCXLIII. 8. *** IX.) EVSEBII *Pamphili*, *Caesareae in Palaestina episcopi*, *opuscula quatuor ac decem*, *primum in lucem edita*, Parisiis MDCXLIII. 8. * X.) SERVATI LVPI *presbyteri de tribus quaestionibus liber*, *cum eiusdem collectaneo et duabus epistolis adnexis ac quibusdam patrum graecorum testimoniis*, Parisiis MDCL. 8. ** XI.) RVFINI *presbyteri prouinciae Palaestinae*, *liber de fide*, *primum editus et notis illustratus*, Parisiis MDCL. ***

DIONYSIVS PETAVIVS, qui EPIPHANII, *Constantiae*; *siue Salaminis in Cypro episcopi*, *opera omnia*, graece ac latine, cum animaduersionibus, MDCXXII. duobus tomis fol. De variis rebus antiquitatis ecclesiasticae singulari studio exposuit ac dissertationes addidit: de anno, quo christus in lucem sit editus: de anno ac die dominicae passionis: de anno iudaico: de vsu poenitentiae apud antiquiores christianos: de chorepiscopis: de cyclis: de conciliis Sirmiensi et Ancyrano: de semi Arianis atque aliis argumentis. Tantum abest, vt Petauius omnibus satisfecerit; vt inter eruditissimos viros non pauci exstiterint, qui cum in Petauii latina interpretatione; tum in eiusdem adnotationibus multa reprehenderent tamquam vitiosa, interdum acerbe atque inique. Princeps in illis est Claudius Salmasius. * Petauii industriae debemus quoque editionem *Synesii.*

* *ibidem.*

** notas; non autem *Augustini sermones* ipsos, *de la Baune* in SIRMONDI *operum tomum* I. transtulit, quoniam isti inter reliquos Augustini libros a monachis Benedictinis iam editi fuerant.

*** *tomo* I. SIRMONDI *operum.*

* *ibidem.*

** SIRMONDI *oper. tom.* II.

*** *ibid. tom.* I.

* vide: FABRICII *bibliothec. graec. volumin.* VII. p. 419. ITTIGII *praefat. ad tractat. de bibliothecis patrum* p. 66. NICERONII *memoires tom.* XXXVII. p. 96. sq.

nesii. Prodiit illa sub titulo: SYNESII, *episcopi Cyrenes, opera, quae exstant omnia, nunc primum graece et latine coniunctim edita interprete Dionysio Petauio, cuius opera eadem illa ex veterum praesertimque bibliothecae regiae codicum fide recensita ac notis illustrata prodeunt,* Lutetiae MDCXII. fol. iterum iterumque ibidem MDCXXXI. pro quo nonnulli tituli MDCXXXIII. habent, ac MDCXL. fol. quae *editio secunda adcuratior et vberior* adpellatur; * tres autem editiones eo ordine numerantur, vt illa non secundum; sed tertium locum obtinere debeat:

CLAVDIVS SALMASIVS, cui locum hunc quodam modo adsignare possum ob commentarium eius in TERTVLLIANI librum de *pallio*, editum Parisiis MDCXXII. 8. et iterum sub titulo: *Tertulliani liber de pallio. Claudius Salmasius ante mortem recensuit, explicauit, notis illustrauit. Accedit vera ad viuum eiusdem effigies*, Lugduni Batauorum MDCLVI. 8. PETAVIVS Salmasii notas impugnauit in *animaduersis*, quae sub nomine *Antonii Kerkoetii* in lucem emisit, Rhedonis MDCXXII. 8. quumque SALMASIVS, ficto nomine *Francisci Franci* vsus, *confutationem animaduersorum Cercoëtii* edidisset, Middelburgi MDCXXIII. 8. PETAVIVS *mastigophorum;* siue *elenchum* primum, secundum et tertium opposuit, Parisiis MDCXXII. MDCXXIII. 8. Salmasius autem *refutationem vtriusque elenchi cercopetauiani*, Parisiis MDCXXIII. 8. scripsit.**

NICOLAVS RIGALTIVS, cuius cura in lucem prodierunt: *Q. Tertulliani libri* IX. *ex codice manuscripto Agobardi emendati, cum obseruationibus Nicolai Rigaltii*, Parisiis MDCXXVIII. 8. Nouem libri illi sunt: de *oratione*, *ad vxorem* libri duo: de *cultu feminarum*, itidem libri duo, de *exhortatione castitatis*, de *corona*, de *praescriptione haereticorum* et de *Scorpiace*. Libros hos Rigaltius sine indicio nominis euulgauit, eo animo, vt illos Tertulliani operibus vniuersis, ab ipso edendis, praemitteret. Sequuta

* in *catalogo bibliothecae Bunauianae tom.* III. *volum.* I. p. 91.

** de altercatione hac legantur: FABRICII *bibliotheca latin. volum.* III. p. 356. PLACCII *theatrum pseudonymorum numer.* DCVI. p. 173. NICERONII *memoires tom.* XXXVII. p. 98.

quuta et ſunt opera hæc, ſub titulo: *Q. Septimii Florentis Tertulliani opera, ad vetuſtiſſimorum exemplarium fidem locis quam plurimis emendata, Nicolai Rigaltii obſeruationibus et notis illuſtrata*, Pariſiis MDCXXXIV. fol. et iterum Pariſiis MDCXLI. fol. quæ, vt et titulus habet, ſecunda editio eſt. Acceſſit index gloſſarum ſtili Africani.

DESIDERIVS HERALDVS, cui locum hunc eam ob cauſſam tribuo, quia ipſi debemus TERTVLLIANI *apologeticum ac* MINVCIVM FELICEM, Pariſiis MDCXIII. 4. item ARNOBII *libros aduerſus gentes*, cura illius illuſtratos atque euulgatos, Pariſiis MDCV. 8. In editione Arnobii, quæ cum variorum doctorum virorum notis in lucem prodiit Lugduni Batauorum MDCLI. 4. exſtant etiam eius *animaduerſiones et caſtigationes ad Arnobii libros* VII.

HENRICVS VALESIVS, cuius præclara induſtria veterum ſcriptorum, Euſebii, Socratis, Sozomeni, Theodoriti, Euagrii, hiſtoria eccleſiaſtica græce ac latine, cum notis ac diſſertationibus lucem adſpexit, eo ordine, vt prodirent: I.) EVSEBII *Pamphili hiſtoria eccleſiaſtica eiusdemque libri de vita Conſtantini et panegyricus atque oratio Conſtantini ad ſanctos*, Pariſiis MDCLIX. fol. quæ elegans ac nitida editio eſt: iterum Pariſiis MDCLXXVII. fol. vbi pluta acceſſerunt ex ſecundis Valeſii curis atque eiusdem animaduerſionibus, quas ipſe manu ſua ſcripſit atque ad poſteros transmiſit. Præter duas has editiones lucem vidit tertia Moguntiæ, vt titulus quidem habet; vere autem Francofurti ad Mœnum MDCLXXII. fol. ad editionem Pariſienſem priorem; minus autem adcurate; ſed multum vitioſe litteris deſcripta. Acceſſit denique editio quarta, Amſtelodami MDCXCV. fol. ad editionem Pariſienſem typisque Francofurtenſibus Wuſtianis. Vſus eſt Valeſius codicibus manu exaratis: nouam atque adcuratiorem interpretationem latinam compoſuit: notas eruditiſſimas, quæ inprimis hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudioſis commendandæ ſunt, addidit. Præmiſit quoque præter diſſertationem de vita Euſebii et ſcriptis ac veterum de Euſebio in vtramque partem teſtimonia, PETRI DE MARCA epiſtolam de *originibus chriſtianiſmi in Gallia;* notis autem ſuis adiunxit quatuor diſſertationes: de *ſchiſmate Donatiſtarum vsque ad annum chri-*

christi CCCXXV. de *vno tantum, non duobus templis*, a *Constantino Hierosolymae conditis: ad Iacobum Vſſerium, aduerſus illius ſententiam de perdita verſione* LXX. *interpretum et hexaplis Origenis:* de *martyrologio, quod Rosweidus edidit et perperam pro veteri genuino romano martyrologio iactauit:* II.) SOCRATIS *ſcholaſtici et* HERMIAE SOZOMENI *hiſtoria eccleſiaſtica*, quae a Valeſio ex codicibus manuſcriptis emendata, noua latina interpretatione ornata atque adnotationibus illuſtrata in lucem prodiit Pariſiis MDCLXVIII. fol. Moguntiae; ſiue potius Francofurti MDCLXXVII. fol. cui editioni nouus titulus, Amſtelodamum annumque MDCXCV. praeferens, praemiſſus eſt. Subiuncti ſunt: VALESII *obſeruationum eccleſiaſticarum in Socratem et Sozomenum libri tres*, nimirum de *magno Athanaſio:* de *Paullo Conſtantinopolitano* et de *ſexto canone concilii Nicaeni*, vna *cum Archelai, epiſcopi Meſopotamiae, diſputatione aduerſus Manichaeum, ex manuſcripto codice bibliothecae Ambroſianae:* III.) THEODORITI *et* EVAGRII *ſcholaſtici hiſtoria eccleſiaſtica, item excerpta ex hiſtoriis Philoſtorgii et Theodori Lectoris*, quae omnia Valeſius itidem ex codicibus manu exaratis emendauit, noua latina verſione atque eruditis notis inſtruxit. Lucem vidit opus hoc Pariſiis MDCLXXIII. Moguntiae; ſiue Francofurti MDCLXXIX. ac cum nouo tantum titulo Amſtelodami MDCXCV. fol.

FRANCISCVS COMBEFISIVS, cuius ſingulari atque inſigni ſtudio varia antiquiorum auctorum eccleſiaſticorum ſcripta lucem adſpexerunt. Sunt iſta: I.) *ſanctorum patrum* AMPHILOCHII *Iconienſis:* METHODII *Patarenſis* et ANDREAE *Cretenſis opera omnia, quae reperiri potuerunt, nunc primum magnam partem e tenebris eruta, latine reddita ac recognita notisque illuſtrata*, Pariſiis MDCXLIV. fol. II.) *graeco-latinae patrum bibliothecae nouum auctarium: tomus duplex: alter exegeticus: alter hiſtoricus et dogmaticus*, Pariſiis MDCXLVIII. fol. duobus voluminibus, quorum ſecundum hunc praefert titulum: *hiſtoria haereſis monothelitarum ſanctaeque in eam ſextae ſynodi actorum vindiciae. Diuerſorum item antiqua ac medii aeui tum hiſtoriae ſacrae; tum dogmatica graeca opuſcula*, itidem Pariſiis MDCXLVIII. fol. III.) IOANNIS CHRYSOSTOMI *de educandis liberis*

liber aureus: eiusdem tractatus alii quinque, qua festiui, qua parænetici, Parisiis MDCLVI. 8. IV.) *illustrium christi martyrum lecti triumphi, vetustis Græcorum monimentis consignati*, quos Combefisius latine reddidit ac notis illustrauit, Parisiis MDCLX. 8. V.) *bibliothecæ græcorum patrum auctarium nouissimum, in quo varia scriptorum ecclesiasticorum antiquioris, medii et vergentis æui opuscula* sunt, in duas partes diuisa, græce ac latine, Parisiis MDCLXXII. fol. VI.) THEODOTI *Ancyrani aduersus Nestorium liber, id est, eius ex scriptura et fide concilii Nicæni confutatio et Germani patriarchæ Constantinopolitani in sanctæ Mariæ dormitionem et translationem oratio historica*, cum notis, Parisiis MDCLXXV. 8. VII.) *sancti* MAXIMI *confessoris opera*, quæ Combefisius ex multis probatissimis codicibus manuscriptis emendauit: noua interpretatione latina instruxit ac notis illustrauit. Prodierunt ista Parisiis MDCLXXV. fol. duobus voluminibus, ad quæ et tertium accedere debebat; quominus autem id fieret, mors Combefisii impediuit: VIII.) BASILIVS *magnus, ex integro recensitus: textus fide optimorum codicum vbique castigatus, auctus, illustratus, haud incerta quandoque coniectura emendatus, ceter.* Parisiis MDCLXXIX. 8. duobus tomis. Constituerat Combefisius, Basilii opera in lucem emittere; quum autem occasione careret, decretum suum exsequendi, castigationes saltim suas ex variis codicibus manuscriptis et obseruationes, ad paginas editionis Parisiensis MDCXVIII. positas, publicæ luci exponere instituit variaque Basilii monimenta, quæ nondum edita fuerant, inseruit. Morte impeditus, opus hoc haud absoluere potuit hancque ob rem ad perficiendum illud contulit se *Paullus de Golefer* idque memorato anno in lucem produxit:

IO GARNERIVS, qui locum sibi fecit inter auctores hos magna cum laude. Edidit ille: MARII MERCATORIS *opera, quæcunque exstant*, Parisiis MDCLXXIII. fol. Diuisit illa Garnerius in duas partes, quarum prior scripta complectitur, ad hæresin Pelagianam spectantia; posterior autem ea exhibet, quæ ad Nestorii praua dogmata pertinent. Præter notas, adiecit dissertationes septemque illarum, veluti adpendix, ad partem priorem accesserunt: prima de

de *primis auctoribus ac praecipuis defensoribus haeresis, quae a Pelagio nomen accepit:* secunda de *synodis, habitis in caussa Pelagianorum, vbique fere terrarum, viuente Augustino; aut statim vita functo:* tertia de *constitutionibus imperatorum in eadem caussa, ab anno* CCCCXVIII. *ad annum* CCCCXXX. quarta de *subscriptionibus in caussa Pelagianorum:* quinta de *libellis fidei, scriptis ab auctoribus et praecipuis defensoribus haeresis Pelagianae:* sexta de *iis, quae scripta sunt a defensoribus fidei catholicae aduersus haeresin Pelagianam ante obitum sancti Augustini:* septima de *ortu et incrementis haeresis Pelagianae; seu potius Caelestinae.* Dissertationes hae locum obtinuerunt in *adpendice Augustiniana operum Augustini*, quae a monachis Benedictinis edita sunt atque Antuerpiae, vt titulus habet, iterum in lucem prodierunt. Parti posteriori subiunctae sunt duae dissertationes: altera de *haeresi et libris Nestorii:* altera de *synodis, in caussa Nestoriana habitis a tempore motarum turbarum et anno* CCCCXXIX. *ad pacem ecclesiis redditam* anno CCCCXXXIII. Editio haec quamuis iis non careat, quae reprehensione digna sunt, inprimis quum Garnerius coniecturis suis nimium tribuit ac saepius negligit adcurationem; illi tamen debita laus haud detrahenda est.* Idem GARNERIVS reliquit: THEODORETI, *episcopi Cyri, operum tomum* V. Parisiis MDCLXXXIV. fol. quem tamquam supplementum quatuor tomorum THEODORETI *operum*, a *Sirmondo* editorum, post mortem illius *Io. Harduinus* iuris publici fecit ac de vita scriptisque Garnerii praefatus est. Praeter alia, in *auctario* hoc habentur quinque dissertationes Garnerii, quae vitae rebusque Theodoreti multum lucis praebent. Exponit earum *prima* de vita Theodoreti: *secunda* de libris Theodoreti: *tertia* de fide Theodoreti: *quarta* de quinta synodo generali: *quinta* de Theodoreti et orientalium caussa.**

* *giornale de' letterati di Roma* MDCLXXIV. p. 91. FABRICII *bibliothec. latin. mediae et infimae aetat. volum.* V. p. 98. NICERONII *memoires tom.* XL. p. 169.

** *auctarium operum Theodoreti*, a *Garnerio* collectum, recenset FABRICIVS *bibliothec graec. volumin.* VII. p. 439. adde: *acta eruditor.* MDCLXXXV. p. 47.

STEPHANVS BALVZIVS, qui laudabilem operam variis ſcriptis eccleſiaſticis recenſendis atque illuſtrandis conſecrauit. In illis ſunt: I.) *ſanctorum presbyterorum, Saluiani Maſſilienſis et Vincentii, Lirinenſis opera*, ad fidem veterum codicum manuſcriptorum emendata notisque illuſtrata, Pariſiis MDCXXXIII. 8. ibidem MDCLXIX. 8. ibidem MDCLXXXIV. 8. quæ tertia editio duabus prioribus auctior meliorque eſt: * II.) *ſancti Cæſarii, Arelatenſis epiſcopi, homiliæ* XIV. *notis illuſtratæ*, Pariſiis MDCLXIX. 8. III.) MARII MERCATORIS *opera*, Pariſiis MDCLXXXIV. 8. quorum partem tantum quum *Rigberius*; ſiue qui ſub nomine hoc latet, *Gerberonius* antea edidiſſet; *Garnerius* autem eadem quidem pleniora; attamen ſine adcuratiori ordine vulgaſſet, Baluzius de meliore editione cogitauit eamque ita ornauit, vt ipſa MERCATORIS *opera* ad fidem veterum codicum manuſcriptorum emendaret: quæ omiſſa erant, reſtitueret: cuncta iuſto ordine recenſeret notisque illuſtraret: ** IV.) CAECILII CYPRIANI, *epiſcopi Carthaginenſis et martyris, opera ad manuſcriptos codices recognita et illuſtrata ſtudio ac labore Stephani Baluzii, Tutelenſis. Abſoluit poſt Baluzium ac præfationem ac vitam ſancti Cypriani adornauit vnus ex monachis congregationis ſancti Mauri*, Pariſiis MDCCXXVI. fol. Notæ, quas Baluzius conſcripſit, ſunt vberiores ac præter illas, *opuſcula, vulgo adſcripta ſancto Cypriano*, exhibentur: ***

PETRVS DANIEL HVETIVS, qui cum laude memorandus eſt ob ORIGENIS *opera exegetica*, ſtudio eius græce ac latine in lucem emiſſa. Titulum præ ſe habent: ORIGENIS *in ſacras ſcripturas commentaria, quæcunque græce repe-*

* inter notas variorum, quibus SALVIANI *opera* inſtructa Bremæ MDCLXXXVIII. 4. prodierunt, ſunt quoque p. 327. *Baluzii* notæ.

** *acta eruditor.* MDCLXXXVI. p. 276.

*** *memoires de Treuoux* MDCCXXVIII. *iun.* p. 1035. *ſeptembr.* p. 1667. *decembr.* p. 2279. *iournal des ſauans* MDCCXXVIII. *april.* p. 528. Spectant huc etiam BALVZII litteræ, ad Tourneminum ſcriptæ, de noua Cypriani editione. Sunt iſtæ in *memoires de Treuoux* MDCCXIV. *ſeptembr.* p. 1539. MDCCXV. *mart.* p. 484. *iournal des ſauans* MDCCXVI. *ian.* p. 90. *februar.* p. 231.

reperiri potuerunt. Petrus Daniel Huetius græca ex antiquis codicibus manuſcriptis primus maxima ex parte in lucem edidit: quæ iam exſtabant, varias eorum editiones inter ſe contulit: latinas interpretationes, partim a ſe; partim ab aliis elaboratas græcis adiunxit: vniuerſa notis et obſeruationibus illuſtrauit. Idem præfixit Origeniana, Rothomagi MDCLXVIII. fol. duobus voluminibus: iterum Pariſiis MDCLXXIX. fol. ac Coloniæ; ſiue potius Francofurti MDCLXXXV. fol. Opus *Origenianorum* præclarum eſt. Abſoluitur illud tribus libris iisque de vita, doctrina ac ſcriptis Origenis copioſe atque erudite Huetius diſſerit. Iam ſupra de iſto expoſui:

LVDOVICVS ELLIES DV PIN, qui curauit, vt elegans editio Optati Mileuitani in publicum prodiret, titulo hoc inſtructa: *ſancti* OPTATI, *Afri, Mileuitani epiſcopi, de ſchismate Donatiſtarum libri ſeptem, ad manuſcriptos codices et veteres editiones collati et innumeris in locis emendati, opera et ſtudio Lud. Ell. Du Pin.* Adiunxit ille non ſolum hiſtoriam Donatiſtarum, vna cum monimentis veteribus, ad eam ſpectantibus, ac geographiam epiſcopalem Africæ; ſed etiam notas in ſcriptorem hunc, cum ſuas; tum eruditiſſimorum virorum, nominatim *Albaſpinæi, Caſauboni, Barthii* atque aliorum. Opus hoc lucem vidit Pariſiis MDCC. fol. ac denuo deſcriptum eſt Antuerpiæ; ſiue potius Amſtelodami, ita vt notæ variorum non ad calcem voluminis reiectæ ſint; ſed ad ſingulas paginas Optati verbis ſubiectæ exhibeantur, MDCCII. fol.*

PASCHASIVS QVESNELLVS, qui ad locum hunc referendus eſt ob LEONIS *magni opera,* ab ipſo edita. Lucem adſpexerunt illa ſub inſcriptione: *ſancti* LEONIS *magni, papæ primi, opera omnia, nunc primum epiſtolis triginta tribusque de gratia chriſti opuſculis auctiora, ſecundum exactam annorum ſeriem adcurate ordinata, a ſuppoſititiis, interpolationibus innumerisque mendis expurgata, adpendicibus, diſſertationibus, notis obſeruationibusque illuſtrata,* ceter. Pariſiis MDCLXXV. 4. duobus voluminibus, quæ editio in indicem quidem librorum prohibitorum relata eſt, quoniam Ques-

* BERNARDI *nouuelles de la republiqu. des lettres* MDCCII. *auguſt.* p. 123. *acta eruditor.* MDCCI. p. 193.

Quesnellus, quum de Hilario Arelatenſi diſſerit, iudicia de cauſſis patriarcharum, in hiſtoria eccleſiaſtica relata, non ad legitimas adpellationes reddita fuiſſe; ſed ab vltro electo a partibus arbitro prolata diſputat; ſed tamen proſcriptio impedire haud potuit, quominus Quesnelli Leo vbique eruditis viris ſe commendaret: immo denuo deſcriberetur atque editio ſecunda prodiret Lugduni MDCC. fol. Conſtat opus hoc duobus tomis horumque poſterior complectitur *adpendicem; ſeu codicem canonum et conſtitutorum ſedis apoſtolicæ, diſſertationes, lectiones varias, notas, obſeruationes.* In diſſertationibus Quesnellus varia argumenta antiquitatis eccleſiaſticæ erudite enarrat ac Leonis ſcriptis lucem præbet. Inter alia exponit de vita et rebus geſtis Leonis magni: de ieiunio ſabbati in eccleſia romana tempore Leonis: de cauſſa Eutychis, archimandritæ Conſtantinopolitani, adpellantis a ſententia concilii Conſtantinopolitani ſub Flauiano: de cauſſa Flauiani, epiſcopi Conſtantinopolitani, adpellantis a ſententia pſeudoſynodi Epheſinæ, de codice canonum et conſtitutorum ſedis apoſtolicæ, omnium antiquiſſimo, ex manuſcriptis codicibus nunc primum edito: de conciliis, habitis in Africa contra Pelagianos: *

IO. BAPTISTA LE BRVN et NICOL. LENGLET DV FRESNOY, quorum cura ac ſtudio prodierunt: LVCII CAECILII FIRMIANI LACTANTII *opera omnia: editio nouiſſima, quæ omnium inſtar eſſe poteſt: ad* LXXX. *et amplius manuſcriptos codices editosque* XL. *collata et emendata atque notis vberioribus illuſtrata*, Pariſiis MDCCXLVIII. 4. duobus tomis. Coeptum eſt opus hoc a Brunio; poſtquam autem ille mortalitatem ſuam finiret, antequam illud abſolutum eſſet, Lengletus acceſſit idque ad finem perduxit. Editio ipſa eſt præſtantiſſima ac complectitur non ſolum diſcrepantes ſcripturas, diligenter collectas; ſed etiam variorum notas, *Betuleii, Thomaſii, Gallæi, Cellarii, Heumanni,* inprimis *Bunemanni.*** Addi poſſunt: STEPHANVS CHAMILLARDVS,

---

* TENTZELII *curieuſe bibliothec* MDCCIV. p. 3. FABRICII *bibl. latina mediæ et infimæ ætatis volumin.* IV. p. 750. VIGNEVL-MARVILLE *melanges d'hiſtoire et de litterature tom.* I. p. 75.

** *acta eruditorum* MDCCLI. p. 193. KRAFTII *theologiſche bibliothec volum.* IV. p. 637.

DVS, qui AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS *opera interpretatione et notis illustrauit, ad vsum Delphini*, Parisiis MDCLXXXVII. 4. * ac IO. BAPTIST. COTELERIVS ob *patres apostolicos* ac *monimenta ecclesiæ græcæ*, de quibus infra differendi, habebo occasionem.

§. VII.

Non solum a Gallis; sed ab *Anglis* quoque patrum ecclesiæ monimenta accepimus, splendide, eleganter atque adcurate litteris descripta, ex codicibus manu exaratis emendata, notis dissertationibusque illustrata. Commendarunt se ista viris eruditissimis rerumque peritis ac qui in scriptis his ornandis studia sua posuerunt, illi laudem ac nominis famam consequuti sunt. Ad ordinem eorum pertinent, qui nunc sequuntur:

HENRICVS SAVILIVS, cuius studio in lucem prodierunt: IOANNIS CHRYSOSTOMI *opera*, græce, Etonæ MDCXIII. fol. octo voluminibus, quæ editio in magna est existimatione, vtpote castigatissima, omnium Chrysostomi operum plenissima, eruditis notis ac præfationibus instructa, eleganter litteris descripta ac multum rara: **

IO. FELLVS, qui edidit: I.) ATHENAGORAM, librum eius de *resurrectione* eiusdemque *apologiam*, græce ac latine, cum breuibus notis, Oxoniæ MDCLXXXII. 12. e theatro Sheldoniano: II.) THEOPHILI *Antiocheni libros ad Autolycum*, ad codicem Bodleianum emendatos, ad quos Conradi Clauseri versio castigata ac breuiores notæ accesserunt, vna cum tabula, ex qua rationes temporum, quas sequitur Theophilus, colligendæ sunt, Oxoniæ MDCLXXXIV. 12. Editio est nitida atque elegans: *** III.) CLEMENTIS *Alexandrini* librum, qui inscribitur: *quis diues*

* *actor. erudit. supplement. tom.* I. p. 126.

** vide: VOGTII *catalogum librorum rariorum* p. 197. VOLLANDI dissertationem de *optimis operum Chrysostomi editionibus* p. 34. WENDLERI dissertationem de *variis raritatis librorum caussis*: FABRICII *bibliothec. græc. volumin.* VII. p. 656. inprimis CLEMENT in *bibliotheque curieuse, historique et critique tom.* VII. p. 99.

*** *acta erudítor.* MDCLXXXV. p. 197.

diues salutem consequi possit? Accedunt nonnulla, in editionibus operum Clementis hactenus desiderata, græce ac latine, cum scholiis, Oxoniæ MDCLXXXIII. 12. e theatro Sheldoniano: * IV.) CYPRIANI *opera*, quæ cum FELLI *notis*: PEARSONII *annalibus Cyprianicis ac* DODWELLI *dissertationibus Cyprianicis* prodierunt, Oxoniæ MDCLXXXII. fol. e theatro Sheldoniano: Bremæ MDCXC. Amstelodami MDCC. fol. **

IO. ERNEST. GRABIVS, qui itidem de scriptis patrum ecclesiæ bene meritus est; nec mediocrem nominis famam sibi adquisiuit. In lucem emisit: *spicilegium sanctorum patrum, vt et hæreticorum, seculi post christum natum* I. II. *et* III. *quorum vel integra monimenta; vel fragmenta partim ex aliorum patrum libris, iam impressis, collegit et cum codicibus manuscriptis contulit; partim ex manuscriptis nunc primum edidit ac singula tam præfatione; quam notis subiunctis illustrauit* IO. ERNESTVS GRABIVS. *Tomus* I. *siue seculum* I. Oxoniæ MDCXCVIII. 8. *seculi* II. *tomus* I. ibidem MDCXCIX. 8. e theatro Sheldoniano lucem vidit. Vtrumque volumen iterum litteris descriptum est Oxoniæ MDCC. 8. prodiitque græce ac latine. Singulis fragmentis atque opusculis præfationes præmisit atque ad finem vtriusque voluminis notas adiecit iisque loca nonnulla illustrauit. De fide atque auctoritate monimentorum quorumdam, quæ exhibet, non adcurate vereque iudicare videtur, quum illa scriptis adulterinis adnumeranda sunt; Grabius autem ea esse germana, sibi persuadet. *** Edidit quoque: *sancti* IVSTINI, *philosophi et martyris, apologiam primam pro christianis ad Antoninum pium, cum latina Ioannis Langi versione, quamplurimis in locis correcta: subiunctis emendationibus et*

* *acta eruditor.* MDCLXXXV. p. 246.

** CLERICI *bibliothequ. vniuerselle tom.* XII. p. 207. *acta eruditor.* MDCLXXXIII. p. 41. BERNARDI *nouuelles de la republique de lettres* MDCC. *ianuar.* p. 102.

*** *acta eruditor.* MDCXCIX. p. 256. MDCC. p. 271. *memoires des Treuoux* MDCCV. *nouembr.* p. 1860. CLERICI *bibliothequ. choisie tom.* IV. p. 314. BERNARDI *nouuelles de la republiqu. des lettres* MDCXCIX. *mai.* p. 555. NEOCORI et SIKII *biblioth. librorum nouorum tom.* IV. p. 320. ITTIGII *tractatus de bibliothecis patrum* p. 698.

et notis Roberti ac Henrici Stephanorum, Perionii, Billii, Sylburgii, Scaligeri, Halloixii, Casauboni, Montacutii, Grotii, Salmasii, Valesii, Cotelerii pluribusque nouis additis: adnexis insuper ad calcem adnotationibus Langi et Kortholti; præmissa vero Langi præfatione, qua summam huius apologiæ enarrauit, Oxoniæ MDCC. 8. quæ editio præstantissima est qnidque illa complectatur, adducta inscriptio eius satis longior indicat.* Inter Grabii tamen scripta, quæ huc spectant, principem locum tuentur: *sancti* IRENAEI, *episcopi Lugdunensis, contra omnes hæreses, libri quinque. Textus græci partem haud exiguam restituit: latinam versionem antiquissimam e quatuor manuscriptis codicibus emendauit: fragmenta aliorum tractatuum deperditorum subiunxit: omnia notis variorum et suis illustrauit Io. Ern. Grabe,* Oxoniæ MDCCII. fol. quæ luculenta editio multum se commendauit, non solum per splendorem atque elegantiam suam; sed etiam per adparatum variarum rerum, inprimis discrepantium scripturarum ac notarum, qui ibi habetur.** Quæ MASSVETVS obiecerat, ea Grabius repellere voluit; quominus autem hoc fieret, mors ipsius impediuit.***

THOMAS MILLES, qui in lucem emisit: *sancti patris nostri,* CYRILLI, *Hierosolymorum archiepiscopi, opera, quæ supersunt, omnia, quorum quædam nunc primum ex codicibus manuscriptis edidit: reliqua cum codicibus manuscriptis contulit: plurimis in locis emendauit notisque illustrauit,* Oxoniæ MDCCIII. fol. Eam industriam ad opus hoc ornandum Milles adhibuit, vt editio hæc reliquas omnes, quæ antea in lucem prodierunt, splendore ac præstantia longe antecedat: *

H. HVT-

* TENTZELII *curieuse bibliothec tom.* I. p. 222. *nachricht von den büchern in der Stollischen bibliothec tom.* II. p. 421. *memoires de Treuoux* MDCCI. *mai. et iun.* p. 314. CLERICI *bibliothequ. choisie tom.* II. p. 328. et *tom.* III. p. 372.

** *memoires de Treuoux* MDCCIII. *mai.* p. 340. *acta eruditor.* MDCCII. p. 308.

*** NICERONII *memoires tom.* XXXV. p. 300. CEILLIER *histoire des auteurs ecclesiastiqu. tom.* II. p. 196.

* *memoires de Treuoux* MDCCVII. *iun.* p. 1010. *acta eruditor.* MDCCV. p. I. TENTZELII *curieuse bibliothec tom.* I. p. 1040.

H. HVTCHIN, cuius exſtant: *ſancti* IVSTINI, *philoſophi et martyris, apologia ſecunda pro chriſtianis, oratio cohortatoria, oratio ad Græcos et de monarchia liber, cum latina Ioannis Langi verſione, quamplurimis in locis correcta, ſubiunctis emendationibus et notis Roberti et Henrici Stephanorum, Perionii, Billii, Sylburgii, Io. Erneſti Grabii, Ioannis Potteri pluribusque aliis additis: adnexis inſuper ad calcem adnotationibus Langi et Kortholti; præmiſſis vero Langi præfationibus, quibus ſummam eorum, quæ in hoc volumine continentur, enarrauit,* Oxoniæ MDCCIII. 8. e theatro Sheldoniano:

GVIL. WORTH, qui edidit: TATIANI *orationem ad Græcos*, nitidis typis, Oxoniæ MDCC. 8. e theatro Sheldoniano. Vſus ille eſt duobus codicibus regiis Pariſienſibus et tertio Etonenſi atque addidit notas integras Conradi Gesneri, Frontonis Ducæi, Chriſtiani Kortholti, Thomæ Galei; ſelectis autem Henrici Stephani, Meurſii, Bocharti, Cotelerii, vtriusque Voſſii, aliorum ſuasque. Præter Friſii ac Gesneri præfationes, adiecit PEARSONII *coniecturas* ac quæ de Tatiano eiusque doctrina diſſeruerunt: GEORGIVS BVLLVS in *defenſione fidei Nicænæ:* NICOLAVS NOVRRIVS in *adparatu ad bibliothecam patrum:* LVDOVICVS DV FOVR DE LONGVERVE *diſſertatione in Tatianum, nunc primum edita.* Acceſſit HERMIAE *philoſophi gentilium philoſophorum irriſio*, Worthi ac Thomæ Galei notis illuſtrata: *

EDVARDVS DECHAIR, ad locum hunc referendus ac laudandus, quia cura eius ATHENAGORAE *apologia* in conſpectum publicum venit, Oxoniæ MDCCVI. 8. e theatro Sheldoniano. Editio hæc præclara ac nitida eſt hancque præfert inſcriptionem: *ſancti Athenagoræ, Athenienſis philoſophi legatio pro chriſtianis ad imperatores M. Aurelium Antoninum et L. Aurelium Commodum. Eiusdem de reſurrectione mortuorum. Accedunt: verſio, emendationes, variantes lectiones, adnotationes atque indices neceſſarii.* Conſuluit codices manuſcriptos: verſiones emendauit: variorum notas

* *acta eruditor.* MDCCI. p. 268 BERNARDI *nouuelles de la republiqu. des lettres* MDCCI. *ſeptembr.* p. 317. TENTZELII *curieuſe bibliothec tom.* I. p. 226. FABRICII *hiſtor. bibliothec. part.* VI. p. 164.

notas ac præter has, ſuos commentarios ſubiunxit, vna cum illis, quæ de Athenagora eiusque ſcriptis Baronius, Halloixius, Dodwellus, Bullus diſſeruerunt: *

THOMAS SMITHVS, memorandus ob IGNATII *epiſtolas germanas*, ab ipſo præclare ornatas atque in lucem emiſſas. Qualem rationem inierit, editionem hanc commendandi, ipſe in titulo verbis his ſignificauit: *ſancti Ignatii epiſtolæ genuinæ, iuxta exemplar Mediceum denuo recenſitæ, vna cum veteri latina verſione: adnotationibus Io. Pearſonii et Thomæ Smithi illuſtratæ. Accedunt acta martyrii ſancti Ignatii, epiſtola Polycarpi ad Philippenſes et Smyrnenſis eccleſiæ epiſtola de ſancti Polycarpi martyrio, cum veteribus verſionibus et adnotationibus Thomæ Smithi*, Oxoniæ MDCCIX. 4. e theatro Sheldoniano: **

IO. DAVISIVS, cuius loco hoc merito mentio fit. Cura enim eius lucem adſpexit: M. MINVCII FELICIS *Octauius*, cum notis Rigaltii ac ſelectis variorum nouisque Dauiſii, Cantabrigiæ MDCCVII. 8. *** atque iterum ibidem MDCCXII. 8. quæ poſterior editio locupletata eſt. Præter notas auctiores, acceſſerunt: LVCAE HOLSTENII *epiſtola de verubus Dianæ Epheſiæ*, quæ locum quemdam MINVCII illuſtrat, ac COMMODIANI *inſtructiones* cum Rigaltii notis: *

IO. POTTERVS, qui euulgauit: CLEMENTIS *Alexandrini opera, quæ exſtant, recognita et illuſtrata*, Oxonii MDCCXV. fol. e theatro Sheldoniano. Tam præſtans tamque ſplendida eſt editio hæc, vt haud quidquam eſſe videatur, quo ornatus illius augeri poſſit. Conſuluit Potterus diligenter non ſolum codices Clementis impreſſos, quotquot reperiri potuerunt; ſed etiam manu exaratos: interpre-

* *noua litteraria Hamburgenſ.* MDCCVIII. p. 41. FABRICII *hiſtor. bibliothec. parte* VI. p. 165.

** *acta eruditorum* MDCCX. p. 196. *iournal des ſauans* MDCCX. *april.* p. 453.

*** *actor. eruditor. ſupplement. tom.* IV. p. 422.

* *memoires de Treuoux* MDCCXI. *mai.* p. 888. *acta eruditor.* MDCCXIII p. 139. *memoirs of literature tom.* I. p. 353.

pretationem latinam partim ipse composuit; partim emendauit praetereaque variorum notas vna cum suis adiecit: *

HENRIC. WOTTON, cuius praeclarae industriae debemus elegantem editionem Clementis epistolarum ad Corinthios, titulo hoc emissam: *sancti* CLEMENTIS *Romani ad Corinthios epistolae duae, expressae ad fidem manuscripti codicis Alexandrini, illustratae notis Iunii, Cotelerii et Boisii. Cum manuscripto codice de nouo contulit notisque eas illustrauit et praefationem ac duas dissertationes praemisit Henricus Wotton*, Cantabrigiae MDCCXVIII. 8. Praefationem longissimam auctor praemisit eaque pro auctoritate patrum ecclesiae vniuerse pugnauit ac probare adnisus est, prioris epistolae auctorem omnino Clementem esse. Quae accesserunt dissertationes, sunt breuiores alteraque de diuinitus instituto clero christiano; altera autem de vnitate ecclesiae agitur: **

SAMVEL IEBB, cuius studio in lucem prodiit: *sancti* IVSTINI, *philosophi et martyris, cum Tryphone iudaeo dialogus*, cum latina Ioannis Langi versione, quam plurimis in locis correcta cumque emendationibus ac notis Roberti Stephani, Perionii, Sylburgii, Halloixii, Montacutii, Drusii, Colomesii, Cauei, Bulli, Grabii aliisque nouis: adnotationibusque Langi Kortholti, Londini MDCCXIX. 8. Subiuncta sunt fragmenta deperditorum Iustini librorum, sumta ex GRABII *spicilegio patrum*. Notae non vberiores quidem accesserunt; eruditae tamen illae sunt ac *dialogo* multam lucem adferunt: ***

STYANVS THIRLBIVS, cuius cura IVSTINI *philosophi et martyris apologiae duae et dialogus cum Tryphone iudaeo, graece et latine, cum notis et emendationibus*, in lucem

* *memoires de Treuoux* MDCCXVII. *mart.* p. 378. *iournal des sauans* MDCCXVI. *nouembr.* p. 517. *bibliothequ. angloise tom.* I. p. 273. CLERICI *bibliothequ. ancienne et modern. tom.* VI. p. 237. *acta eruditor.* MDCCXVII. p. 97. *deutsche acta eruditor. volumin.* V. p. I.

** *acta eruditor.* MDCCXIX. p. 104. *bibliothequ. angloise tom.* IV. p. 119.

*** *acta eruditor.* MDCCXX. p. 5. CLERICI *bibliothequ. ancienne et moderne tom.* XXIII. p. 48.

cem prodierunt, Londini MDCCXXII. fol. quae editio eruditis viris parum se commendauit. Non mediocrem negligentiam atque ignorantiam in ornanda illa Thirlbius prodidit.*

GVIL. READINGVS, qui ad scriptores historiae ecclesiasticae antiquiores denuo describendos atque illustrandos laudabilem industriam adhibuit. Opus hanc praefert inscriptionem: *Eusebii Pamphili, Socratis scholastici, Hermiae Sozomeni, Theodoriti et Euagrii, item Philostorgii et Theodori Lectoris, quae exstant, historiae ecclesiasticae, graece et latine. Henricus Valesius emendauit, latine vertit et annotationibus illustrauit: criticis plurium eruditorum obseruationibus locupletauit Guil. Reading*, Cantabrigiae MDCCXX. fol. tribus tomis. Splendida editio haec inter reliquas iure principatum tuetur, inprimis propter variorum notas, quas Readingus diligenter collegit, maxime ex Anglorum monimentis, Vsserii, Beueregii, Pearsonii, Dodwelli, Stillingfleeti, Lloydii, Hodii, Millesii, Potteri ac qui prae aliis laudandus est, Lowthi atque aliorum. Adiunxit et suas animaduersiones vtiles atque eruditas.** Idem READINGVS iuris publici fecit: ORIGENIS *de oratione librum*, cum codice manuscripto Holmiensi collatum, recognitum et emendatum, vna cum anonymi scholiis in orationem dominicam, quibus subiunctae sunt eruditi cuiusdam viri notae, partim criticae; partim locorum difficilium exegeticae, Londini MDCCXXVIII. 4.***

Iam enarratis alii adnumerari possunt atque in his IACOBVS VSSERIVS, qui IGNATII *epistolas* septem germanas cum noua versione in adpendice Ignatiana edidit, Londini MDCXLVII. 4. postquam interpolatas antea graece ac latine cum eruditis prolegomenis notisque ac sinceriorum veteri versione vulgauerat, Oxoniae MDCXLIV. 4. Exstant quoque alia patrum monimenta, in Anglia publicae luci exposita, vti LACTANTII *opera*, cura THOMAE

* CLERICI *bibliothequ. ancienne et moderne tom.* XXIII. p. I. *acta eruditor.* MDCCXXIII. p. 233.

** *acta eruditorum* MDCCXXIV. p. 97.

*** *acta erudit.* MDCCXXX. p. 481.

SPARKII, qui codicibus manuſcriptis vſus eſt: ipſa Lactantii ſcripta notis illuſtrauit: librum, in prioribus editionibus haud additum, de *mortibus perſequutorum*, quem primus STEPHANVS BALVZIVS iuris publici fecit, vna cum HENRICI DODWELLI diſſertatione de *ripa ſtriga* adiecit, Oxoniæ MDCLXXXIV. 8. e theatro Sheldoniano. * Eadem LACTANTII *opera* in conſpectum eruditorum venerunt, cum variis lectionibus, Cantabrigiæ MDCLXXXV. 8. vbi memoratus liber de *mortibus perſequutorum* itidem locum obtinuit, cum nouis animaduerſionibus. **

§. VIII.

In *Italia* non tot viri exſtiterunt, qui curam de patrum eccleſiæ ſcriptis; recenſendis atque illuſtrandis, ſuſciperent, quot in Gallia atque Anglia in lucem prodierunt ac de patrum libris optime meriti ſunt. Exſtant tamen nonnulla horum antiquiorum doctorum opera ſcriptaque, ab Italis edita atque ornata, quæ nunc itidem laudanda ſunt. Curarunt præterea Itali, vt variæ patrum editiones, maxime Benedictinorum, denuo deſcriberentur. Referri huc poſſunt:

LEO ALLATIVS, inter cuius multa ingenii monimenta nonnullis locum hunc, quodam certe modo, adſignare licet. Sunt iſta: I.) *ſancti* NILI, *aſcetæ, diſcipuli ſancti Ioannis Chryſoſtomi, epiſtolarum libri* IV. *græce et latine, interprete Leone Allatio. Additæ ſunt variæ lectiones in eiusdem* NILI *narrationem de cæde monachorum, ex variis codicibus manuſcriptis et diatriba eiusdem Allatii de Nilis et eorum ſcriptis,* *** Romæ MDCLXVIII. fol. Iam antea NILI *epiſtolæ* græce ac latine in lucem prodierant cura *Poſſini,* Pariſiis MDCLVII. 4. *Allatius* autem volumen hoc plurimis aliis epiſtolis auxit atque ita locupletatum itidem græce ac latine cum *diatriba de Nilis* iterum in lucem emiſit: II.) *ſancti* METHODII, *epiſcopi et martyris conuiuium decem vir-*

* *acta eruditor.* MDCLXXXV. p. 265.
** *acta eruditor.* MDCLXXXV. p. 5.
*** diatribam hanc cum ſupplementis et animaduerſionibus FABRICIVS *bibliothecæ græcæ volumin.* V. addidit.

virginum; siue de castitate, graece et latine, interprete Leone Allatio, qui notas et diatribam de Methodiorum scriptis adiecit, Romae MDCLVI. 8. * III.) EVSTATHIVS, *archiepiscopus Antiochenus, in hexaëmeron. Eiusdem de engastrimytho in Origenem dissertatio. Origenis de engastrimytho in* I. *regum homilia graece et latine. Addidit in Eustathii hexaëmeron notas vberiores et collectanea et suum de engastrimytho syntagma*, Lugduni MDCXXIX. 4. **

IO. SALINAS, qui euulgauit: *sanctorum* VINCENTII *Lirinensis et* HILARII *Arelatensis opera, ad manuscriptos codices insigniores que editiones recognita ac notis obseruationibusque illustrata*, Romae MDCCXXXI. 8. In Vincentii editione ornanda sequutus est Baluzium, qui antea Vincentium ad codicum manuscriptorum fidem recensuerat ac vna cum Saluiano iuris publici fecerat, atque animaduersiones, diligenter quidem; non semper autem adcurate scriptas, adiecit. Ad Hilarii opuscula praeter alia adtulit variantium lectionum adparatum, vna cum *admonitione in opuscula, quae sancto Hilario adscribuntur.* *** Idem SALINAS in lucem emisit: *sanctorum* PROSPERI *Aquitani* et HONORATI *Massiliensis opera, notis obseruationibusque illustrata*, Romae MDCCXXXII. 8. In volumine hoc sunt: veterum de Prospero Aquitano et operibus eius testimonia: Prosperi vita: synopsis chronologica operum eius ac gestorum: Prosperi et Hilarii epistolae ad Augustinum de reliquiis Pelagianae haereseos in Gallia: Hilarii Arelatensis, vita, a sancto Honorato, Massiliensi episcopo, conscripta: *

IOSEPHVS BLANCHINVS, quem adduco ob VIGILII Tapsitani librum sextum de *trinitate ad Theophilum.* Iuris publici illum fecit in volumine, cuius inscriptio est: *enarratio pseudo-Athanasiana in symbolum apostolicum, antehac inedita, et Vigilii Tapsitani de trinitate ad Theophilum liber*

 sextus,

* transtulit ALLATII *diatribam de Methodiorum scriptis* vna cum eiusdem *notis ad Methodii conuiuium virginum* FABRICIVS in HIPPOLYTI *operum volumen* II. p. 75.

** ALLATII *syntagma de engastrimytho* exstat quoque *criticor. sacror. anglic. tom.* VIII.

*** *acta erudítor.* MDCCXXXIV. p. 503.

* *actor. erudit. supplement. tom.* II. p. 17.

ſextus, nunc primum genuinus atque adſumentis carens, prolatus ex vetuſtiſſimo codice capituli Veronenſis, Veronæ MDCCXXXII. 4. Acceſſit ſymbolum Nicænum, cum Symmachi papæ vita, ex vetuſtiſſimis membranis, nunc integre in lucem emiſſa.*

IOSEPH. SIM. ASSEMANVS eiusque ſocii, quorum ſtudio EPHRAEMI *Syri opera* debemus, ita inſcripta: *ſancti* EPHRAEMI *Syri opera omnia, quæ exſtant, græce, ſyriace et latine, in ſex tomos diſtributa, ad manuſcriptos codices Vaticanos aliosque caſtigata, multis aucta, noua interpretatione, præfationibus, notis, variantibus lectionibus illuſtrata*, edita Romæ ex typographia Vaticana ab anno MDCCXXXII. ad annum MDCCXLVI. fol. Conſtitutum erat Aſſemano, ſingula opera Ephræmi in ſex tomos diuidere, quorum tres priores græca; tres poſteriores autem ſyriaca complecterentur. Edidit ille quoque tomum primum operum Ephræmi ſyri græce et latine; quum autem a pontifice romano in Syriam mitteretur, ne iter hoc longiorem moram atque impedimentum Ephræmo, in lucem proferendo, inferret, ordinem, iam præſcriptum, mutare ac tomos tres poſteriores, qui ſyriaca comprehendunt, ante tomos priores, in quibus græca locum obtinuerunt, eorumque ſecundum ac tertium iuris publici facere, decretum eſt. Ordine hoc conſtituto, prodiit ſyriacorum tomus primus MDCCXXXVII. ſecundus MDCCXL. ac tertius MDCCXLIII. græcorum autem primus MDCCXXXII. ſecundus MDCCXLIII. ac tertius MDCCXLVI. Opus ipſum plane inſigne atque egregium eſt, quod perficiendum ſuſcepit Aſſemanus, maxime Angelo Maria cardinale Quirino auctore ac ſuaſore. In ſyriacis induſtriam atque eruditionem communem probauit *Petrus Benedictus*, Maronita, ſocietatis ieſu, iſtamque ad id adhibuit, vt ſyriaca latine verteret notasque adiiceret. Poſt mortem Benedicti, in locum eius ſucceſſit *Stephanus Euodius Aſſemanus*: **

LVDO-

* *acta eruditorum* MDCCXXXVIII. p.602.

** *memoires de Treuoux* MDCCXL. *auguſt.* p.1571. MDCCXLII. *mart.* p. 378. MDCCXLV. *octobr.* p.1765. *iournal des ſauans* MDCCXXXIX. *iul.* p.291. MDCCXLIV. *decembr.* p. 475. MDCCXLV. *ianuar.* p. 97. *acta*

LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS, qui in publicum protulit PAVLLINI *opera*, ita inſcripta: *ſancti Pontii Meropii Paullini, ſenatoris et conſulis Romani, deinde Nolani epiſcopi opera, ad manuſcriptos codices Gallicanos, Italicos, Anglicos, Belgicos atque ad editiones antiquiores, emendata et aucta; nec non variorum notis ac diſſertationibus illuſtrata; nunc vero primum quatuor integris poematibus, quae ex Ambroſiana bibliotheca pridem eruta modo ſecundis curis recognouit Ludouicus Antonius Muratorius auctiora demum atque abſoluta*, Veronae MDCCXXXVI. fol. Perpetua fere ſerie atque ordine Muratorius ſequutus eſt editionem Paullini Pariſienſem, quam *Ioannes Baptiſta le Brun* vulgauit; auxit tamen eam variaque acceſſerunt, integra quatuor poemata, notae, diſſertationes: *

HIERONYMVS DE PRATO, qui edidit: SVLPICII SEVERI *opera, ad manuſcriptos codices emendata, notisque obſeruationibus et diſſertationibus illuſtrata*, quorum tomus primus lucem adſpexit Veronae MDCCXLI. et ſecundus ibidem MDCCLIV. 4. quae editio in varias reprehenſiones incidit; nec ſine iure. Ad emendandum Sulpicium multa quidem adlata ſunt; quae autem pleraque coniecturis, ſine iudicio excogitatis, nituntur; nec vllum habent momentum. Erga eos, a quibus diſſentiendum eſſe, de Prato putauit, tantum abeſt, vt humanitatem ac modeſtiam monſtret, vt illos atque in his viros magnae famae grauiter atque acerbe perſtringat. Notae, quas adiecit, non magnam lucem praebent ſuntque illae vel ieiunae; vel falſae; vel ſine cauſſa conſcriptae, id quod licet non de omnibus; attamen de multis adfirmandum eſt. **

NICOLAVS ANTONELLVS, qui curauit, vt in lucem exiret: ATHANASII, *archiepiſcopi Alexandriae, interpretatio pſalmorum; ſiue de titulis pſalmorum; graece et latine*, Romae fol. qui liber ex codice bibliothecae Barberinae

acta eruditor. MDCCXXXVIII. p. 289. MDCCXLV. p. 577. MDCCXLVII. p. 673. BAVMGARTENII *nachrichten von merckwürdigen büchern volum.* VII. p. 409.

* *acta eruditor.* MDCCXXXVII. p. 529.

** *acta eruditor.* MDCCLIX. p. 248. 353. 529. *ſamlung von alten und neuen theol. ſachen* 1741. p. 224.

berinæ editus eſt; de fide autem illius atque auctoritate in vtramque partem diſputatur. Alii negant; aut certe dubitant, eum vere ſcriptum eſſe ab Athanaſio; alii autem adfirmant hoc iſtumque inter germana Athanaſii monimenta referunt. *

§. IX.

Floruerunt quidem in *Belgio* litteræ varii generis ibique domicilium ſplendidum habuerunt; numerus autem eorum non magnus fuit, qui antiquitati hiſtoriæque eccleſiaſticæ ita ſeſe conſecrarent, vt in patrum quoque monimentis verſarentur ac ſtudia ſua ad illorum ſcripta emendanda, illuſtranda atque in lucem emittenda referrent. Inter *Hiſpanos* perpauci fuerunt, qui de libris patrum eccleſiaſticorum meritorum laudem ſibi conciliarent.

Ex *Belgarum* ordine ad locum hunc pertinent:

IACOBVS PAMELIVS, qui edidit: *Tertullianum*, cum notis ſæpius litteris deſcriptum, Antuerpiæ MDLXXIX. Pariſiis MDLXXXVIII. Antuerpiæ MDLXXXIV. apud Commelinum MDCIX. Coloniæ MDCXVII. Rothomagi MDCLXII. fol. item *Cyprianum*, itidem cum notis, Antuerpiæ MDLXVIII. MDLXXXIX. fol. Pariſiis MDLXXIV. MDXCIII. MDCIII. MDCXVI. MDCXXXIII. MDCXLIV. Coloniæ MDCXVII. MDCXXXIII.

GERARDVS VOSSIVS, qui varia patrum ſcripta partim latine reddidit; partim notis illuſtrauit. Sunt iſta: I.) IOANNIS CHRYSOSTOMI *orationes, græce et latine, interprete Gerardo Voſſio*, Romæ MDLXXX. 4. II.) *ſancti patris* EPHRAEM *Syri opera omnia, nunc recens latinitate donata ſcholiisque illuſtrata*, Romæ MDLXXXIX. MDXCIII. fol. tribus voluminibus: Coloniæ MDCIII. Antuerpiæ MDCXIX. fol. III.) *ſancti* GREGORII, *epiſcopi Cæſareenſis, cognomento thaumaturgi, opera omnia, quotquot in inſignioribus, præcipue Romanis bibliothecis reperiri potuerunt, vna cum eiusdem auctoris vita, græce et latine, interprete et ſcholiaſte Gerardo Voſſio. Adiuncta ſunt miſcellanea* *miſcel-*

* *acta erudit.* MDCCLVIII. p. 650.

ſanctorum aliquot patrum græcorum et latinorum, Moguntiæ MDCIV. 4. *

ALARDVS GAZAEVS, qui publicæ luci expoſuit: IOANNIS CASSIANI *opera omnia*, cum *commentario*, ab eo ipſo ſcripto, Duaci MDCXVI. 8. duobus voluminibus: Atrebati MDCXXVIII. Francofurti; ſiue Lipſiæ MDCCXXII. fol.

ANDREAS SCHOTTVS, cuius ſtudio prodierunt: I.) ENNODII, *Ticinenſis epiſcopi, pœmata ſacra, vitæ ſanctorum Epiphanii et Antonii et panegyricus, Theodorico dictus*, cum notis Tornaci MDCX. 8. II.) *ſancti* BASILII *magni opera*, epiſtolis et notis aucta, Antuerpiæ MDCXVI. fol. MDCXVIII. fol. III.) PAVLLINI, *epiſcopi Nolani, opera omnia, piæ epiſtolæ et pœmata ſacra, denuo recenſita, prolegomenis aucta notisque illuſtrata:* ** IV.) EVSEBII, qui ab aliis, vti ab ipſo Schotto, Gallicanus; ab aliis Emiſſenus epiſcopus adpellatur, *homiliæ ad populum et monachos, in lucem primum emiſſæ per Ioannem Gaigneium, Pariſinum theologum, ab Andrea Schotto recenſitæ et locupletatæ ſermonibus:* V.) EVCHERII, *Lugdunenſis epiſcopi, quæ exſtant, omnia pia ad ſacram ſcripturam opuſcula illuſtrata et recenſita:* *** VI.) CLAVDII MAMERTI, *presbyteri Viennenſis, de ſtatu animæ libri tres et aduerſus vanos pœtas, Andreas Schottus recenſuit notisque illuſtrauit:* * VII.) VIGILII, *Tridentinorum epiſcopi, quæ exſtant, omnia, aucta et emendata. Diſputatio Athanaſii cum Sabellico, Photino et Ario et aduerſus Eutychen libri quinque. Hiatibus in vtroque expletis et recenſitis:* ** VIII.) HONORII, *Auguſtodunenſis presbyteri, opera philoſophica ac theologica, quæ reperiri potuerunt, omnia, recenſita et aucta, per Andream Schottum:* *** IX.) PAVLLI OROSII *liber apologeticus contra Pelagium de arbitrii libertate, ex recognitione Andreæ Schotti:* * X.) ISIDORI PELVSIOTAE *epiſtolæ, e Vaticana bibliotheca erutæ*,

 græce

* NICERONII *memoires tom.* XIII. p. 146.
** exſtant in *bibliotheca patrum Colonienſi tom.* V. *part.* I. p. 138.
*** *ibidem* p. 543.
* *ibidem* p. 944.
** *dict. bibliothec. patrum tom.* V. *part.* 3. p. 687.
*** *ibidem tom.* XII. *part.* I. p. 929.
* *ibidem tom.* XV. p. 144.

græce cum notis *Andreæ Schotti*, Antuerpiæ MDCXXIII. 8. latine, *Andr. Schotto interprete*, Romæ MDCXXIV. 8. græce et latine, Francofurti MDCXXIX. fol. XI.) *sancti* CYRILLI, *Alexandriæ archiepiscopi*, *glaphyrorum libri* V. *siue commentaria in quinque libros Mosis, nunc primum græce et latine edita studio Andreæ Schotti*, Antuerpiæ MDCXVIII. fol.*

IACOBVS GRONOVIVS, cuius cura ac studio lucem adspexit: M. MINVCII FELICIS *Octauius, cum integris Woweri, Elmenhorstii, Heraldi et Rigaltii notis aliorumque hinc inde collectis, qui emendationes et explicationes suas adiecit. Accedunt:* CAECILIVS CYPRIANVS *de idolorum vanitate* et IVLIVS FIRMICVS MATERNVS *de errore profanarum religionum*, Lugduni Batauorum MDCCIX. 8. **

IO. CLERICVS, cuius studio in conspectum publicum venerunt: SVLPICII SEVERI, *quæ exstant, opera omnia, in duos tomos distributa, quorum prior continet ante hac edita, cum notis Ioannis Vorstii: alter epistolas, antea cum reliquis operibus nondum editas, ex recensione et cum notis Ioann. Clerici*, Lipsiæ MDCCIX. 8. Quæ nunc primum reliquis Sulpicii operibus additæ sunt, *epistolas* BALVZIVS ac DACHERIVS pridem vulgauerant. Illustrauit illas Clericus breuibus notis; epistolas autem quintam ac sextam germanis Sulpicii Seueri monimentis iure adnumerari, de eo dubitat Clericus. Iam antea promiserat iste editionem hanc sub THEODORI GORALLI nomine: ***

SIGEBERTVS HAVERCAMPVS, cuius duo opera, huc spectantia, merito laudantur. Alterum est: Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI *apologeticus, ad codices manuscriptos et editiones veteres summa cura recognitus, castigatus, emendatus, vt et perpetuo commentario, in quo non modo variorum auctorum; sed et plura sacræ scripturæ loca strictius; vel vberius explicantur, elucidantur et illustrantur*, Lugduni Batauorum MDCCXVIII. 8.* alterum autem: PAVLLI OROSII, *presbyteri Hispani, aduersus paganos historiarum*

---

* syllabus horum scriptorum exhibetur in NICERONII *memoires tom.* XXVI. p. 72. sqq.

** *act. eruditor. supplement. tom.* IV. p. 422.

*** *memoires de Treuoux* MDCCXIV. *nouembr.* p. 1923.

* *iournal des sauans* MDCCXIX. *iul.* p. 8.

rum libri septem, vt et apologeticus contra Pelagium de arbitrii libertate, ad fidem manuscriptorum et praesertim codicum Longobardicorum antiquissimorum bibliothecae Florentinae Mediceae sancti Laurentii, adiectis integris notis Francisci Fabricii Marcodurani et Ludouici Lautii, recensuit suisque animaduersionibus nummisque antiquis plurimis illustrauit Sigebertus Hauercampus, Lugduni Batauorum MDCCXXXVIII. 4.*

Inter *Hispanos* nonnulli studia sua ad patrum scripta ita adhibuerunt, vt ista denuo litteris describenda curarent commentariisque ac notis illustrarent; numerus autem eorum exiguus est. Locum inter eos praecipue tenent: IO. LVDOVICVS VIVES ac IO. LVDOVICVS DE LA CERDA. Ille reliquit: AVGVSTINI *de ciuitate dei libros, ad priscae venerandaeque vetustatis exemplaria collatos, eruditissimisque insuper commentariis illustratos*, qui primum Basileae apud Frobenium MDXXII. lucem viderunt: deinde saepius descripti sunt. ** Hic; siue DE LA CERDA edidit: pleraque TERTVLLIANI *opera, argumentis, explicationibus ac notis illustrata*, Parisiis MDCXXIV. MDCXXX. fol. duobus tomis, ac eiusdem TERTVLLIANI librum de *pallio*, cum commentario, ad calcem eius *aduersariorum sacrorum*. ***

§. X.

Supersunt *Germani*, non omittendi, quum in hac quoque gente exstiterint, qui studia sua ad patrum ecclesiae monimenta denuo recensenda: commentariis notisque illustranda conferrent. Quae dederunt, non multa magnaque quidem volumina sunt: non singularem, si comparate loqui velimus, chartae ac litterarum splendorem prae se habent: non adparatum discrepantium lectionum, dissertationum, commentationum complectuntur; attamen non contemnenda sunt, quae ab istis accepimus: immo nonnulla merito se commendant. Inter *Germaniae* eruditos

BEA-

* *acta erudit.* MDCCXLII. p.481.

** ANTONII *bibliothec. Hispan. nou. tom.* I. p.555.

*** *ibidem* p.552.

BEATVR RHENANVS emisit in lucem TERTVLLIANI *opera*, cum scholiis, Basileæ MDXXI. fol. quæ editio iterum prodiit ibidem MDXXV. MDXXVIII. MDXXXIX. In primis Rhenani editionibus desiderantur: liber de *trinitate*, de *testimonio animæ*, de *anima*, de *spectaculis*, de *baptismo*, *Scorpiace* contra gnosticos, martyrium adspernantes, de *idololatria*, de *pudicitia*, de *ieiunio* aduersus psychicos, de *oratione* et *epistola de cibis iudaicis*, libri *ad nationes*. Adiecit Rhenanus, sine nomine auctoris, *definitiones ecclesiasticorum dogmatum*, quæ deinde GENNADIO Massiliensi tributæ sunt. Vsus est codicibus quibusdam manuscriptis:

FRIDERIC. SYLBVRGIVS, cuius studio prodierunt: IVSTINI *martyris opera*, græce et latine, Heidelbergæ apud Commelinum MDXCIII. fol. Addidit Io. Arcerii, Dau. Hoeschelii, Hieronymi Wolfii obseruationes: selectas quoque Perionii notas, vna cum iis, quæ Iacobus Billius in suis obseruationum libris ad Iustinum animaduerterat. Hæc Sylburgii editio iterum litteris descripta est Parisiis MDCXV. et MDCXXXVI. fol. Ad CLEMENTIS *Alexandrini opera*, emendanda atque illustranda, itidem industriam atque eruditionem suam adhibuit. Prodierunt ista ex recensione ac cum castigationibus SYLBVRGII, Heidelbergæ apud Commelinum MDXCII. fol. eiusdemque diuersæ lectiones et emendationes collectæ accesserunt ad CLEMENTIS *opera*, a *Daniel. Heinsio* edita, Parisiis MDCXLI. fol.

CONRAD. RITTERSHVSIVS, qui loco hoc commemorandus est ob SALVIANI *opera*, cum commentario in lucem ab ipso emissa, Altorfii MDCXI. 8. duobus voluminibus, atque aliorum simul notis aucta, Noribergæ MDCXXIII. 8. Edidit quoque primus ISIDORI *Pelusiotæ epistolarum librum quartum* cum tribus prioribus huicque libro quarto interpretationem latinam; vniuersis autem quatuor notas, indices, singularumque epistolarum argumenta adiunxit, MDCV. fol. ex officina Commeliniana.

DAVID HOESCHELIVS, de græcorum patrum scriptis atque opusculis optime meritus, quippe quæ recensuit, emendauit, illustrauit. Sunt ista: 1.) *homiliæ quædam sacræ Basilii magni, Gregorii Nysseni, Gregorii Nazianzeni, Ioan-*

Ioannis Chryſoſtomi, Cyri Germani, in præcipuas anni ferias, cum fragmento Cyrilli Alexandrini, ex manuſcriptis codicibus vel nunc primum; vel emendatius editæ, cum notis, Auguſtæ MDLXXXVII. 8. II.) *Ioannis Damaſceni oratio græco-latina in transfigurationem domini. Acceſſit adpendix complurium locorum Philonis, Baſilii magni, Gregorii Nazianzeni, Athenæi et aliorum auctorum, qui partim corriguntur; partim redintegrantur*, Auguſtæ MDLXXXVIII. 8. III.) *oratio ſancti Gregorii, epiſcopi Nyſſeni, de filii et ſpiritus ſancti deitate*, græce, Auguſtæ MDXCI. 8. IV.) *Gregorii Nazianzeni definitiones rerum ſimplices, verſibus iambicis* CCLXVII. *cum latina proſaria verſione et notis. Anonymi definitiones, ordine alphabetico ex codice manuſcripto bibliothecæ Palatinæ;* Heidelbergæ MDXCI. 8. V.) *Gregorii Nyſſeni opuſcula quinque:* de *profeſſione chriſtiana:* de *perfectione: anagogica vitæ Moſis enarratio: contra Apollinarium:* de *fide, græce primum edita*, Lugduni Batauorum MDXCIII. 8. VI.) *Ioannis Chryſoſtomi oratio in diem natalem ſeruatoris noſtri ieſu chriſti, edita nunc primum ex bibliotheca Auguſtana*, Auguſtæ MDXCIV. 8. VII.) *Gregorii Nazianzeni arcana; ſiue de principiis verſus* CCCCLXXXII. *et alia quædam. Græce ex bibliotheca Auguſtana*, Lugduni Batauorum MDXCVIII. 8. VIII.) *Maximi martyris myſtagogia, ex codice manuſcripto reipublicæ Auguſtanæ et Maximi Margunii græce nunc primum edita, cum interpretatione latina*, Gentiani nimirum Herueti. Eiusdem *Maximi definitiones, integritati reſtitutæ*, Auguſtæ MDXCIX. 8. IX.) *Ioannis Chryſoſtomi de ſacerdotio libri ſex, græce et latine, Iacobo Ceratino et Germano Brixio interpretibus, ex emendatione et cum notis*, Auguſtæ MDXCIX. 8. X.) *Ioannis Chryſoſtomi contra iudæos homiliæ ſex, græce et latine, cum notis*, Auguſtæ MDCII. 8. XI.) *Origenis contra Celſum libri* VIII. *et Gregorii thaumaturgi panegyricus in Origenem, græce, cum verſione latina ſubiuncta Sigismundi Gelenii ac notis*, Auguſtæ MDCV. 4. XII.) *vita ſancti Antonii eremitæ, ab Athanaſio græce ſcripta, cum latina interpretatione et notis*, Auguſtæ MDCX. 4.

ANDREAS RIVINVS, cuius cura ac ſtudio lucem viderunt: *duum Victorinorum, Petauionenſis et Afri, ſanctæ reliquiæ, cum notis*, Lipſiæ MDCLIII. 8. *Q. Septimii Florentis Tertulliani opera poetica omnia cum animaduerſionibus, iunctis*

pœma-

pœmatis, quæ Cæcilii Cypriani esse, perhibentur, Lipsiæ MDCLIII. 8. *Dracontii Hispani libellorum biga, quorum prior hexaëmeri titulo pridem; sed mutilus, heroico metro; alter elegiaco prodiit, nouis notis aucti et illustrati*, Lipsiæ MDCLIII. 8. *Damasi* I. *pontificis maximi carmina sacra, cum notis*, Lipsiæ MDCLIII. 8. Præterea curauit, vt in conspectum publicum venirent: *psalmi, hymni et carmina sacra Gallicorum scriptorum episcoporum, Drepanii Flori, Theodulphi et Ionæ Aurelianensium, Modoini Hedui, Laidradi et Agobardi Lugdunensium, cum notis*, Lipsiæ MDCLIII. 8. item *Dracontii et Eugenii Toletani carmina sacra*, Lipsiæ MDCLIII. 8.

IO. WEITZIVS, quem commemoro ob AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS *opera*, ab ipso edita, cum omnium doctorum virorum, quotquot in Prudentium scripserunt, notis, scholiis atque obseruationibus glossisque veteribus. Animaduersionibus his variorum et suas Weitzius adiecit:

CASPAR BARTHIVS, qui varia scriptorum ecclesiasticorum monimenta euulgauit iisque lucem adtulit. Sunt ista: *Phœbadii liber contra Arianos, cum animaduersionibus*, Francofurti MDCXXIII. 8. AENEAS *Gazæus et Zacharias Mitylenæus, philosophi christiani, de immortalitate animæ et mortalitate vniuersi, cum animaduersionibus*, Lipsiæ MDCLIII. 4. *Claudiani Ecdicii Mamerti de statu animæ libri* III. cum *Andreæ Schotti notis et emendationum rationibus ex scriptis codicibus; item Gregorii thaumaturgi libello de anima, incertique philosophi christiani celebribus opinionibus.* Ad hæc accesserunt: *Hermæ pastor, cum animaduersionum libro Casparis Barthii, itemque Paciani, episcopi Barcinonensis, parænecticus ad pœnitentiam*, Cygneæ MDCLV. 8. Scripsit etiam BARTHIVS *notas in Optatum Mileuitanum*, quæ isti, Parisiis MDCLXXIX. fol. et Antuerpiæ MDCCII. fol. edito, adiunctæ sunt:

CHRISTIANVS DAVMIVS, cuius mentionem facio ob nonnulla scripta, ab ipso denuo in lucem emissa. In numero illorum sunt: *diuorum patrum homiliæ in festum natiuitatis christi*, Cygneæ MDCLXX. 8. in quo volumine coniunctim habentur: Basilii magni, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, Augustini, Petri Chrysologi, Leonis magni, Fulgen-

gentii atque aliorum homiliæ ac meditationes in memoriam nati seruatoris. Curauit quoque Daumius, vt HIERONYMI, theologi græci, *dialogus de sancta trinitate*, antea a *Federico Morellio* græce ac latine editus, Parisiis MDCXII. 8. denuo describeretur, atque addidit GENNADII *scholarii*, patriarchæ Constantinopolitani, *dialogos de via salutis humanæ* eiusdemque *confessionem fidei* ad Agarenos et *orationem ad vnum et trium personarum deum*, omnia græce et latine; præterea autem MARTINI I. episcopi Turonensis, *professionem fidei de trinitate*, Cygneæ MDCLXXVII. 8. Exstat etiam HIERONYMI huius *dialogus christiani cum iudæo*, itidem a Daumio editus, Cygneæ MDCLXXX. 8. qui et præclare meritus est de BENEDICTI PAVLLINI *Petricorii; siue Petricoriæ, Petricordii libris sex de vita sancti Martini*, carmine heroico scriptis. Recensuit illos: notis variorum, Francisci Iureti, Caspar. Barthii, Io. Frideric. Gronouii suisque illustrauit atque adiunxit non solum PAVLLINI huius *carmen ad Nepotulum* et *epigramma*, basilicæ Martini apud Turones inscriptum; sed etiam TERTVLLIANI *carmen de Iona et Niniue*, et PAVLLINI *Pellæi eucharisticon*, Lipsiæ MDCLXXXI. 8.*

IO. GEORG. PRITIVS, cuius cura ac studio prodierunt: MACARII *Aegyptii opera*, primum *homiliæ*, Lipsiæ MDCXCVIII. 8. deinde etiam *opuscula nonnulla* eaque de *custodia cordis:* de *perfectione in spiritu:* de *oratione:* de *patientia et discretione:* de *eleuatione mentis:* de *caritate* ac de *libertate mentis*, item *apophthegmata Macarii*, a *Petro Possino* ac *Io. Baptista Cotelerio* edita, *relatioque atque excerpta de Macario* ex Hieronymo, Palladio ac Cassiodoro, ibidem MDCXCIX. 8. Pritius curauit, vt sermo græcus adcurate exhiberetur, simulque interpretationem latinam emendauit:**

CHRISTOPHOR. CELLARIVS, cuius cura in lucem prodierunt: I.) LVCII COELII; *siue* CAECILII LACTANTII FIRMIANI *opera omnia, quæ exstant, cum adnotationibus*, Lipsiæ MDCXCVIII. 8. ad quæ studiose recensen-

* LVDOVICI *histor. rectorum et gymnasior. part.* III. p. 116. ITTIGII *tractatus de bibliothecis et catenis patrum* p. 722.

** *acta eruditor.* MDCXCVIII. p. 487.

fenda vſus eſt ſex codicibus manuſcriptis: * II.) MINVCII FELICIS *Octauius et* COECILII CYPRIANI *de vanitate idolorum liber, cum notis,* Halæ MDCXCIX. 8. vbi præfatus eſt de varia vtilitate, quæ a ſcriptoribus eccleſiaſticis puræ latinitatis, ſi iſti in ſcholis chriſtianis legantur, exſpectanda ſit: ** III.) AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS *quæ exſtant, cum adnotationibus et indicibus copioſioribus rerum et verborum,* Halæ MDCCIII. 8. *** IV.) COELII SEDVLII, *poetæ inter chriſtianos veteres elegantiſſimi, mirabilium diuinorum libri, paſchale carmen dicti, et hymni duo, ex manuſcriptis codicibus recenſiti et adnotationibus illuſtrati,* Halæ MDCCIV. 8. * quæ editiones Cellarii eleganter atque adcurate deſcriptæ: breuioribus notis atque indicibus rerum ac verborum inſtructæ, multum ſe commendarunt:

THOMAS ITTIGIVS, qui iuris publici fecit: *bibliothecam patrum apoſtolicorum græco-latinam, qua continentur:* I.) CLEMENTIS *romani prior et poſterior ad Corinthios epiſtola:* II.) IGNATII *epiſtolæ ſeptem genuinæ, quibus eiusdem interpolatæ et ſpuriæ epiſtolæ; nec non acta Ignatiani martyrii accedunt:* III.) POLYCARPI *epiſtola ad Philippenſes, cui præter fragmenta Polycarpi, eccleſiæ Smyrnenſis de Polycarpi martyrio epiſtola integra adiungitur.* Præmiſſa eſt diſſertatio de patribus apoſtolicis, Lipſiæ MDCXCIX. 8. Edidit præterea: CLEMENTIS *Alexandrini operum ſupplementum,* Lipſiæ MDCC. 8. quo exhibentur: CLEMENTIS liber, *quis diues ſalutem conſequi poſſit?* græce et latine, cum notis *Franciſci Combefiſii:* eiusdem *adumbrationes in epiſtolas aliquot catholicas ac fragmenta.* Additus eſt: *faſciculus obſeruationum miſcellanearum, ad hiſtoriam eccleſiaſticam et patrologiam ſpectantium,* de concilio apoſtolorum, in quo immaculata beatæ virginis Mariæ conceptio decreta perhibetur:

* *acta eruditor.* MDCXCVIII. p. 535.

** *acta eruditor.* MDCXCIX. p. 246.

*** BERNARDI *nouuelles de la republiqu. des lettres* MDCCIV. *ianuar.* p. 109. *iournal des ſauans* MDCCIV. *februar.* p. 172. *acta eruditor.* MDCCIII. p. 154.

* *acta eruditor.* MDCCIV. p. 108. *iournal des ſauans* MDCCV. *mai.* p. 523.

tur: de numero canonum Nicænorum: Io. Harduini de Iuſtini martyris operibus iudicium: Cypriani epiſtola ad Stephanum in cauſſa Martiani Arelatenſis, Ioanni Launoio præter meritum ſuſpecta: de Tatiano et Gregorii opuſculo de anima ad Tatianum: de Athenagora, de Damaſi operibus, de exocionitis, de hæreſi Bonoſi ac de apologia Athanaſii ſecunda: *

CHRISTOPHOR. MATTHAEVS PFAFFIVS, qui primus edidit integram FIRMIANI LACTANTII *epitomen inſtitutionum diuinarum ad Pentadium fratrem*, cum anonymi hiſtoria de hæreſi Manichæorum: fragmento de origine generis humani et Q. Iulii Hilariani expoſito de ratione paſchæ et menſis, ex codice Taurinenſi, Pariſiis MDCCXII. 8. ** Præter hæc, ad vſum publicum transtulit: *ſancti* IRENAEI, *epiſcopi Lugdunenſis, fragmenta anecdota*, ex bibliotheca Taurinenſi, cum latina verſione ac notis duabusque diſſertationibus de oblatione et conſecratione euchariſtiæ, item cum liturgia græca Io. Erneſti Grabii et diſſertatione de præiudiciis theologicis, Hagæ comitum MDCCXV. 8. ***

IO. ALBERTVS FABRICIVS, cui debemus: *ſancti Hippolyti, epiſcopi et martyris, opera, non antea collecta et partem nunc primum e manuſcriptis in lucem edita, græce et latine*, Hamburgi MDCCXVI. fol. Multa variaque acceſſerunt, quæ editionem hanc præclare ornant, nimirum: virorum doctorum notæ et animaduerſiones ac præter aliorum commentarios, in monimentum paſchale ſancti martyris, tabula triplici ænea expreſſum, diſſertationes integræ virorum clariſſimorum Francisci Blanchini et Io. Vignolii atque ex Virginii Valſechii et Philippi a Turre ſcriptis excerpta, ſanctum Hippolytum ſpectantia: præterea adpendix ſcripto-rum

* *acta eruditor.* MDCC. p. 451. *monatliche auszüge* 1700. p. 660.

** CLERICI *bibliothequ. ancienne et modern. tom.* III. p. 444. *memoires de Treuoux* MDCCXII. *decembr.* p. 2041. *iournal des ſauans* MDCCXII. *ſeptembr.* p. 253. *acta eruditor.* MDCCXIII. p. 70.

*** *iournal des ſauans* MDCCXV. *nouembr.* p. 549. CLERICI *bibliothequ. ancienn. et modern. tom.* III. p. 448. *acta eruditor.* MDCCXV. p. 485.

rum dubiorum suppositit iorumque; nec non quæcumque reperiri potuere ex lucubrationibus Hippolyti iunioris Thebani. Prodiit et HIPPOLYTI, *episcopi et martyris, volumen* II. *inedita hactenus nonnulla illius complexum, græce alia cum latina interpretatione: alia arabice, litteris descripta syriacis, ex catena in pentateuchum manuscripta bibliothecæ Bodleianæ cum versione Ioann. Gagnierii. Accedit spicilegium patrum quorumdam aliorum tertii a christo nato seculi atque in hoc Leonis Allatii diatriba de Methodiis ac Methodiorum scriptis et Claudii Salmasii commentarius inchoatus in Arnobium, nunc primum editus: denique adpendicis loco Chalcidius in Timæum Platonis philosophi, emendatus et notis illustratus*, Hamburgi MDCCXVIII. fol. * Referri et huc possunt: EVSEBII *Cæsareensis procemium et capita priora demonstrationis euangelicæ, quæ in editionibus hactenus desiderantur*, quæ ex bibliotheca Walachiæ principis, Ioannis Nicolai, Alexandri f. Maurocordati sumta et latine reddita, Fabricius itidem iuris publici fecit, ** meritoque adnumeratur: PHILASTRII, *episcopi Brixiensis, de hæresibus liber, cum emendationibus et notis Fabricii*, Hamburgi MDCCXXI. 8. ***

IO. CHRISTOPHOR. WOLFIVS, a quo in lucem editi sunt: THEOPHILI, *episcopi Antiocheni, libri* III. *ad Autolycum, græce ad fidem codicis manuscripti Bodleiani et ex parte regii Parisiensis denuo recogniti et pluribus in locis castigati, versione latina, frequenter emendata notisque tum alio-*

* *acta eruditor.* MDCCXVI. p. 441. MDCCXVIII. p. 442. *memoires de Treuoux* MDCCXVII. *febr.* p. 255. MDCCXX. *februar.* p. 218. *iournal des sauans* MDCCXVI. *decembr.* p. 636. MDCCXIX. *ianuar.* p. 98. *deutsche acta eruditor. volumin.* IV. p. 400. *volumin.* V. p. 744. *neue hällische bibliothec volum.* VI. p. 34.

** præmissa sunt FABRICII *delectui argumentor. et syllabo scriptorum de veritate religionis christianæ.*

*** CLERICI *bibliothequ. ancienne et moderne part.* XVII. p. 197. *nachricht von den büchern in der stollischen biblioth. volum.* I. p. 792. Liber hic cum Fabricii notis posthumis, variis lectionibus ex manuscripto codice Corbeiensi et Galeardi spicilegio ad Fabricii notas habetur in QVIRINI *collection. veter. patrum eccles. Brix.* p. 1. Brixiæ MDCCXXXVIII. fol.

aliorum; *tum ſuis inſtructi*, Hamburgi MDCCXXIV. 8. Adiungi quoque poſſunt eiusdem *anecdota græca ſacra et profana*, quæ veluti in tranſitu iam memoraſſe ſufficiat; poſtea autem illa proprio loco vberius enarrabo:

IO. LVDOLPH. BVNEMANN, iam memoratis adiungendus ob præclaram editionem Lactantii, quam in lucem emiſit, hac inſcriptione: LVCII COELII; SIVE CAECILII LACTANTII FIRMIANI *opera omnia, quæ exſtant, cum notis integris Chriſt. Cellarii et ſelectis; aut excerptis Eraſmi, Betuleii, Mich. Thomaſii, Iſæi, Buchneri, Gallæi, Sparkii, Walchii, Heumanni, Baluzii, Nourrii, Nic. Heinſii, Græuii, Miegii, Maſtrichtii.* Addidit integram *epitomen*, a Pfaffio editam, eiusdem auctiores varias lectiones et notas, diſcrepantes quoque ſcripturas libri de *mortibus perſequutorum.* Omnia, vti itidem titulus habet, ex maximo manuſcriptorum et editionum adparatu recenſuit et notis criticis vberrimoque nouo indice latinitatis inſtruxit, Lipſiæ MDCCXXXIX. 8. *

CHRISTOPHORVS AVGVST. HEVMANNVS, qui itidem vulgauit: LACTANTII *opera omnia, emendata et illuſtrata, cum adnotationibus criticis Michael. Thomaſii et Chriſtophor. Cellarii*, Gœttingæ MDCCXXXVI. 8. **

IO. LVDOVICVS SCHVLZE, qui curam adhibuit ad THEODORETI *opera* denuo in lucem emittenda. Prodiit tomus primus, inſcriptione hac: *Theodoreti, epiſcopi Cyri, opera omnia ex recenſione Iacobi Sirmondi, denuo edidit, græca e codicibus locupletauit, antiquiores editiones adhibuit, verſionem latinam recognouit et variantes lectiones adiecit Io. Ludou. Schulze*, Halæ MDCCLXIX. 8. Haud quidquam neglexit Schulzius, quod ad editionem hanc ornandam ac commendandam pertinere putauit ſuamque eruditionem atque induſtriam non mediocrem ſatis probauit. Diſſertationem de vita et ſcriptis Theodoreti præmiſit.

Germani non ſolum ipſis patrum ſcriptis emendandis, illuſtrandis atque ad vſum publicum transferendis ſtudia

 ſua

* *acta eruditor.* MDCCXLI. p. 103. *ſamlung von alten vnd neuen theolog. ſachen*, 1744. p. 440.

** *acta eruditorum* MDCCXXXVII. p. 255.

ſua addixerunt; ſed curarunt quoque, vt iſta, apud exteras nationes iam edita, ad exempla eorum denuo deſcriberentur. Factum hoc eſt, licet non ſemper; nonnumquam tamen, auctoritate Friderici I. ducis Gothani ſumtuque variorum bibliopolarum, inprimis Mauritii Georgii Weidmanni. In titulo editiones hæ *Coloniæ* præ ſe habent; qui locus autem fictus eſt, quum illæ præcipue Lipſiæ in lucem prodierunt: quædam etiam Francofurti ad Mœnum ac Vitembergæ. Non omnes præ ſe ferunt adcurationem. Quorum monimenta ita lucem viderunt, in eorum patrum numero ſunt: Iuſtinus martyr, Clemens Alexandrinus, Origenes, Euſebius, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Chryſoſtomus, Athanaſius, Hieronymus.

§. XI.

Patrum eccleſiæ monimenta ita edita ſunt, vt illa non ſolum vniuerſa coniunctim lucem adſpicerent; ſed etiam eorum ſingularia ſeparatim in conſpectum publicum venirent, latinorum pariter ac græcorum auctorum. Qui ad editiones generis huius curandas ſe contulerunt, laudabili labore illi perfuncti ſunt. Præbent enim iſtæ commodiorem ac frequentiorem vſum ſcriptorum, quæ antiquiores chriſtianorum doctores reliquerunt. Latinorum patrum varia ſcripta ſeparatim in lucem prodierunt:

TERTVLLIANI libri duo *ad nationes*, quos ex codice Agobardi primus edidit notisque illuſtrauit *Iacobus Godofredus*, Geneuæ MDCXXV. 4. libellus de *oratione* integrior, cum notis *Guidonis Panciroli* et *Ludouici Antonii Muratorii:** liber de *præſcriptionibus aduerſus hæreticos:* ſcholiis ac commentario illuſtratus cura *Chriſtiani Lupi*, Bruxellis MDCLXXV. 4. et antea ibidem ſeparatim editus cum notis *Iacobi Pamelii*, Coloniæ MDXCIV. *apologeticus*, cum commentario *Sigeberti Hauercampi*, Lugduni Batauorum MDCCXVIII. 8. quam editionem iam antea recenſui: liber de

* eſt in MVRATORII *anecdotor. latinor. tomo* III. p. I.

de *pallio*, cum commentario *Claudii Salmasii*, Parisiis MDCXXII. 8. Lugduni Batauorum MDCLVI. 8.

CYPRIANI *epistolæ*, separatim in lucem emissæ a *Luca Friderico Reinharto*, atque inscriptione hac instructæ: *sancti Cæcilii Cypriani, Carthaginiensis episcopi ac tandem martyris et aliorum quorumdam ad ipsum, vel in simili caussa scriptæ epistolæ* LXXXIII. *ordine Pameliano locatæ, ex editione Goulartiana in sectiones diuisæ, et cum sancti Augustini ad Cypriani argumenta de baptismo hæreticorum responsionibus, suo loco subiunctis, variis etiam Pamelii, Rigaltii aliorumque lectionibus et coniecturis, vt et Gratiani in decreto, Lombardi in libris sententiarum ac Thomæ Aquinatis in summa theologiæ allegationibus, in margine notatis et aliquot denique vtilibus indicibus*, Altdorfii MDCLXXXI. 4. * Separatim quoque lucem viderunt cura *Ieremiæ Stephani* libri CYPRIANI de *bono patientiæ*, cum notis, Oxoniæ MDCXXXIII. 8. liber de *vnitate ecclesiæ*, itidem cum adnotationibus ac cum *Augustini* libro eiusdem argumenti, Helmstadii MDLVII. 8. præmissa Georgii Calixti introductione. Præterea vulgauit *Bartholomæus Francus* separatim CYPRIANI libellum de *mortalitate*, cum notis, Ienæ MDCLXXXII. 12. liber autem de *idolorum vanitate* sæpius editus est cum Minucio Felice:

LACTANTII liber de *opificio dei*, cum *Erasmi* scholiis, Basileæ MDXXIX. 8. cum notis *Io. Wilichii*, Argentorati MDXLII. 8. ac cura *Georg. Ludou. Goldneri*, cum vita Lactantii et iudiciis eruditorum, Geræ MDCCXIV. 8. item liber de *mortibus persequutorum*, qui solus sine reliquis Lactantii libris, non semel; sed iterum iterumque ad publicum vsum translatus est. Prodiit enim ille cum breuibus scholiis *Ioann. Felli*, Oxoniæ MDCLXXX. 12. cum notis *Io. Columbi* ad Gisbertum Cuperum, Aboæ MDCLXXXIV. 8. ** cum adnotationibus variorum, Stephani Baluzii, Gisberti Cuperi, Io. Columbi, Thom. Spark, Nicolai Toinardi, Io Georg. Græuii, Thom. Gale, Eliæ Boherelli, cumque HENRIC. DODWELLI *dissertatione de ripa striga et* THEOD. RVI-

* IO. FABRICII *histor. bibliothec. part.* IV. p. 113.

** BAELII *nouuell. de la republiqu. des lettres* MDCLXXXV. *aug.* p. 631. *acta erud.* MDCLXXXV. p. 584.

RVINARTI *præfatione ad acta martyrum*, ſtudio *Paulli Baudri*, Traiecti ad Rhenum MDCXCII. 8.* cum notis *Nicolai Nourrii*, Pariſiis MDCCX. 8. qui autem negat, Lactantium libri huius auctorem eſſe. **

AMBROSII de *officiis libri tres*, quos ſeparatim edidit *Michael Fœrtſchius* ac commentationem copioſam adiecit, loco manuductionis ad philoſophiam moralem et iurisprudentiam naturalem et chriſtianam veterum eccleſiæ doctorum, Stutgardiæ MDCXCVIII. 8. poſtquam ſcriptum hoc ſeparatim iam prodierat Pariſiis MDIV. 4. ac cum præfatione *Bœcleri*, Argentorati MDCXLVI. 12. Eodem modo lucem adſpexerunt: AMBROSII *libelli; ſiue epiſtolæ contra relationem Symmachi, pro ara victoriæ erigenda contendentis, ad Valentinianum imperatorem*, Baſileæ MDXLIX. 8. ac cum notis *Iureti*, Pariſiis MDLIV. 4. quæ et locum obtinuerunt inter reliquas Ambroſii epiſtolas; item opuſculum de *virginitate*, Romæ MDLXII. ac quædam alia; quæ autem inter germana Ambroſii monimenta haud referri poſſunt:

HIERONYMI liber de *viris illuſtribus; ſiue de ſcriptoribus eccleſiaſticis*, quem primus edidit ſeparatim cum græca interpretatione *Erasmus*, Baſileæ MDXXIX. 4. Num græca illa interpretatio *Sophronii* nomen vere præferat; nec ne, pro certo haud adfirmandum eſt. Liber ipſe hic iterum iterumque prodiit non ſolum in quibusdam Hieronymi operum editionibus; ſed etiam in voluminibus, quibus varii auctores de ſcriptoribus eccleſiaſticis coniunctim exhibentur. Referri et huc debent: HIERONYMI *epiſtolæ*, ſeparatim editæ per Petrum Schefferum, Moguntiæ MCCCCLXX. fol. ac Lugduni per magiſtrum Nicolaum de Benedictis MDXIII. fol.

AVGVSTINI varia ſcripta, quæ, ab aliis eiusdem monimentis ſeparata, in lucem exierunt. In illorum numero ſunt: 1.) con-

* *acta eruditor.* MDCXCIII. p. 124.

** CLERICI *bibliothequ. ancienne et moderne tom.* VI. p. 431. *iournal des ſauans* MDCCX. *ſeptembr.* p. 312. *memoires de Treuoux* MDCCXI. *ianuar.* p. 5. *hiſtory of the works of the learned*, MDCCX. p. 584.

confessionum libri XIII. editi cura *H. Sommalii*, Duaci MDCVII. 8. Antuerpiæ MDCCXL. 8. cum notis capitumque argumentis studio *Henrici Wagnerecci*, Dilingæ MDCXXXI. 12. ac sæpius: II.) de *doctrina christiana libri* IV. *de fide et symbolo vnus*, cum VINCENTII *Lerinensis commonitorio*, quos *Georgius Calixtus* ad vsum publicum transtulit ac copiose præfatus est de argumentis horum librorum deque traditione ecclesiastica, Helmstadii MDCXXIX. 8. et iterum MDCLV. 4. * III.) libri de *ciuitate dei* contra paganos, separatim sæpe litteris descripti, iam prima typographiæ ætate seculoque quinto ac decimo. Memorantur editiones: Romana MCCCCLXVIII. fol. Veneta MCCCCLXX. fol. Moguntina MCCCCLXXV. Neapolitana MCCCCLXXVII. ac cum adnotationibus *Thomæ Valois* et *Nicolai Triueth*, Friburgi MCCCCXCIV. aliæque similis generis. Separatim quoque prodierunt cum commentariis, inprimis *Io. Ludouici Viuis* ac *Leonardi Coquei*, Parisiis MDCLI. fol. Hamburgi MDCLXI. 4. ** IV.) *sancti Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi, et aliorum quorumdam ad ipsum; vel eius caussa scriptæ epistolæ* CCLXXVIII. *cum adpendice suppositítiarum, variis lectionibus aliisque marginalibus et indicibus vtilissimis*, quas separatim in lucem protulit *Lucas Fridericus Reinhartus*, Altorfii MDCLXVIII. 4. *** Epistolis his Augustini, tamquam supplementum, addi potest: *sancti Augustini, episcopi Hipponensis, ad Optatum, episcopum Mileuitanum, de natura et origine animæ epistola secunda. Accessit eiusdem sancti Augustini epistola de pœnis paruulorum, qui sine baptismo decedunt, scripta ad Petrum et Abraham. Prodeunt nunc primum ex bibliotheca liberæ et exemtæ ordinis sancti Benedicti inferioris Austriæ abbatiæ Gottwicensis*, Viennæ MDCCXXXIII. fol. * V.) liber de *hæresibus ad Quod Vult Deum*, qui separatim in lucem exiit cura *Lamberti Danæi* cum erudito commentario atque ac-

 cessio-

* FABRICII *histor. bibliothec. part.* IV. p. 114. CRENII *animaduers. historicar. et philologicar. part.* IV. p. 208.

** FABRICII *syllab. scriptor. de veritate religion. christian.* p. 243.

*** IO. FABRICII *histor. bibliothec. part.* IV. p. 117.

* *acta eruditor.* MDCCXXXIV. p. 156. *bibliothequ. raisonnée tom.* XII. p. 420.

ceſſionibus hæreſium ab orbe condito ad conſtitutum papiſmum et mohametiſmum, earumque, quæ ab Auguſtino prætermiſſæ ſunt, Geneuæ MDLXXVI. MDLXXVIII. MDLXXX. MDXC. 8. ac ſtudio *Gebhardi Theodori Meieri*, Helmſtadii MDCLXXIII. 4. quæ editio vitioſa eſt. Exiit etiam liber hic cum VINCENTII *Lerinenſis commonitorio*, Cantabrigiæ MDCLXXXVII. 12.* VI.) *libri duo de adulterinis coniugiis ad Pollentium*, editi *cum notis iuris conſulti celeberrimi, quibus dogma eccleſiæ de matrimonii diſſolutione illuſtratur*, Ienæ MDCXCVIII. 4. Iure conſultus, cuius notæ acceſſerunt, *Io. Schilterus* eſt; adnotationes autem illius *Georg. Schubartus* cum præfatione iuris publici fecit: ** VII.) *enchiridion ad Laurentium; ſiue de fide, ſpe et caritate liber vnus*, cura *Lamberti Danæi*, Geneuæ MDLXXV. 8. ac cum præfatione *Adami Rechenbergii*, Lipſiæ MDCCV. 12.

Græcorum quoque patrum ſcripta varia, vti latinorum, ſeparatim in lucem exierunt, quorum nonnulla, quæ hoc comprobant, adducam. Spectant huc:

IVSTINI *martyris* monimenta, eaque: *apologia prima*, Oxoniæ MDCC. 8. et *ſecunda pro chriſtianis*, cum quibusdam aliis Iuſtini huius ſcriptis, Oxoniæ MDCCIII. 8. quarum illam *Grabius;* hanc autem *Hutchin* edidit; item *dialogus cum iudæo Tryphone*, cum variorum notis in lucem emiſſus ſtudio *Samuel. Iebbii*, Londini MDCCXIX. 8. de quibus libris iam ſupra diſſerui:

ORIGENIS *libri* VIII. *contra Celſum*, philoſophum Epicureum, pro veritate religionis chriſtianæ, quod opus primus græce ex codicibus manuſcriptis cum notis vulgauit *Dauid Hœſchelius*, Auguſtæ Vindelicor. MDCV. 4. atque addidit cum GREGORII *thaumaturgi orationem in Origenem;* tum ad calcem libri verſionem *Gelenii.* Sequuta eſt præſtantiſſima editio, quam induſtriæ *Guil. Spenceri* debemus. Prodiit illa coniunctim cum ORIGENIS *philocalia:* cum notis HOESCHELII in *libros contra Celſum* et IO. TA-

RINI

* *bibliothec. theolog.* noſtræ *tom.* III. p. 744.

** *acta eruditor.* MDCXCVIII. p. 339. IO. FABRICII *hiſtor. biblioth. part.* IV. p. 119.

RINI in *philocaliam*, quibus Spencerus et ſuas adnotationes adiunxit, Cantabrigiæ MDCLVIII. et MDCLXXVII. 4. Quam iam memoraui, ORIGENIS *philocalia*, *de obſcuris ſacræ ſcripturæ locis*, *a ſanctis patribus*, *Baſilio magno et Gregorio theologo*, *ex variis Origenis commentariis excerpta*, primum græce cum latina interpretatione notisque lucem adſpexit ſtudio *Ioann. Tarini*, Pariſiis MDCXIX. 4. Acceſſerunt: ZACHARIAE *ſcholaſtici de mundi opificio contra philoſophos diſputatio*: ANASTASII *Sinaitæ de hominis ad imaginem et ſimilitudinem dei creatione et celebres opiniones de anima.* Addi poteſt: ORIGENIS libellus de *oratione*, *huc vsque ineditus*, Oxoniæ e theatro Sheldoniano MDCLXXXVI. 12. * quam editionem iterum litteris deſcribendam curauit, vna cum latina verſione, non vno loco emendata, notisque ac cum MARCI DIADOCHI *ſermone contra Arianos*, primum nunc edito, verſione et notis illuſtrato, *Io. Rodolfus Wetſtenius*, Baſileæ MDCXCIV. 4. Omitto ORIGENIS *dialogum contra Marcionitas*; *ſiue de recta in deum fide*, quem iam memoratus *Wetſtenius* primus græce iuris publici fecit atque addidit: *exhortationem ad martyrium* ac *reſponſum ad Africani epiſtolam de hiſtoria Suſannæ*, Baſileæ MDCLXXIV. 4. Qamuis enim *dialogus* hic a multis Origeni tribuitur recteque hoc fieri, Wetſtenius probare adnititur; rationes tamen grauiores ſunt, propter quas adfirmatur, Origenem haud auctorem eſſe dialogi huius. Idem dicendum eſt de *philoſophumenis*, quæ itidem ſub *Origenis* nomine edita ſunt:

EVSEBII, *epiſcopi vulgo Alexandrini*, *oratio de die dominica*, Lipſiæ MDCCXX. 4. quam græce ex manuſcriptis edidit, latine vertit et adnotationibus, potiſſimum ad ſacra publica veteris eccleſiæ ſpectantibus, illuſtrauit *Io. Guil. Ianus.* **

BASILII *magni* varia ſcripta, quæ itidem ſeparatim deſcripta in conſpectum publicum venerunt. Inter illa locum habent: 1.) homilia de *ieiunio*, græce edita Helm-

K 5 ſtadii

* *acta eruditor.* MDCLXXXVI. p. 575.

** *acta eruditor.* MDCCXX. p. 323.

ſtadii MDCLXVI. 4. II.) homilia de *ieiunio* ſecunda, quæ prodiit græce cum prima Louanii MDLXIII. 4. Pariſiis MDLXXIX. 8. atque ex interpretatione *Eraſmi*, Friburgi MDXXXII. et ex *Petri Galeſinii* verſione Romæ MDLXXXVII. 4. et Monachii MDCXIII. 12. III.) homilia de *ira;* ſiue *aduerſus iraſcentes*, quæ græce ac latine in lucem exiit Pariſiis MDLXXXVII. IV.) *encomium in ſanctos* XL. *martyres*, quod iuris publici fecerunt: *Gerardus Voſſius* cum notis ac noua interpretatione latina, Moguntiæ MDCIV. 4. * et *Simon Stenius*, Heidelbergæ MDCXIV. 8. V.) homilia in *natalem chriſti*, in lucem prolata græce cum aliis Louanii MDXXXVII. ac cura *Dauid. Hœſchelii*, Auguſtæ Vindelicorum MDLXXXVII. 8. VI.) *ſermones* XXIV. *morales*, a Simeone magiſtro et logotheta ex Baſilii ſcriptis excerpti atque editi primum græce, Pariſiis MDLVI. 8. deinde a *Simone Mailleo* translati in latinum ſermonem, ibidem MDLVIII. 8. atque vtraque lingua cum noua interpretatione *Stanislai Ilouii*, Francofurti MDXCVIII. et MDCXI. 8. VII.) oratio de *humana chriſti generatione, græce et latine, ex recenſione Iuliani Garnier, in ſectiones primum deſcripta, noua verſione, argumento et notulis macta*, a *Io. Benedict. Carpzouio* edita, Helmſtadii MDCCLVII. 4. ** VIII.) oratio de *gentilium libris cum fructu legendis*, quæ propter præſtantiam atque vtilitatem ſuam ſæpiſſime ſeparatim in lucem prodiit, græca ac latina lingua cumque notis ac variis lectionibus. Præter alios, quos prætereo, doctiſſimi viri laudabilem induſtriam ad illam recenſendam adhibuerunt. Princeps eorum eſt *Hugo Grotius*, qui ſtudia ſua in eo poſuit, vt Baſilii orationem hanc noua interpretatione ornaret: locis quibusdam emendaret ac PLVTARCHI librum de *legendis pœtis* præmitteret, Pariſiis MDCXXIII. 4. Cum eadem verſione oratio hæc Baſilii Plutarchique adductus liber vt denuo lucem viderent, *Io. Potterus* curauit atque ad finem voluminis varias diſcrepantes ſcripturas ac

* in *miſcellaneis ſanctorum aliquot patrum græcorum et latinorum*, quæ GREGORII *thaumaturgi operibus* addita ſunt p. 75.

** *acta eruditor.* MDCCLIX. p. 35.

ac breuiores animaduerſiones adiecit, Oxoniæ MDCXCIV. 8. Editio hæc iterum deſcripta eſt cum nouis atque eruditis notis *Io. Henrici Maii* filii, Francofurti MDCCXIV. 4.

GREGORII *Nyſſeni* monimenta, ſeparatim edita, in manibus eruditorum ſunt, quæ nunc ſequuntur: I.) *epiſtola ad ſororem Euſtathiam, Ambroſiam filiamque Baſiliſſam*, quam primus *Iſaacus Caſaubonus* græce cum interpretatione ſua ac notis vulgauit, Pariſiis MDCVI. 8. Hanouiæ MDCVII. 8. II.) *epiſtola de iis, qui adeunt Hieroſolyma*, quam ſeparatim cum latina verſione ac notis et diatriba duplici de peregrinationibus religioſis et de altaribus ſacrificiisque chriſtianorum edidit *Petrus Molinæus*, Pariſiis MDCV. et Hanouiæ MDCVII. 8. Adiunxit quoque IO. HENR. HEIDEGGERVS epiſtolam hanc græce ac latine diſſertationi ſuæ de *peregrinationibus religioſis*, atque aduerſus Gretſerum defendit, Tiguri MDCLXX. 8. III.) *oratio de ſancto et ſalutifero paſchate*, cum verſione *Ioachimi Camerarii*, Lipſiæ MDLXIII. 8. ac cum interpretatione eiusdem *Camerarii* atque altera *Henrici Oelſchlegelii* huiusque notis philologicis ac theologicis in tironum vſus adornata, Dresdæ MDCXXVI. 8. IV.) *vita Moſis*, myſtice enarrata, quæ conuerſa eſt ſtudio *Georgii Trapezuntii* ac ſeparatim prodiit Viennæ ac Baſileæ MDXXI. 4. ac cum aliis quibusdam Nyſſeni opuſculis cumque notis *Dauidis Hœſchelii*, Lugduni Batauorum MDXCIII. 8. V.) de *pſalmorum inſcriptionibus* libelli duo, cum *Iacobi Gretſeri* interpretatione, Ingolſtadii MDC. MDCXVII. 4. IV.) orationes duæ de *pauperibus caritate complectendis*, quarum priorem *Iacobus Gretſerus* primus græce iuris publici fecit ac *Zini* interpretationem addidit, Ingolſtadii MDCXVII. 4. poſterior autem lucem vidit græce Auguſtæ Vindelicorum MDLXXXVII. 8. cura *Hœſchelii* ac cum *Zini* verſione, Venetiis MDLXXIV. 8. VII.) orationes duæ de *occurſu domini noſtri* et de *deitate filii ac ſpiritus ſancti*, græce ac latine, Coloniæ MDLXVIII. VIII.) *epiſtola contra Apollinarium*, latine, Ingolſtadii MDCIV. 4. IX.) *epiſtola canonica*, cum quibusdam aliis, inprimis pœnitentialibus notisque *Antonii Auguſtini*, Venetiis MDLXXXIV. 4. MDLXXXV. 8.

X.)

X.) *sermo magnus catecheticus*, quem vertit *Petrus Morellus*, Parisiis MDLXVIII. 8. XI.) liber de *virginitate*, quem latine reddidit *Petrus Galesinius*, Romae MDLXII. 4. Praeterea eumdem cum interpretatione sua atque adnotationibus ad vsum publicum transtulit *Ioannes Liueneius*, Antuerpiae MDLXXIV. 4. XII.) *dialogus de anima et resurrectione*, qui est Nysseni de immortalitate animae liber, latine, *Daniele Augentio* interprete, editus, Parisiis MDLVII. 8. XIII.) liber de *perfectione et qualem oporteat esse christianum*, graece primum Venetiis MDLXXIV. 8. deinde Lugduni Batauorum MDXCIII. 8. latine MDLXXXV. XIV.) separatim quoque editae sunt homiliae: in *natalem domini nostri iesu christi et* in *infantes Bethlehemiticos:* in *sanctum Stephanum protomartyrem:* in *diem luminum*, *quo christus baptizatus est*, atque aliae, quae vt sigillatim enumerentur, non necesse esse, arbitror. Omittere tamen non possum GREGORII *Nysseni epistolas septem*, quas I. B. CARACCIOLVS primus latine vertit ac commentariis illustrauit, Florentiae MDCCXXXI. fol. * vt ad illas adiungantur, quas *Alexander Zaccagnius*, ex codicibus manuscriptis excerptas, in lucem emisit:

GREGORII *Nazianzeni* scripta non pauca separatim in conspectum publicum venerunt, quorum nonnulla enarrasse sufficiat. Spectant huc: I.) *orationes lectissimae* XVI. graece, ex editione *Marci Musuri*, Venetiis MDXVI. 8. II.) *oratio in laudem magni Athanasii*, ab *Aldo* graece edita, MDXVI. III.) oratio panegyrica in *theophaniam*; *siue christi natiuitatem*, quam itidem *Aldus* graece in lucem protulit, MDXVI. IV.) *sermo in natalitia christi festa*, latine, *Petro Mosellano* interprete, Coloniae MDXVIII. 4. V.) *oratio de theologia*, latine, itidem ex *Petri Mosellani* interpretatione, Lipsiae MDXIX. 4. VI.) *orationes sex:* in *natalem saluatoris*, in *festum epiphaniorum*, in *sanctum lauacrum*, in *sanctam resurrectionem*, in *pentecosten*, in *encaenia*, latine, *Bilibaldo Pirckheimero* interprete, Noribergae MDXXI. 4. VII.) *oratio de moderatione in disputationibus*

ser-

* *memoires de Treuoux* MDCCXXXVIII. *april.* p. 693. *acta eruditorum* MDCCXXXIX. p. 337.

ſeruanda, latine, *Io. Oecolampadio* interprete, Auguſtæ Vindelicorum MDXXI. 4. VIII.) *cohortatio de pauperibus caritate complectendis*, quæ ſæpius latine prodiit, ex interpretatione *Io. Oecolampadii*, Lipſiæ MDXXI. 4. *Iulii Gabrielii*, Antuerpiæ MDLXXIII. 8. *Petri Franciſc. Zini*, Pariſiis MDL. et Venetiis MDLXXIV. 8. IX.) *apologeticus de fuga ſua*, quem latine reddidit, ſcholiis illuſtrauit ac ſeparatim iuris publici fecit antea memoratus *Iulius Gabrielius*, Antuerpiæ MDLXXIII. 8. X.) in *Iulianum inuectiuæ duæ, græce, cum ſcholiis græcis, nunc primum editis, et eiusdem auctoris nonnullis aliis: omnia ex bibliotheca Henrici Sauilii cum notis in inuectiuas duas et variis lectionibus in Gregorium Nazianzenum edita* a *Richardo Montagu*; ſiue *Montacutio*, Etonæ MDCX. 4. XI.) *ſelectarum epiſtolarum libri quatuor græco-latini, additis nonnullis ex anthologia Græcorum epigrammatis*, quorum quarta editio lucem vidit Ingolſtadii MDCXIX. 12. XII.) *oratio arcana de mundo*, græce cum interpretatione græca *Cyri Nicetæ*, opera A. R. id eſt *Adami Rechenbergii*, MDCXCII. 4. Quæ Nazianzenus reliquit, pœmata multa ſeparatim variis in locis prodierunt; qualia autem iſta ſint, non grauior cauſſa eſt, cur ea ſigillatim; aut ſtudioſe recenſere velim:

CHRYSOSTOMI monimenta præcipua, quæ ſeparatim lucem adſpexerunt, hæc exſtant: I.) de *ſacerdotio libri ſex, græci et latini, emendati et aucti, illuſtrati, ope librorum manuſcriptorum ex bibliothecis Palatina et Auguſtana, opera Dauidis Hœſchelii*, Auguſtæ Vindelicorum, MDXCIX. 8. præter quam editionem, duæ aliæ in lucem exierunt, mentione dignæ. Alteram adornauit *Ioann. Hughes*, græce ac latine ac præter præfationem, addidit non ſolum diſſertationes de dignitate ſacerdotali; ſed etiam Chryſoſtomi vitam, ex CAVEI *hiſtoria litteraria* deſumtam, Cantabrigiæ MDCCX. 8. et iterum MDCCXII. 8. cui poſteriori editioni *Thirlby Gregorii Nazianzeni apologeticum* pro fuga ſua ſubiunxit. * Altera cura *Ioann. Albert. Bengelii* prodiit, qui libros hos notis illuſtrauit ac græce latineque

* *actor. eruditor. ſupplement tom.* V. p. 301. CLERICI *bibliothequ. choiſ. tom.* XXI. p. 84. *neue halliſche bibliothec volum.* III. p. 252.

que vna cum prodromo noui testamenti græci recte cauteque adornandi, in lucem emisit, Stutgardiæ MDCCXXV. 8.* II.) de *prouidentia dei* libri tres, qui latine incerto interprete prodierunt Alosti in Flandria MCCCCLXXXVII. vna cum sermone de humanæ originis dignitate: III.) de *virginitate* liber, quem *Io. Liueneius* primus græce edidit: versionem quoque ac breues notas adiunxit, Antuerpiæ MDLXXV. 4. IV.) liber de *educandis liberis*, græce ac latine a *Francisco Combefisio* editus, Parisiis, MDCLVI. 8. V.) *epistola ad Cæsarium monachum*, sæpius varieque publicæ luci exposita, a *Iacobo Basnagio*, *Io. Harduino*, *Scipione Maffeio* atque aliis, de qua quum lites natæ sunt multaque de auctoritate ac fide eius disputata, inprimis cum episcopi romani adsectatoribus, infra de ista plura dicendi, habebo occasionem, quando a me de scriptis patrum dubiis ac controuersis exponendum est: VI.) *liturgiæ*, quæ Chrysostomo tribuitur, codices atque editiones mirum in modum inter se discrepant. Prodiit illa sæpenumero, nunc græce; nunc latine tantum; nunc græce ac latine simul. Optima habetur illa, quam IACOBVS GOARVS in *euchologio Græcorum* ** græce cum versione sua exhibuit atque in notis copiose recensuit, quæ in aliis codicibus siue impressis; siue manuscriptis aut adiecta; aut aliter exposita leguntur. Homilias; siue orationes Chrysostomi omitto, quæ itidem separatim magno numero lucem viderunt, siue solæ; siue cum quibusdam aliis coniunctæ.

---

* *deutsche acta eruditor. volum.* IX. p. 846.

** p. 58. sqq.



CAPVT

CAPVT III.
DE BIBLIOTHECIS AC CATENIS PATRVM.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Exponitur de bibliothecis patrum generatim §. I. II.
Diuiduntur illae in vniuersales et particulares §. III.
In antiquiores ac recentiores §. IV.
In maiores ac minores §. V.
In eas, quae vel vtroque sermone, graeco ac latino; vel latino tantum scripta patrum exhibent §. VI.
Quae sint in illis vitia §. VII.
Generatim postquam haec dicta sunt, speciatim ipsae bibliothecae patrum recensentur primum vniuersales §. VIII. IX.
Deinde particulares; siue speciales atque inter has dogmaticae ac polemicae §. X.
Asceticae §. XI.
Homileticae §. XII.
Historicae §. XIII.
Bibliothecae patrum apostolicorum §. XIV.
Poetarum christianorum §. XV.
Iuris canonici veteris §. XVI.
Post bibliothecas patrum eorumdem catenae commemorantur. §. XVII.

Quae veterum christianorum doctores reliquerunt, monimenta diuersa ratione publicae luci exposita sunt ac prodierunt auctoris cuiusdam ecclesiastici scripta vel omnia, quotquot reperiri ac haberi potuerunt, coniunctim; vel singularia ac nonnulla tantum separatim. De quo vtroque editionum genere quum adhuc satis copiose disserui, ad tertium accedo, ita constitutum, vt variorum patrum ac scriptorum ecclesiasticorum minorum monimenta in certis voluminibus iunctim se praebeant.

§. II.

Volumina haec adpellantur *bibliothecae patrum*, minus apte. Vocabulo enim *patrum* latior, quam par est, significandi vis tribuitur ac per *patres* indicantur quiuis scriptores ecclesiastici, illi quoque, qui aetate media floruerunt: qui ab initio sacrorum christianorum vsque ad eorum emendationem vixerunt. Quae amplior signi-

ſignificatio nec cum vſu vocis huius ſatis probato; nec cum ipſa re conſentit. Quamuis enim nomen *patrum* diuerſa ratione vſurpetur; illi tamen adcuratius loquuntur, qui per *patres eccleſiæ* doctores chriſtianos ſex priorum ſeculorum intelligunt. Sane iam ſeculo ſeptimo res ac doctrina chriſtiana deprauari cœpit atque inter eos, qui docendi munere fungebantur, pauci ita ſe geſſerunt, vt iure *patres eccleſiæ* dicerentur.

§. III.

Qui bibliothecis patrum edendis operam dederunt, illi non vnam eamdemque rationem adhibuerunt, iſtas componendi. Peperit hoc diuerſitatem illarum, ſique diſtinctam earum notitiam nobis comparare velimus, res poſtulat, vt certa genera harum bibliothecarum conſtituamus. Quodſi animum aduertimus ad argumenta librorum, qui collecti ſunt, diuidere iſtas licet in *vniuerſas* ac *particulares*, eo diſcrimine, vt quæ *vniuerſæ*; ſiue generales a me adpellantur, illæ ſcripta comprehendant, ad omnes ſanctioris doctrinæ diſciplinas ſpectantia, ad theologiam dogmaticam, polemicam, moralem, homileticam, hiſtoriam eccleſiaſticam atque alias; hæ autem; ſiue *particulares* monimenta tantum exhibeant ſingularium ac certarum rerum. Ita exſtant bibliothecæ, quarum ſcripta ſunt vel maxime polemica; vel aſcetica; vel hiſtorica; vel alius generis.

§. IV.

Ad tempora ſi reſpiciamus, quibus bibliothecæ hæ lucem adſpexerunt, illæ diuidendæ ſunt in *antiquiores* ac *recentiores*. Iſtæ; ſiue *antiquiores* primæ prodierunt vna cum aliis eiusdem ætatis, ſeculi nimirum ſexti ac decimi, ſpeciatim ab anno MDXXVIII. * hæ; ſiue *recentiores* autem illas ſequutæ ſunt, a ſeculo ſeptimo ac decimo vsque ad noſtram ætatem, qua itidem varia generis huius volumina in lucem exierunt.

* Qui primus bibliothecam patrum edidit, eſt IOANNES SICHARDVS. Inſcripta eſt bibliotheca hæc: *antidotum*

tum contra diuerſas omnium fere ſeculorum hæreſes, prodiitque Baſileæ MDXXVIII. Non longe poſt ſequutæ ſunt ſimiles bibliothecæ atque in lucem exierunt: *micropresbyticon; ſeu veterum quorumdam breuium theologorum; ſiue epiſcoporum; ſiue presbyterorum; aut ſacri ordinis aliorum, qui aut tempore apoſtolorum; aut non multo poſt vixerunt, elenchus*, Baſileæ MDL. ex officina Henrici Petri: IO. HEROLDI *orthodoxographa*, Baſileæ MDV. itidem per Henricum Petri: eiusdem HEROLDI *hæreſeologia, hoc eſt, opus veterum tam græcorum; quam latinorum theologorum, per quos omnes hæreſes confutantur, Baſileæ* MDLVI. etiam ex officina Henrici Petri: IO. IACOBI GRYNAEI *monimenta orthodoxographa*, Baſileæ MDLXIX. atque aliæ, quas poſtea cum reliquis iuſto ordine enarrabo.

§. V.

Quodſi diuerſas bibliothecas patrum inter ſe conferas, videbis, illas etiam magnitudine diſcrepare aliasque opera eſſe *maiora;* alia autem *minora.* Quæ *maiora* eſſe diximus, multis voluminibus abſoluuntur ac magnum pretium vna cum ſplendore præferunt; *minora* autem conſtant tomis paucis, aliquot interdum: immo vno tantum. Diuerſitas hæc, quæ ex variis cauſſis nata eſt, oſtendit, ab aliis maiorem; ab aliis minorem delectum in colligendis ſcriptis adhibitum eſſe.

§. VI.

Quod ad linguam adtinet, qua in bibliothecis his ſcripta exhibentur, in certas claſſes illa diuidi posſunt. Quædam in iſtis habentur vtroque ſermone, græco ac latino: quædam latino tantum horumque duo ſunt genera. Alia enim, eaque pleraque auctores eorum latine conſcripſerunt: alia in latinam linguam conuerſa ſunt. Attamen fatendum eſt, in bibliothecis his componendis non ſemper debitam adcurationem probatam fuiſſe. *

* Inſtitutum bibliothecarum patrum, vbi id ipſum, in ſe ſpectatum, conſideratur, omnino laudandum commendan-

dan-

dandumque esse, quis, rei peritus ac veri studiosus, neget. Ita multa monimenta, praesertim antiquitatis ecclesiasticae, ad maiorem ac longiorem vsum translata sunt: varii libri, antea haud editi, in lucem venerunt; aut vbi iam prodierant, a tenebris, in quibus adhuc iacuerant, erepti. Attamen bibliothecas has vitiis non carere atque emendationes fieri posse, itidem certum est atque euidens. Praeter alia, inter illa locum habent: I.) iustum modum in colligendis ac coniungendis scriptis interdum neglectum ac nimiam librorum molem congestam esse: II.) non semper debitum delectum habitum fuisse scriptaque in bibliothecas has translata, quae non adeo necessaria sunt; nec magnum momentum habent; meliora autem omissa: III.) inter monimenta germana ac vera locum obtinuisse ea, quae sint adulterina; nec auctoritatem prae se ferant: IV.) ex incuria euenisse, vt vnum scriptum duobus locis exhibitum fuerit. Quae quum ita sunt, prudentia requirit, vt bibliothecae patrum cum iudicio ad vsum adhibeantur.

§. VII.

Volumina, quae monimenta variorum patrum ac scriptorum ecclesiasticorum iunctim complectuntur, promiscue quidem *bibliothecae patrum* adpellari solent, siue multa illorum sint; siue pauca: magna; siue parua. Re ipsa tamen non omnia *bibliothecae patrum* inscripta sunt; sed aliis etiam iisque variis titulis ornata prodierunt, quemadmodum sunt: *monimenta patrum*, *thesaurus monimentorum ecclesiasticorum*, *spicilegium patrum*, *vetera analecta*, *miscellanea*, *collectanea monimentorum veterum*. De reliquis huiusmodi voluminibus taceo.

§. VIII.

Postquam de bibliothecis patrum generatim quaedam praefatus sum, ad ipsam illarum commemorationem adgredior, ita instituendam, vt non ipsa scripta, quae singulis voluminibus continentur, adcurate ac distincte recenseam, id quod iam ab aliis factum esse scimus; sed vt istas, iuste dispositas, ordine annorum, quibus lucem adspexerunt, enarrem ac titulos istarum studiose adducam.*

* Nonnulli data occasione quasdam bibliothecas patrum recensuerunt, nominatim IO. ANDREAS BOSIVS * et THOMAS CRENIVS. ** In iisdem enarrandis iisque, quibus ITTIGII *tractatus de bibliothecis patrum* augeri potest, versatus est IO. FRANCISC. BVDDEVS. *** Longior syllabus harum bibliothecarum exhibetur in *catalogo bibliothecae Bunauianae.* * Maximam industriam hac in re probauit THOMAS ITTIGIVS in libro, cuius titulus est: *de bibliothecis et catenis patrum variisque veterum scriptorum ecclesiasticorum collectionibus, basileensibus, tigurinis, parisiensibus, coloniensibus, lugdunensibus, leidensibus, ingolstadiensibus, antuerpiensibus, romanis, venetis, mediolanensi, moguntinis, boni-fontis, insulana, diuionensi, rothomagensi, tolosana, londinensibus, dubliniensi, oxoniensi, louaniensibus, traiectensi, geneuensibus, hamburgensibus, cygneis, lipsiensibus et aliis tractatus, variis obseruationibus et animaduersionibus refertus,* Lipsiae MDCCVII. 8. ** Nonnulla, quae addenda atque emendanda sunt in libro hoc, animaduertunt: IO. FRIDERICVS KERNIVS *** et IO. ERHARD. KAPPIVS. *

§. IX.

Initium igitur facio a bibliothecis, quae antea a me *vniuersae;* siue generales adpellatae sunt. In illis locum tenent:

Micropresbyticon, veterum quorumdam breuium theologorum, siue episcoporum; siue presbyterorum; aut sacri ordinis aliorum, qui aut tempore apostolorum; aut non multo post vixerunt, elenchus, Basileae apud Henricum Petri MDL. fol.

* *introductione in notitiam scriptorum ecclesiastic. cap.* VI. §. 9. p. 194.
** *animaduersionum historicar. et philologicar. part.* IV. p. 207.
*** *isagog. ad theologiam vniuers. libr.* II. *cap.* 3. §. 10. p. 593.
* *tom.* III. *volumin.* I. p. 44.
** *iournal des sauans* MDCCVIII. *decembr.* p. 455. *acta eruditorum* MDCCVII. p. 440.
*** *epistolica dissertatione de vita, obitu scriptisque Thomae Ittigii* p. 53. quae prodiit Lipsiae MDCCX. 4.
* *obseruatione in Ittigii de bibliothecis et catenis patrum tractatum de Ioannis a Bosco bibliotheca floriacensi,* quae exstat in *den neuen beyträgen von alten vnd neuen theologischen sachen,* 1752. p. 653.

fol. cuius iam antea mentionem feci. Alii libri exhibentur in micropresbytico hoc græce ac latine: alii latini tantum, qui vel lingua hac compositi; vel in eam conuersi sunt:

IO. HEROLDI *orthodoxographa theologiæ sacro sanctæ ac sincerioris fidei doctorum numero* LXXVI. Basileæ per Henricum Petri MDLV. fol. *

Theologorum aliquot græcorum veterum orthodoxorum libri græci et iidem latinitate donati, quorum plerique partim latine; partim græce antehac non sunt editi, scilicet: decreta apostolorum et XIII. *veterum conciliorum: Ignatii epistolæ* XII. *Athenagoræ apologia et liber de mortuorum resurrectione: Aeneæ Gazæi Theophrastus: Cydonii oratio de contemnenda morte: Hermiæ irrisio gentilium: expositio capitum admonitoriorum, græce et latine, variis interpretibus.* Tiguri per Andr. Gesnerum fil. MDLIX. MDLX. fol.

IO. IACOBI GRYNAEI *monimenta sanctorum patrum orthodoxographa, hoc est, theologiæ sacrosanctæ ac sincerioris fidei doctores, numero circiter* LXXXV. *ecclesiæ columina luminaque clarissima, auctores partim græci; partim latini, ob vetustatem et eruditionem venerandi, quorum quidam hactenus non editi latuerunt,* Basileæ ex officina Henrici Petri MDLXIX. fol. Primus locus adsignatus est scriptis græcolatinis: secundus iis, quæ vel latine composita sunt; vel ex interpretationibus latinis exhibentur. Hæc in septem tomos; siue classes diuisa sunt harumque prima complectitur epistolas: secunda historias sacras: tertia gnomologias: quarta commentarios in scripturam: quinta dogmata: sexta sermones sacros quorumdam auctorum ac septima denique apologetica nonnulla scripta. *Monimenta* hæc non eadem sunt cum HEROLDI *orthodoxographis*, paullo ante adductis; sed diuersa ab illis. **

THEODORI BEZAE ATHANASII *dialogi quinque de sancta trinitate*: BASILII *libri quatuor aduersus impium Eunomium:*

---

* VOGTIVS *catalog. libror. rarior.* p. 507.

** minus recte tradit BOSIVS *introduction. in notitiam scriptor. ecclesiasticor.* p. 195 GRYNAEI *monimenta* esse HEROLDI *orthodoxographa*, denuo edita.

nomium: ANASTASII et CYRILLI *compendiaria orthodoxæ fidei explicatio, ex interpretatione Theodori Bezæ:* PHOEBADII; *siue Fœbadii liber contra Arianos. Quæ Athanasii, Anastasii et Cyrilli sunt et quæ Fœbadii, nunc eduntur. Anno* MDLXX. *Excudebat Henricus Stephanus*, 8. Titulus hic est voluminis, quod Beza in lucem emisit. Qui primum locum occupant, dialogos non ab Athanasio; sed ab alio scriptos esse, eruditi viri animaduertunt; de vero tamen auctore dissentiunt:

MARGARINI DE LA BIGNE *bibliotheca sanctorum patrum supra ducentos, qua continentur illorum de rebus diuinis opera omnia et fragmenta, quæ partim numquam hactenus; partim ita, vt raro iam exstarent, excusa; vel ab hæreticis corrupta, nunc primum sacræ facultatis theologicæ Parisiensis censura satis graui, sine vllo nouitatis; aut erroris fuco in perfectissimum corpus coaluerunt. Distincta in tomos octo: illustrata virorum doctissimorum scholiis, obseruationibus, adcurate adnotatis ad marginem scripturæ lectionibus, vitis auctorum cum eorum catalogo alphabetario ac chronologia, biblicarum quoque auctoritatum et materiarum locupletissimis indicibus*, Parisiis apud Michaelem Sonnium MDLXXV. fol. Constat opus hoc octo tomis primusque continet: epistolas præcipue: secundus historias sacras: tertius parænetica et moralia: quartus ea, quæ ad veterum liturgiam spectant: quintus scripta contra hæreses: sextus commentarios in scripturam sacram: septimus homilias et octauus sacra pœmata variaque opuscula. Accessit non solum bibliothecæ huius *adpendix*, Parisiis MDLXXIX. fol. sed sequutæ quoque sunt ipsius bibliothecæ nouæ editiones. Post primam prodiit secunda, quæ nouem tomis absoluitur, Parisiis MDLXXXIX. fol. tertia, Parisiis MDCIX. cum *auctario* eius MDCX. quarta itidem cum auctario græco ac latino, in duos tomos diuiso, cum variorum notis, Parisiis MDCXXIV. fol. Denique bibliothecæ huius *supplementum*, duobus tomis, lucem adspexit, Parisiis MDCXXXIX. fol.

HENRICI CANISII *antiquæ lectiones*, quæ primam lucem adspexerunt Ingolstadii ab anno MDCI. ad annum MDCVIII. sex voluminibus 4. deinde cura IACOBI BASNAGII iterum prodierunt, ita inscriptæ: *thesaurus monimen-*

mentorum ecclesiasticorum et historicorum; siue lectiones antiquae, ad seculorum ordinem digesta, ceter. Amstelodami MDCCXXV. fol. quatuor voluminibus. Laudabilem operam ad thesaurum hunc Basnagius adhibuit. Scripta, quae collecta sunt, meliori atque adcuratiori ordine disposuit: praeclarae accessiones vt fierent, curauit ac singulis auctoribus obseruationes criticas adiunxit: *

GREGORII, *episcopi Neocaesareensis, cognomento thaumaturgi, opera omnia, quotquot in insignioribus, praecipue romanis bibliothecis reperiri potuerunt, vna cum eiusdem auctoris vita, graece et latine, interprete et scholiaste Gerardo Vossio*, Moguntiae MDCIV. 4. Librum hunc ad locum hunc refero, quoniam, vt et titulo indicatur, *adiecta sunt miscellanea sanctorum aliquot patrum, graecorum et latinorum:*

THOMAE GALLETI *religiosus, cui adnectuntur sanctorum aliquot varia opuscula, nondum edita, eiusdem auctoris studio et opera collecta*, Lugduni MDCXV. 8. **

PETRI STEVARTII *tomus singularis insignium auctorum, tam graecorum; quam latinorum, ex variis bibliothecis accersitus et in lucem prodire iussus*, Ingolstadii MDCXVI. 4.

Magna bibliotheca veterum patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum, primo quidem a Margarino de la Bigne, sorbonico in academia Parisiensi theologo, collecta et tertio in lucem edita; nunc vero plus; quam centum auctoribus et opusculis plurimis locupletata, historica methodo per secula singula, quibus scriptores quique vixerunt, disposita et in XIV. *tomos distributa, opera et studio doctissimorum in alma vniuersitate Coloniensi Agrippina theologorum ac professorum*, Coloniae Agrippinae MDCXVIII. fol. Ad bibliothecam hanc additus est *tomus quintus* ac *decimus*; siue auctarium et supplementum, Coloniae MDCXXII. fol. in quo componendo inprimis *Andreas Schottus* operam posuit:

San-

---

* CLERICI *bibliothequ. ancienne et moderne tom.* XV. p. 330. *tom.* XXIII. p. 237. *tom.* XXIV. p. I. 237. *acta eruditorum* MDCCXXV. p. 529. MDCCXXVI. p. I. 82. 145. COLERI *auserlesene theolog. bibliothec volumin.* II. p. 219. 305. 399. 483. *deutsche acta erudit. volumin.* IX. p. 609. 818. *samlung von alten vnd neuen theologischen sachen*, 1725. p. 795. *neue hällische bibliothec volum.* VI. p. 233.

** KERNII *epistolic. dissertat. de vita, obitu scriptisque Ittigii* p. 53.

Sanctorum patrum, Gregorii, Neocaesareensis episcopi, cognomento thaumaturgi, Macarii Aegyptii et Basilii, Seleuciae Isauriae episcopi opera omnia, quae reperiri potuerunt. Nunc primum graece et latine coniunctim edita. Accessit Ioannis Zonarae expositio canonicarum epistolarum, Parisiis MDCXXII. fol.

Sanctorum patrum Leonis magni, romani potificis, Maximi Taurinensis, Petri Chrysologi, Fulgentii Ruspensis et Valeriani Cemeliensis opera omnia, quae reperiri potuerunt, Parisiis MDCXXIII. fol.

Iacobi Merlonis Horstii septem tubae ad reformationem ecclesiasticae disciplinae, Coloniae Agrippinae MDCXXXV. Per *septem tubas* intelligenda sunt septem patrum opera:

Sancti patris nostri Iustini philosophi et martyris opera, item Athenagorae Atheniensis, Theophili Antiocheni, Tatiani Assyrii et Hermiae philosophi tractatus aliquot, quae omnia graece et latine emendatiora prodeunt, Parisiis MDCXXXVI. ac Coloniae; siue Vitembergae MDCLXXXVI. fol.

HENRICI SOMMALII *diui Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi, meditationes, soliloquia et manuale: Anselmi, archiepiscopi Cantuariensis, meditationes, cum tractatu de humani generis redemtione: Bernardi meditationes; siue liber de anima: Idiotae, viri docti, contemplationes de amore diuino, ad manuscripta exemplaria emendata,* Coloniae Agrippinae MDCXXXVII.

Noua bibliotheca veterum patrum et scriptorum ecclesiasticorum; siue supplementum bibliothecae patrum, continens opuscula plurima ecclesiae patrum, in prioribus tomis desiderata, ex vetustissimis illustrium bibliothecarum CC. *manuscriptis eruta et in duos tomos distributa,* Parisiis MDCXXXIX. fol. duobus voluminibus. Quod supplementum Morellius eo consilio in lucem emittendum curauit, vt bibliotheca Parisiensis dignitatem atque existimationem prae Coloniensi, antea a me enarrata, obtineret, quum haec maiore scriptorum copia instructa esset ac bibliothecarum patrum, quae iam editae fuerant, famam imminuere videretur:

Magna bibliotheca veterum patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum: primo quidem a Margarino de la Bigne, ex alma Sorbonae schola celeberrimo theologo doctore Parisiensi,

composita: postea studio doctissimornm Coloniensium theologorum ac professorum aucta; nunc vero additione ducentorum circiter auctorum, tam graecorum, qui in editione Coloniensi; quam latinorum, qui in Parisiensibus desiderabantur, locupletata, adcuratissime emendata et in XVII. *tomos distributa; nec non perfectiori ordine disposita. Materiarum enim, de quibus scripserunt auctores, seriem complectitur et historicam methodum per singula secula, quibus vixerunt, in indice chronologico copiosissimo continet*, Parisiis MDCLIV. Memoratur et bibliotheca Parisiensis itidem septem ac decem tomorum, anno MDCXLIV. publicae luci exposita:

Sanctorum patrum Amphilochii Iconiensis, Methodii Patarensis et Andreae Cretensis opera omnia, quae reperiri potuerunt, nunc primum, magnam partem tenebris eruta, latine reddita ac recognita notisque illustrata, opera et studio FRANCISCI COMBEFISII, Parisiis MDCXLIV. fol.

FRANCISCII COMBEFISII *graeco-latinae patrum bibliothecae nouum auctarium*, in duos tomos diuisum, quorum alter exegeticus; alter historicus et dogmaticus est, Parisiis MDCXLVIII. fol. Eiusdem studio prodiit: *bibliothecae graecorum patrum auctarium nouissimum, in quo varia scriptorum ecclesiasticorum antiquioris, medii et vergentis aeui opuscula exhibentur*, a Combefisio latine reddita ac notis illustrata, itidem duabus partibus, Parisiis MDCLXXII. fol.

LVCAE DACHERII *veterum aliquot scriptorum, qui in Galliae bibliothecis, maxime Benedictinorum, latuerant, spicilegium*, tribus ac decem tomis, Parisiis forma ordinis quarti editis. Lucem vidit tomus primus MDCLV. secundus MDCLVII. tertius MDCLIX. quartus MDCLXI. quintus MDCLXI. sextus MDCLXIV. septimus MDCLXVI. octauus MDCLXVIII. nonus MDCLXIX. decimus MDCLXXI. vndecimus MDCLXXII. duodecimus MDCLXXV. tertius ac decimus MDCLXXVII. Spicilegium hoc multum se commendauit magnamque adquisiuit sibi existimationem, quumque illud rarum factum esset, noua editio adornata hacque inscriptione in lucem prolata est: *spicilegium; siue collectio veterum aliquot scriptorum, qui in Galliae bibliothecis delituerant: noua editio: priori adcuratior et infinitis prope mendis ad fidem manuscriptorum codicum, quorum varias lectiones Stephanus Baluzius ac*

Edmun-

Edmundus Martene collegerunt, expurgata per LVDOVICVM FRANCISCVM IOSEPHVM DE LA BARRE, Parisiis MDCCXXIII. fol. tribus tomis. * Sunt varia, propter quæ editionem hanc priori præferendam esse, dubitatione caret. Emendatior illa est atque adcuratior, cuncta quoque ad meliorem ordinem disposita sunt. Nec tamen negandum est, esse nonnulla, ob quæ editioni priori pretium præ posteriore tribuitur: **

Cypriani opera, Minucii Felicis Octauius, Arnobii Afri libri aduersus gentes, Iulii Firmici Materni tractatus de errore profanarum religionum, qui omnes libri cura PHILIPPI PRIORII coniunctim prodierunt, Parisiis MDCLXVI. fol.

Sanctorum patrum, Leonis magni, romani pontificiis, Maximi Taurinensis, Petri Chrysologi Rauennatis, Fulgentii Ruspensis, Valeriani Cemeliensis, Amedei Lausanensis et Asterii Amaseni. Heptas præsulum, christiana sapientia et facundia clarissimorum. Theophilus Rainaudus priorem editionem, variis ad sanctos Leonem et Fulgentium accessionibus instructam, octoginta Fulgentii sermonibus ex manuscripto cumulauit: censuram inofficiosæ censuræ libri de prædestinatione et gratia, sancto Fulgentio vindicati adposuit: Valerianum Cemeliensem adcurata defensione texit aduersus Parcum, caritatis criminatorem: Amedei homilias florentissimas de deipara addidit. Fulgentii liber tertius de veritate prædestinationis et gratiæ antea mutilus, nunc primum prodit, suis omnibus capitibus absolutus, perinde ac Asterii homiliæ. Quibus adiuncti sunt eiusdem auctoris sermones omnino viginti longe elegantissimi. Accesserunt huic postremæ editioni Prosperi, Aquitannici opera, Parisiis MDCLXXI. fol. ***

IO. MABILLONII *vetera analecta; siue collectio veterum aliquot operum et opusculorum omnis generis, carminum,* *epi-*

* *iournal des sauans* MDCCXXIV. *august.* p. 99. *samlung von alten vnd neuen theol. sachen*, 1724. p. 658.

** legantur de *spicilegio* hoc: PEZII *bibliotheca Benedictin. Mauriana* p. 43. CLEMENT *bibliothequ. curieuse, bistorique et critiqu. tom.* I. p. 31. NICERONII *memoires tom.* XXI. p. 336. VOGTII *catalogus libror. rarior.* p. 3. MYLII *memorabilia bibliothecæ Ienensis* p. 425.

*** IO. FABRICII *bistor. bibliothec. part.* I. p. 229.

epistolarum, diplomatum, epitaphiorum, ceter. quatuor tomis, Parisiis forma octaui ordinis edita, ita vt primus MDCLXXV. secundus MDCLXXVI. tertius MDCLXXXII. ac quartus, qui *iter germanicum* complectitur, MDCLXXXV. lucem adspiceret. * Quae *analecta* iterum in conspectum publicum venerunt, ea ratione adornata, vt editio haec praestantia suapriorem merito antecedat. Accesserunt, vt ex inscriptione intelligendum est, *Mabillonii vita et aliquot opuscula, scilicet dissertatio de pane eucharistico, azymo et fermentato: opusculum* ELDEFONSI, *Hispaniensis episcopi, de eodem argumento et* EVSEBII *Romani ad Theophilum Gallum epistola de cultu sanctorum ignotorum*, Parisiis MDCCXXIII. fol. **

Maxima bibliotheca veterum patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum, primo quidem a Margarino de la Bigne in lucem edita: deinde celeberrimorum in vniuersitate Coloniensi doctorum studio plurimis auctoribus et opusculis aucta ac historica methodo per singula secula, quibus scriptores quique vixerunt, disposita, hac tandem editione Lugdunensi ad eamdem Coloniensem exacta, nouis supra centum auctoribus et opusculis, hactenus desideratis, locupletata et in tomos XXVII. *distributa*, Lugduni MDCLXXVII. fol. Ad bibliothecam hanc duo opera, quae prodierunt, pertinent hancque ob caussam merito adiunguntur. Alterum est: PHILIPPI A SANCTO IACOBO *sanctorum patrum bibliotheca maxima Lugdunensis*, XXVII. *voluminibus comprehensa, in epitomen redacta, August. Vindelicor.* MDCCXIX. fol. duobus tomis; *** alterum autem: NICOLAI LE NOVRRY *adparatus ad bibliothecam maximam veterum patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum, Lugduni editam, in quo quidquid ad eorum scripta et doctrinam variosque scribendi et docendi modos pertinet, dissertationibus criticis examinatur et illustratur.* Pri-

* *acta erudit or.* MDCLXXXIV. p. 65. MDCLXXXVI. p. 17.

** *iournal des sauans* MDCCXXIV. *septembr.* p. 277. *samlung von alten vnd neuen theolog. sachen*, 1724. p. 657. adde: NICERONII *memoires tom.* VII. p. 349. PEZII *bibliothec. Benedictino-Maurianam* p. 210.

*** *samlung von alten vnd neuen theolog. sachen*, 1720. p. 695.

Primum duo tomi operis huius ſeparatim prodierunt: alter Pariſiis MDCXCIV. 8.* alter eodem locó MDCXCVII. 8.** Deinde non ſolum vterque coniunctim denuo litteris deſcriptus magnaque acceſſio facta eſt, Pariſiis MDCCIII. fol. *** ſed ad hunc quoque tomum maioris formæ nouus isque ſecundus acceſſit, itidem Pariſiis MDCCXV. fol. * Priori tomo editionis huius de ſcriptoribus primi ac ſecundi ſeculi: poſteriori autem de iis, qui tertio ac quarto ſeculo veritatem religionis chriſtianæ contra gentes profanas defenderunt, copioſiſſime diſſeruit Nourrius. Qualem commentandi rationem ſequutus iſte ſit, alio loco ** narraui.

IO. BAPTISTAE COTELERII *eccleſiæ græcæ monimenta, e manuſcriptis codicibus producta in lucem*, quorum primus tomus prodiit Pariſiis MDCLXXVII. ſecundus ibidem MDCLXXXI. tertius etiam Pariſiis MDCLXXXVI. 4. ***

STEPHANI BALVZII *miſcellaneorum libri* VII. *hoc eſt, collectio veterum monimentorum, quæ hactenus latuerant in variis codicibus ac bibliothecis.* Lucem viderunt libri hi ſeptem Pariſiis, primus MDCLXXVIII. ſecundus MDCLXXIX. tertius MDCLXXX. quartus MDCLXXXIII. quintus MDCC. ſextus MDCCXIII. ſeptimus MDCCXV. 8. *

STEPHANI LE MOYNE *varia ſacra; ſeu ſylloge variorum opuſculorum græcorum, ad rem eccleſiaſticam ſpectantium, græce et latine, notis et obſeruationibus illuſtrata,* Lugdu-

---

* *actor. eruditor. ſupplement. tom.* II. p. 527.

** *acta eruditorum* MDCXCVIII. p. 550.

*** *memoires de Treuoux* MDCCIV. *octobr.* p. 286. *decembr.* p. 401. *iournal des ſauans* MDCCIII. *april.* p. 426. *acta eruditor.* MDCCIV. p. 1.

* *memoires de Treuoux* MDCCXVI. *mai.* p. 803. *iournal des ſauans* MDCCXVI. *iul.* p. 29.

** *bibliothec. theologic. tom.* III. p. 477.

*** *acta eruditorum* MDCLXXXII. p. 135. MDCLXXXVII. p. 381.

* *acta eruditorum* MDCLXXXIV. p. 173. MDCCI. p. 191. MDCCXVI. p. 145. *memoires de Treuoux* MDCCXIV. *iul.* p. 1239. MDCCXV. *octobr.* 1757. *iournal des ſauans* MDCCXIV. *februar.* p. 218. *nachricht von einer hälliſchen bibliothec volum.* VI. p. 301.

Lugduni Batauorum MDCLXXXV. et iterum MDCXCIV. 4. duobus tomis: *

Sancti Athanasii, archiepiscopi Alexandrini, syntagma doctrinae ad clericos et laicos: Valentiniani et Marciani imperatorum epistolae duae ad Leonem magnum: Theodori Abucarae tractatus de vnione et incarnatione. Singula, praeter Marciani priorem epistolam, latine exstantem, vtraque lingua primum prodeunt, cum notis, edente ANDREA ARNOLDO, Lutetiae MDCLXXXV. 8. **

IACOBI HOMMEY *supplementum patrum. Complectitur multa sanctorum patrum, conciliorum scriptorumque ecclesiasticorum opera, primum e manuscriptis codicibus eruta, notis et dissertationibus illustrata*, Parisiis MDCLXXXVI. 8. ***

IO. MABILLONII et MICHAEL GERMAIN *museum Italicum; seu collectio veterum scriptorum ex bibliothecis Italicis*, duobus tomis. Prior lucem vidit Parisiis MDCLXXXVII. 4. in duas partes distinctus, quarum prima complectitur MABILLONII et GERMAIN *iter italicum litterarium:* secunda varia patrum opuscula et vetera monimenta, cum sacramentario et poenitentiali Gallicano. In tomo posteriori, qui in conspectum publicum venit Parisiis MDCLXXXIX. 4. habentur antiqui libri rituales sanctae romanae ecclesiae, cum commentario praeuio in ordinem romanum. Vterque tomus denuo in lucem prodiit Parisiis MDCCXXIV. 4.

IACOBI LOPINI, BERNARDI MONTFAVCONII, ANTONII PVGETI, Benedictinorum monachorum, *analecta graeca; siue varia opuscula graeca, hactenus non edita, ex manuscriptis codicibus eruta, latine versa et notis illustrata*, Parisiis MDCLXXXVIII. 4. *

Vete-

* BAELII *nouuelles de la republiqu. des lettres* MDCLXXXV. *februar.* p. 218. *mart.* p. 317. *iun.* p. 604. *acta eruditor.* MDCLXXXVI. p. 70. 145. VOGTII *catalog. libror. rarior.* p. 478.

** *acta eruditor.* MDCLXXXV. p. 509. BAELII *nouuelles de la republiqu. des lettres* MDCLXXXV. *iun.* p. 681. *iul.* p. 744. MDCLXXXVI. *mart.* p. 255.

*** *acta eruditor.* MDCLXXXV. p. 464.

* PEZII *bibliothec. Benedictin. Maurian.* p. 72. 224. 370. *act. erudit. supplement. tom.* I. p. 256.

Veterum aliquot Galliæ et Belgii ſcriptorum opuſcula ſacra, numquam edita; iam vero e manuſcriptis codicibus bibliothecarum Galliæ in lucem prodeuntia, cum effigiebus vitæque eorum compendio, Lugduni Batauorum MDCXCII. 8. Opuſcula hæc CASIMIRVS OVDINVS iuris publici feciſſe, dicitur:*

IACOBI SIRMONDI *opera varia, nunc primum collecta, ex ipſius ſchedis emendatiora, notis poſthumis, epiſtolis et opuſculis aliquibus auctiora. Accedunt Theodori Studitæ epiſtolæ aliaque ſcripta dogmatica, numquam antea græce vulgata, pleraque Sirmondo interprete*, Pariſiis MDCXCVI. fol. ac Venetiis MDCCXXVIII. fol. quinque voluminibus. Adſignatur SIRMONDI *operibus* locus hic, quoniam in illis varia monimenta patrum ac ſcriptorum eccleſiaſticorum coniunctim ſunt, quæ Sirmondus ſeparatim ediderat atque illuſtrauerat, vti EVSEBII *Cæſareenſis opuſcula:* MARCELLINI et FAVSTINI *libellus precum ad imperatores Valentinianum, Theodoſium et Arcadium:* RVFINI liber de *fide:* AVGVSTINI *ſermones noui:* AVITI *opera:* IDACII *chronicon:* FACVNDI *Hermianenſis opera:* AVGVSTINI *ſententiæ de prædeſtinatione et dei gratia et libero hominis arbitrio:* SERVATI LVPI liber de *tribus quæſtionibus* atque alia opuſcula. De reliquis monimentis generis huius, quæ itidem in voluminibus his iisque tribus prioribus habentur, taceo:

IACOBI TOLLII *inſignia itinerarii Italici, quibus continentur antiquitates ſacræ, græce et latine, ex interpretatione et cum notis Tollii*, Traiecti ad Rhenum MDCXCVI. 4.**

LVDOVICI ANTONII MVRATORII *anecdota, ex Ambroſianæ bibliothecæ codicibus, nunc primum eruta: notis ac diſquiſitionibus aucta*, quatuor tomis, Mediolani 4. editis, eo ordine, vt primus MDCXCVII. ſecundus MDCXCVIII. tertius ac quartus MDCCXIII. lucem adſpicerent. *** Exſtant

* NICERONII *memoires tom.* I. p. 288. *acta eruditor.* MDCXCII. p. 535.

** *acta eruditor.* MDCXCVI. p. 297. IO. FABRICII *hiſtor. bibliothec. part.* III. p. 359.

*** *memoires de Treuoux* MDCCXIX. *februar.* p. 251. 280. SIKII *biblioth. libr. nouor. tom.* V. p. 615. *acta eruditor.* MDCXCIX. p. 304.

ſtant quoque eiusdem MVRATORII *anecdota græca, ex manuſcriptis codicibus nunc primum eruta, latio donata, notis et diſquiſitionibus aucta*, Patauii MDCCIX. 4. *

Spicilegium patrum, vt et hæreticorum ſeculi poſt chriſtum natum I. II. et III. *quorum vel integra monimenta; vel fragmenta partim ex aliorum patrum libris iam impreſſis collegit et cum codicibus manuſcriptis contulit; partim ex manuſcriptis nunc primum edidit ac ſingula tam praefatione; quam notis ſubiunctis illuſtrauit* IO. ERNESTVS GRABIVS, duobus tomis, quorum primus; ſiue ſeculum primum prodiit Oxoniæ MDCXCVIII. 8. ſecundus autem; ſiue ſeculi ſecundi tomus primus ibidem MDXCIX. 8. Vterque tomus iterum litteris deſcriptus eſt, ac denuo lucem vidit Oxoniæ MDCC. 8. **

Collectanea monimentorum veterum eccleſiæ græcæ ac latinæ, quæ hactenus in Vaticana bibliotheca delituerunt. LAVRENTIVS ALEXANDER ZACAGNIVS *e ſcriptis codicibus nunc primum edidit, græca latina fecit, notis illuſtrauit, Romae* MDCXCVIII. 4. ***

EDMVNDI MARTENE *veterum ſcriptorum et monimentorum moralium, hiſtoricorum, dogmaticorum, ad res eccleſiaſticas, monaſticas et politicas illuſtrandas, collectio noua*, cuius tomus primus prodiit Rothomagi MDCC. 4. *

BERNARDI DE MONTFAVCON *collectio noua patrum et ſcriptorum græcorum, Euſebii Cæſareenſis, Athanaſii et Coſmæ Aegyptii, nunc primum ex manuſcriptis codicibus graecis italicis gallicanisque eruta, latine verſa, notis et prae-*

* *acta eruditor.* MDCCX. p. 494. *memoires de Treuoux* MDCCXII. *iun.* p. 1065. *iournal des ſauans* MDCCXI. *iun.* p. 669. *bücherſaal der gelehrten welt, volum.* I. p. 653. *ausführlicher bericht von neuen büchern* p. 1021.

** NICERONII *memoires tom.* XXXV. p. 298.

*** BERNARDI *nouuelles de la republiqu. des lettres* MDCC. *febr.* p. 123. *acta eruditor.* MDCXCVIII. p. 393. BAVMGARTENII *nachrichten von merkwürdigen büchern volum.* II. p. 443.

* *memoires de Treuoux* MDCCI. *ianuar.* p. 18. *acta eruditor.* MDCCI. p. 153. *monatbliche auszüge von neuen büchern*, 1701. *octobr.* p. 23.

præfationibus illuſtrata, Pariſiis MDCCVI. fol. duobus tomis: *

EDMVNDI MARTENE et VRSINI DVRAND *theſaurus nouus anecdotorum, complectens regum ac principum aliorumque virorum illuſtrium epiſtolas et diplomata bene multa*, Pariſiis MDCCXVII. fol. quinque tomis. ** Eorumdem MARTENE ac DVRAND ſtudio prodiit: *veterum ſcriptorum et monimentorum hiſtoricorum, dogmaticorum, moralium ampliſſima collectio*, Pariſiis ab anno MDCCXXIV. ad annum MDCCXXXIII. fol. nouem voluminibus: ***

PAVLLI GALEARDI *ſancti Gaudentii, Brixiæ epiſcopi, ſermones, qui exſtant. Acceſſerunt* RAMPERTI et ADELMANNI *opuſcula, recenſita et notis illuſtrata*, Patauii MDCCXX. 4. * atque iterum cum PHILASTRII *operibus* atque aliis acceſſionibus, ſub titulo: *veterum Brixiae epiſcoporum, ſancti Philaſtrii et ſancti Gaudentii opera; nec non beati Ramperti et venerandi Adelmanni opuſcula, nunc primum in vnum collecta, ad veteres manuſcriptos codices collata, notis aliisque additionibus illuſtrata, iuſſu Angeli Mariæ Quirini, ſtudio et labore* PAVLLI GALEARDI, Brixiæ MDCCXXXVIII. fol.

IO. CHRISTOPHORI WOLFII *anecdota græca, ſacra et profana, ex codicibus manu exaratis nunc primum in lucem edita, verſione latina donata et notis illuſtrata*, quatuor tomis, quorum duo priores Hamburgi MDCCXXII. 8. ter-

* *acta eruditor.* MDCCVII. p. 434. *iournal des ſauans* MDCCVII. *ianuar.* p. 30. CLERICI *bibliothequ. anciennn. et modern. tom.* IV. p. 1. *vnſchuldige nachrichten* 1707. p. 564.

** *memoires de Treuoux* MDCCXVIII. *iun.* p. 1048. MDCCXXI. *octobr.* p. 1815. MDCCXXII. *ianuar.* p. 143. *april.* p. 673. *iournal des ſauans febr.* p. 126. *mart.* p. 243. *april.* p. 363. CLERICI *bibliothequ. anciennn. et modern. tom.* XV. p. 237. ſqq. *hälliſche neue bibliothec, volum.* VI. p. 154.

*** *acta eruditor.* MDCCXXV. p. 145. *iournal des ſauans* MDCCXXIV. *nouembr.* p. 459. MDCCXXV. *ianuar.* p. 99. 243. MDCCXXIX. *decembr.* p. 520. MDCCXXX. *febr.* p. 147. *mart.* p. 291. MDCCXXXIV. *mai.* p. 54. *iun.* p. 230. *auguſt.* p. 464. *ſeptembr.* p. 80. *neue hälliſche bibliothec volum.* VI. p. 110.

* *acta eruditorum* MDCCXXII. p. 482.

tertius ibidem MDCCXXIII. 8. ac quartus etiam eodem loco MDCCXXIV. 8. lucem viderunt: *

RAIMVNDI DVELLII *miſcellanea, ex codicibus manuſcriptis collecta*, quorum tomus primus MDCCXXIII. ſecundus MDCCXXIV. vterque Auguſtæ Vindelicorum 4. prodiit. Referuntur iſta a nonnullis ad bibliothecas patrum; quæ autem exhibentur, monimenta ad ætatem mediam pertinent ac hiſtoriæ eccleſiaſticæ illius lucem quamdam adferunt: **

BERNARDI PEZII *theſaurus anecdotorum nouiſſimus; ſeu veterum monimentorum, praecipue eccleſiaſticorum, ex germanicis potiſſimum bibliothecis adornata collectio recentiſſima. Omnia nunc primum cum praefationibus, obſeruationibus præuiis publici iuris facta, operam et ſtudium conferentibus aliis pluribus eruditis viris*, Auguſtæ Vindelicorum et Græcii ab anno MDCCXXI. ad annum MDCCXXIX. fol. ſex voluminibus. *** Quæ ibi coniunctim habentur, maxime monimenta mediæ ætatis ſunt:

CAROLI LVDOVIC. HVGONIS *ſacrae antiquitatis monimenta hiſtorica, dogmatica, diplomatica, notis illuſtrata*, Stiuagii MDCCXXV. fol. Idem liber prodiit nouo eoque titulo inſtructus: *acceſſiones nouæ ad hiſtoriam eccleſiaſticam et ciuilem; ſeu collectio noua ſcriptorum eccleſiaſticam et ciuilem, vt et concilii Tridentini hiſtoriam illuſtrantium*, Francofurti ad Mœnum MDCCXLIV. fol. *

IO. CHRYSOSTOMI TROMBELLII *Cypriani, Hilarii aliorumque veterum patrum latinorum opuſcula, a canonicis regu-*

* *bibliothequ. germaniqu. tom.* V. p. 137. VIII. p. 496. XII. p. 55. *acta eruditor.* MDCCXXII. p. 554. MDCCXXV. p. 218. *deutſche acta eruditor. volumin.* VII. 497. 802. VIII. p. 496. XI. p. 375. *ſamlung von alten vnd neuen theolog. ſachen*, 1723. p. 552. 1724. p. 1053. COLERI *auserleſene theolog. bibliothec volumin.* I. p. 950.

** *bibliothequ. germaniqu. tom.* XIII. p. 127. BAVMGARTENII *nachrichten von merckwürdigen büchern volumin.* XI. p. 429. COLERI *auserleſene theolog. bibliothec volumin* I. p. 226.

*** *deutſche acta eruditorum volumin.* VII. p. 46. *ſamlung von alten vnd neuen theolog. ſachen*, 1722. p. 904.

* *deutſche acta eruditor. volum.* IX. p. 837. *acta eruditorum* MDCCXXVI. p. 97.

regularibus sancti saluatoris nunc primum edita studio Io. Chrysostomi Trombellii, Bononiæ MDCCLI.

Anecdotorum fasciculus; siue sancti Paullini Nolani, anonymi scriptoris, Alani magni et Theophylacti opuscula aliquot. D. IO. ALOYSIVS MINGARELLIVS *nunc primum edidit, præfationes ac scholia addidit, græca latine reddidit*, Romæ MDCCLVI. 4.*

§. X.

Enarratis bibliothecis patrum vniuersis, conuerto me ad eas, quas *particulares*; siue speciales adpellari posse, antea animaduerti. Sunt istæ volumina, quæ scripta singularium argumentorum complectuntur, siue ea ad dogmata theologica; siue ad historiam sacram et ecclesiasticam pertineant. Propter horum varietatem ordinis ratio postulat, vt bibliothecæ hæ particulares in species suas diuidantur inque his primus locus bibliothecis *dogmaticis* ac *polemicis* merito tribuatur. Generis huius, saltem præcipue, sunt, quæ nunc sequuntur:

IO. HEROLDI *hæresiologia, hoc est, opus veterum tam græcorum; quam latinorum theologorum, per quos omnes, quæ per catholicam christi ecclesiam grassatæ sunt, hæreses confutantur et summa omnia theologiæ capita quæstionesque de trinitate, prouidentia dei, creatione mundi, angelis, peccato, dæmonibus, generatione verbi, christi duabus naturis, humana et diuina, libero arbitrio, sacramentis, mundi consummatione et iudicio extremo et reliqui communes, quos tota theologia tractat, loci explicantur*, Basileæ MDLVI. fol. ex officina Henrici Petri:

IOSVAE SIMLERI *scripta veterum latina de vna persona et duabus naturis domini et seruatoris nostri iesu christi, aduersus Nestorium, Eutychen et acephalos olim edita*, Tiguri MDLXXI. fol. Quemadmodum in titulo quoque indicium fit, omnia nunc primum in capita distincta, argumentis et summariis illustrata, præterea partim ex manuscriptorum codicum; partim ex aliorum locorum collatione emendata sunt,

* ERNESTI *theologisch. bibliothec volumin.* I. p. 955.

ſunt, additis breuibus adnotationibus. Acceſſit quoque breuis narratio controuerſiarum de perſona et naturis in chriſto, vna cum collatione controuerſiarum noſtri temporis:

IO. SICHARDI *antidotum contra diuerſas omnium fere ſeculorum hæreſes*, Baſileæ MDXXVIII. fol. apud Henricum Petri:

CONRADI GESNERI patrum bibliotheca latina, cuius titulus eſt: *hoc volumine continentur ſententiarum; ſiue capitum, theologicorum præcipue, ex ſacris et profanis libris tomi tres, per Antonium et Maximum monachos olim collecti: Antonii loci, Meliſſa inſcripti, numero ſunt* CLXXV. *Maximi vero* LXXI. *Maximi philoſophi, confeſſoris et martyris aphoriſmorum; ſeu capitum de perfecta caritate et aliis virtutibus chriſtianis ad Elpidium presbyterum centuriæ* IV. *Theophili ſexti Antiochenſis epiſcopi de deo et fide chriſtianorum contra gentes inſtitutionum libri* III. *ad Autolycum, Tatiani Aſſyrii, Iuſtini martyris diſcipuli, oratio contra Græcos. Omnia noua et antea numquam edita, præter Maximi centurias, nunc etiam caſtigatiores*, Tiguri MDXLVI. fol. Præter bibliothecam hanc latinam Gesnerus iuris publici quoque fecit græcam, vbi ſcriptores, quos memorata bibliotheca latine complectitur, græce habentur hæcque eodem loco ac tempore cum latina prodiit. Immo Gesnerus tertiam bibliothecam, quæ et græca et latina eſt, adiunxit. Addi ſolet:

GILBERTI MAVGVINI liber, cuius inſcriptio eſt: *veterum auctorum, qui* IX. *ſeculo de prædeſtinatione et gratia ſcripſerunt, opera et fragmenta plurima, nunc primum in lucem edita, cum eiusdem chronica et hiſtorica ſynopſi, gemina diſſertatione et pacifica operis coronide*, Pariſiis MDCL. 4. duobus tomis. Numeratur liber hic in bibliothecis patrum; intelligendæ autem hæ ſunt cum ſimilibus aliis latiore ſententia. Pertinet enim iſte plane ad ætatem mediam; ſiue ad controuerſiam, ibi illuſtratam; ſiue ad ipſa monimenta collecta animum aduertere velimus. Idem dicendum eſt de ſcriptoribus nonnullis antiquioribus, qui de corpore ac ſanguine chriſti expoſuerunt, *Paſchaſio, Lanfranco, Guitmundo, Algero* atque aliis, a IOANNE VLIM-

MERIO emendatis et in lucem publicam emiſſis, Louanii MDLXI.

§. XI.

Sequuntur bibliothecæ patrum *aſceticæ*; ſiue ea volumina, quorum collecta monimenta ad vitam ſanctiorem atque ad illius exercitationem ſpectant. In horum numero ſunt:

Parænetici veteres, cum notis *Melchioris Haiminsfeldii Goldaſti*, Inſulæ MDCIV. 4. editi. In titulo memoratur quidem, prodire iam partem primam; præter hanc autem alias lucem adſpexiſſe, dubitandi ratio eſt:

Apocrypha parænetica, publico iuuentutis litterariæ bono edita, interprete M. Nicolao Glaſero, Hamburgi MDCXIV. 8. quæ monimenta non apte in titulo *parænetica* adpellantur, quum iſta maxime ſunt hiſtorica; nec Ioſephi teſtimonium de chriſto recte inter apocrypha refertur.

Bibliotheca patrum aſcetica; ſiue ſelecta veterum patrum de chriſtiana et religioſa perfectione opuſcula, collecta a CLAVDIO DE CHANTELOV atque edita Pariſiis MDCLXI. 4. In ſex tomos diuiſa eſt bibliotheca hæc. *

Theſaurus aſceticus; ſiue ſyntagma opuſculorum octodecim, a græcis olim patribus de re aſcetica ſcriptorum; ea nunc primum prodeunt e vetuſtiſſimis manuſcriptis codicibus eruta, collectore atque interprete PETRO POSSINO, Pariſiis MDCLXXXIV. 4. **

BERNARDI PEZII *bibliotheca aſcetica antiquo-noua, hoc eſt collectio veterum quorumdam et recentiorum opuſculorum aſceticorum, quæ hucusque in variis manuſcriptis codicibus et bibliothecis delituerunt*, Ratisbonæ edita. Lucem adſpexerunt tomus primus ac ſecundus MDCCXXIII. tertius ac quartus MDCCXXIV. quintus ac ſextus etiam MDCCXXIV. ſeptimus et octauus MDCCXXV. 8. Pertinet opus hoc ad numerum earum bibliothecarum patrum, quæ late ita dicuntur. Exhibentur monimenta, quæ non tam antiquio-

* PEZII *bibliothec. Benedictino-Maurian.* p. 11.

** *acta eruditorum* MDCLXXXV. p. 488.

ris; quam mediæ ac recentioris ætatis ſunt. * Quodam modo et ea volumina huc referri poſſunt, in quibus ſcripta de *ſacris eccleſiæ officiis* exhibentur, cuius generis ſunt:

IO. COCHLAEI *ſpeculum antiquæ deuotionis circa miſſam et omnem alium cultum dei, ex antiquis et antea numquam euulgatis per typographos auctoribus laborioſe collectum,* Moguntiæ MDXLIX. fol.

MELCHIORIS HITTORPII *de diuinis catholicæ eccleſiæ officiis ac miniſteriis varii vetuſtorum aliquot eccleſiæ patrum ac ſcriptorum libri, Iſidori, Alcuini, Amalarii, Rabani Mauri, Walafridi Strabonis* atque aliorum, Coloniæ MDLXVIII. Romæ MDXCI. Pariſiis MDCX. MDCXXIV. fol. Nec a loco hoc plane aliena eſſe, putamus, *opuſcula quorumdam patrum de virginitate,* a PAVLLO, *Aldi filio,* MANVTIO coniunctim edita, Romæ MDLXII. 4. Sunt iſta: AMBROSII libri tres de *virginibus ad Marcellinam ſororem:* HIERONYMI *epiſtola ad Demetriadem de virginitate ſeruanda* eiusdemque *epiſtola ad Euſtathium de cuſtodia virginitatis* et AVGVSTINI liber de *virginitate.*

§. XII.

Adiungendæ ſunt bibliothecæ patrum *concionatoriæ;* ſiue *homileticæ.* Præbent illæ nobis volumina orationum ſacrarum, quæ ab antiquioribus doctoribus compoſitæ atque ad poſteros translatæ ſunt. Ad numerum earum pertinent:

GALEATII FLORIMONTII *homiliæ ſelectæ veterum patrum græcorum latinorumque,* quas ille italice reddidit ac vulgauit Venetiis MDLV. 4. duobus voluminibus, quibus deinde SERAFINVS duo alia volumina adiunxit, Florentiæ MDLXXII. 4. **

Gregorii Nyſſeni, Amphilochii, Chryſoſtomi, Cyrilli Hieroſolymitani, Timothei presbyteri Hieroſolymitani homiliæ in occurſum domini ac Gregorii Nyſſeni oratio de deitate filii et

* *acta eruditor.* MDCCXXIII. p. 518. MDCCXXIV. p. 483. MDCCXXVI. p. 319. MDCCXXVII. p. 84. *ſamlung von alten und neuen theologiſchen ſachen,* 1727. p. 297.

** FABRICII *bibliothec. græc. volumin.* XIII. p. 796.

et spiritus sancti, quas LAVRENTIVS SIFANIVS graece cum latina interpretatione THEOPHYLACTI *commentario in acta apostolorum* adiunxit atque edidit Coloniae MDLXVIII.

THEODORI PELTANI *septendecim homiliae graecorum patrum, latine redditae et in vnum collectae*, Ingolstadii MDLXXIX. 8.

Homiliae quaedam sacrae Basilii magni, Gregorii Nysseni, Gregorii Nazianzeni, Ioannis Chrysostomi, Cyri Germani in praecipuas anni ferias, cum fragmento Cyrilli Alexandrini, ex manuscriptis codicibus vel nunc primum; vel emendatius editae, cum notis, Augustae Vindelicorum MDLXXXVII. 8.

Bibliotheca homiliarum et sermonum priscorum ecclesiae patrum, Lugduni MDLXXXVIII. fol. quatuor tomis, quam LAVRENTIVS CVMDIVS colligere coepit; GERARDVS autem MOSANVS ad finem perduxit. Non omnes, quorum monimenta exhibentur, inter patres numerandi sunt:

PETRI PANTINI *homiliae quatuor sanctorum patrum episcoporum, Methodii, Athanasii, Amphilochii et Ioannis Chrysostomi*, quas ille graece ac latine vulgauit, Antuerpiae MDXCVIII. 8.

Eiusdem PETRI PANTINI studio in lucem prodierunt: *conciones graecorum patrum, nunc primum graece editae latineque conuersae*, Antuerpiae MDCIV. 8.

PETRI BLANCHOT *bibliotheca concionatoria sanctorum patrum et celebrium romanae ecclesiae doctorum*, edita latine Parisiis MDCXXXI. 4. Coloniae MDCXXXIII. 8. cum auctario cura MICHAELIS DE LA NOVE, Parisiis MDCXLIV. 4. et alio per PETRVM PILARTVM Parisiis, MDCLIV. fol.

IO. LOYAC *bibliotheque sacrée, ou recueil des plus beaux sermons et homelies des saints peres pour tous les dimanches de l'année, pour les festes de la vierge et des saints et pour les iours de caresme et des quatre temps*, Parisiis MDCXXXIV. 4. quinque voluminibus:

FRANCISCI COMBEFISII *bibliotheca patrum concionatoria, hoc est, anni totius euangelia, festa dominica, sanctissimae deiparae illustriorumque sanctorum solemnia, patrum symbolis, tractatibus, panegyricis iisque, qua nouum ex vetustis manuscriptis codicibus productis, qua recensitis, emendatis,*

datis, auctis, ad fontes compositis, e graeco castigatius elegantiusque redditis, illustrata ac exornata latine, Parisiis MDCLXII. fol. octo tomis; quorum primus homilias in dominicas aduentus ac deinceps: secundus et tertius in quadragesimam: quartus et quintus in dominicas vsque ad aduentum complectitur. Tomus sextus, septimus et octauus sanctis destinati sunt. Praemissum est tomo primo opusculum, inscriptum: *recensiti auctores bibliothecae patrum concionatoriae, in iis obiter fere insinuata strictimque delibata Cyriacorum*, dominicanorum, *immunitas, a censura auctoris Petri de Valle clausa;* siue, quod verum eius nomen est, Theophili Raynaudi, id quod quum et separatim prodiit Parisiis MDCLXII. 8. merito mentionem illius facio: *

Diuorum patrum veterumque ecclesiae doctorum, qui oratione soluta scripserunt, homiliae ac meditationes in festum natiuitatis iesu christi saluatoris nostri selectae a CHRISTIANO DAVMIO, Cygneae MDCLXX. 8. In paruo volumine hoc continentur duae tantum homiliae graecae cum latina interpretatione, altera *Basilii magni*; altera *Gregorii Nazianzeni;* aliae autem scriptorum latinorum duorum ac viginti. **

§. XIII.

Praeter iam memoratas bibliothecas patrum, sunt alia illarum genera, nunc a me itidem enarranda. In istis locum habent bibliothecae *historicae*, quarum scripta notitiam nobis suppeditant rerum gestarum quumque illa in argumentis suis varia sunt ac diuersa, bibliothecae hae in ordines diuidi ac distincte recenseri debent. Spectant huc:

I. *bibliothecae*, quae complectuntur monimenta de *scriptoribus ecclesiasticis*, vti sunt:

SVFFRIDI PETRI volumen, ab ipso collectum notisque illustratum, cuius titulus est: *de illustribus ecclesiae scriptoribus auctores praecipui veteres: Hieronymus, Stridonensis pres-*

* FABRICIVS *bibliothec. graec. volumin.* XIII. p. 791. NICERONII *memoires tom.* XI. p. 189.

** FABRICIVS *dicto loco* p. 796. VOGTIVS *catalog. libror. rarior.* p. 234.

presbyter: Gennadius, Massiliensis presbyter: Isidorus, Hispalensis episcopus: Honorius, Augustodunensis presbyter: Sigebertus, Gemblacensis monachus: Henricus de Gandauo, archidiaconus Tornacensis, partim antea excusi; partim nunc demum in lucem editi; omnes autem in congruum ordinem redacti et perpetua chronologia illustrati et veterum codicum, tum excusorum: tum manuscriptorum collatione ab infinitis mendis repurgati et adnotationibus haud quaquam pœnitendis commendati, Coloniæ MDLXXX. 8.

AVBERTI MIRAEI *bibliotheca ecclesiastica; siue nomenclatores septem veteres: Hieronymus, presbyter et doctor ecclesiæ: Gennadius Massiliensis: Ildefonsus Toletanus: Sigebertus Gemblacensis: Isidorus Hispalensis: Honorius Augustodunensis et Henricus Gandauensis, auctariis et scholiis illustrati,* Antuerpiæ MDCXXXIX. fol. In hac bibliotheca Ildefonsus Toletanus, quem SVFFRIDVS PETRI in *auctoribus veteribus de illustribus ecclesiæ scriptoribus* omiserat, locum obtinuit:

IO. ALBERTI FABRICII *bibliotheca ecclesiastica*, Hamburgi MDCCXVIII. fol. quæ inter reliqua generis huius scripta princeps est. Præter septem auctores, antea coniunctim editos, atque in his præcipue HIERONYMVM ac GENNADIVM, emendatos atque adnotationibus variorum ac propriis, Fabricius exhibet: *anonymum Mellicensem*, a *Bernardo Pez* primum euulgatum: * PETRVM *Casinensem de viris illustribus monasterii Casinensis,* cum supplemento PLACIDI romani et IO. BAPTISTAE MARI *notis:* item IO. TRITHEMIVM de *scriptoribus ecclesiasticis*, cum obseruationibus, et AVBERTI MIRAEI *auctorum de scriptoribus ecclesiasticis et a tempore, quo desinit Trithemius de scriptoribus seculi* XVI. *et* XVII. *libros duos:* **

II. *bibliothecæ veterum auctorum historiæ ecclesiasticæ*, ad quarum linguas si animum aduertimus, tria illarum genera in conspectum publicum venisse, perspicimus, quum

 aliæ

* *bibliotheca Benedictino-Mauriana* p. 419.

** *iournal des sauans* MDCCXIX. *mart.* p. 355. *acta erudit.* MDCCXVIII. p. 444. *deutsche acta eruditorum vol.* V. p. 625.

aliæ harum bibliothecarum græcæ: aliæ latinæ: aliæ græcæ ac latinæ ſimul ſunt. Locum in iſtis habent:

ROBERTI STEPHANI *veteres ſcriptores hiſtoriæ eccleſiaſticæ*, græce, ſine latina interpretatione, Pariſiis MDXLIV. fol.

Auctores veteres hiſtoriæ eccleſiaſticæ, latine tantum, quorum variæ editiones prodierunt: primum Baſileæ MDXXXIX. per Hieronymum Frobenium et Nicolaum Epiſcopium, fol. deinde itidem Baſileæ MDXLIX. et iterum MDLVII. fol. cura *Wolfgangi Muſculi*, ex cuius interpretatione ſinguli ſcriptores exhibentur, præter Theodoretum. Hunc enim non ipſe latine reddidit maluitque Camerarii verſionem retinere. Poſt Muſculum eosdem auctores græcos in latinam linguam conuertit *Ioannes Chriſtophorſonus* atque vno volumine comprehenſos iuris publici fecit. Sæpius variisque locis interpretatio hæc lucem vidit interque editiones has locum quoque obtinuit Colonienſis MDLXXXI. cum *Suffridi Petri* adnotationibus. Nec omittendi ſunt ſcriptores hi, ex variorum interpretationibus, latine editi a *Ioanne Iacobo Grynæo*, Baſileæ MDCXI. fol.

Scriptores veteres hiſtoriæ eccleſiaſticæ, græce ac latine, cura *Henrici Valeſii* in lucem emiſſi ac notis illuſtrati, Pariſiis ab anno MDCLIX. atque iterum MDCLXXVII. fol. etiam Moguntiæ, vt titulus habet; ſiue potius Francofurti MDCLXXII. fol. et vt in inſcriptione habetur, Amſtelodami MDCXCV. fol. Editiones has ſequuta eſt ea, quæ nouis acceſſionibus ac notis aucta, cura GVIL. READING Cantabrigiæ MDCCXX. fol. lucem adſpexit. Bibliothecis, quas nunc enarraui, quædam aliæ ſimilis generis adiungi poſſunt, eæque:

LAVRENTII DE LA BARRE *hiſtoria chriſtiana veterum patrum, in qua omnium fere eorum, qui a tempore apoſtolorum viguerunt et pro chriſti eccleſia militarunt, acta, tempora ac rerum eccleſiaſticarum ſtatus tamquam in ſpeculo vere chriſtiano ad veritatis antiquitatem demonſtrantur*, Pariſiis MDLXXXIII. fol.

WOLFGANGI LAZII volumen monimentorum, quæ ſunt: *liber de paſſione domini noſtri ieſu chriſti, carmine hexametro ſcriptus: Abdiæ Babylonii libri de hiſtoria certami-*

nis apostolici: Matthiæ apostoli vita, ex ebraica lingua versa: beatorum, Marci, Clementis, Cypriani et Apollinaris historia: vita Martini, a Sulpitio Seuero conscripta, Basileæ MDLI. fol. ex officina Io. Oporini:

PHILIPPI LABBEI *noua bibliotheca manuscriptorum,* Parisiis MDCLVII. fol. duobus tomis. Inscriptio primi tomi est: *nouæ bibliothecæ manuscriptorum librorum tomus primus, historias, chronica, sanctorum sanctarumque vitas, translationes, miracula, stemmata genealogica ac similia, antiquitatis præsertim Franciæ monimenta, nunc primum ex manuscriptis variarum bibliothecarum codicibus eruta, copiose ac plena manu repræsentans;* secundi autem: *nouæ bibliothecæ manuscriptorum librorum tomus secundus, rerum Aquitanicarum, præsertim Bituricensium vberrima collectio, historias, chronica, vitas sanctorum ac similia antiquitatis monimenta, nunc primum ex manuscriptis codicibus eruta, copiose repræsentans.*

III. *bibliothecæ vitarum sanctorum,* ex variis auctoribus collectarum, cuius generis sunt:

ALOYSII LIPOMANNI *vitæ sanctorum,* quod opus vitas complectitur, ex græco sermone in latinum conuersas, atque octo tomis constat, Romæ 4. editis. Tomus primus exiit in lucem MDLI. secundus MDLIII. tertius MDLIV. quartus etiam MDLIV. quintus MDLVI. sextus ac septimus MDLVIII. paullo ante Aloysii mortem, ac denique octauus, illo iam defuncto, MDLX. cura *Hieronymi Lipomanni.*

LAVRENTII SVRII *vitæ sanctorum* orientis atque occidentis, Coloniæ MDLXIX. Venetiis MDLXXXI. sex voluminibus fol. iterum Coloniæ MDLXXXI. adiuncto septimo tomo supplementi cura *Iacobi Mosandri* ac denique nouis accessionibus pariter locupletatæ ac notis illustratæ, itidem Coloniæ MDCXVII. fol. quatuor tomis:

HERIBERTI ROSWEYDI de *vita et verbis seniorum libri* X. *historiam eremiticam complectentes, auctoribus suis et nitori pristino restituti ac notationibus illustrati,* Antuerpiæ MDCXV. fol. deinde Lugduni MDCXVII. fol. iterum Antuerpiæ MDCXXVIII. fol. auctiores:*

* recenset opus hoc FABRICIVS *bibliothec. græc. volum.* IX. p. 27.

Acta sanctorum, quotquot toto orbe coluntur; vel a catholicis scriptoribus celebrantur, a iesuitis Antuerpiensibus incredibili industria maximoque labore collecta, recensita, illustrata atque edita. Prodire illa cœperunt opera ac studio IO. BOLLANDI ac GODOFRIDI HENSCHENI, Antuerpiæ MDCXLIII. nondum autem ad finem perducta sunt, de quibus alio loco * plura disserui.

LVCAE DACHERII et IO. MABILLONII *acta sanctorum Benedicti, in seculorum classes distributa.* Seculum *primum*, quod est ab anno christi D. ad DC. lucem adspexit, Parisiis MDCLXVIII. fol. *secundum* ab anno DC. ad DCC. ibidem MDCLXIX. fol. *tertium* ab anno DCC. ad DCCC. eodem loco MDCLXXII. fol. duabus partibus: *quartum* ab DCCC. ad DCCCC. itidem duabus partibus, quarum prior Parisiis MDCLXXII. posterior ibidem MDCLXXX. fol. prodiit: *quintum* ab anno DCCCC. ad M. ibidem MDCLXXXV. fol. *sextum* ab anno M. ad MC. ibidem MDCCI. fol. duabus partibus. Ea, quæ opere hoc continentur, maxime *Dacherius* collegit; *Mabillonius* autem præter notas atque obseruationes, scripsit copiosas præfationes iisque singularia rerum ecclesiasticarum argumenta erudite ac diligenter persequutus est. **

IV. *bibliothecæ chronicorum*, quales sunt:

Eusebii et aliorum, qui Eusebium continuarunt, chronica, a IOANNE SICHARDO collecta atque edita sub titulo: *en damus chronicon, diuinum plane opus eruditissimorum auctorum, repetitum ab ipso mundi initio ad annum vsque salutis* MDXII. *partim nunc a nobis inuentum et editum; partim a mendis, quibus laborabat, plus quam cuiquam creditu facile est, summo studio et diligentia repurgatum*, Basileæ MDXXIX. fol.

AVBERTI MIRAEI *rerum, toto orbe gestarum, chronica, a christo nato ad nostra vsque tempora, auctoribus Eusebio, Cæsareensi episcopo, Hieronymo presbytero, Sigeberto, Gemblacensi monacho, Anselmo, Gemblacensi abbate, Auberto Miræo Bruxellensi aliisque. Omnia ad antiquos codices manuscriptos*

* *biliothec. theolog. tom.* III. p. 657.
** *ibidem* p. 590. vbi copiosius de opere hoc exposui.

ſcriptos partim comparata; partim nunc primum in lucem edita, Antuerpiæ MDCVIII. 4.

ARNALDI PONTACI *chronica trium illuſtrium auctorum, Euſebii Pamphili, epiſcopi Cæſareenſis, Hieronymo interprete: Euſebii Hieronymi presbyteri: Prosperi Aquitanici, epiſcopi Regienſis, ab Abrahamo ad annum chriſti* CCCCXLIX. *emendata et notis illuſtrata*, Burdigalæ MDCIV. fol.

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI *theſaurus temporum*, editus primum Lugduni Batauorum MDCVI. deinde Amſtelodami MDCLVIII. fol. cuius poſterioris editionis titulus eſt: *theſaurus temporum: Euſebii Pamphili, Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopi, chronicorum canonum omnimodæ hiſtoriæ libri duo, interprete Hieronymo, ex fide vetuſtiſſimorum codicum caſtigati: item auctores omnes, derelicta ab Euſebio et Hieronymo continuantes. Eiusdem Euſebii vtriusque partis chronicorum canonum reliquiæ græcæ, quæ colligi potuerunt. Editio altera, in qua Ioſephi Scaligeri tertia fere parte auctiores notæ et caſtigationes in latinam Hieronymi interpretationem et græca Euſebii, ſuprema auctoris cura emendatæ. Eiusdem Ioſephi Scaligeri iſagogicorum chronologiæ canonum libri tres ad Euſebii chronica et doctrinam de temporibus admodum neceſſarii.*

V. *bibliothecæ* monimentorum, quæ ad *res ac ſcriptores eccleſiaſticos certarum nationum, regionum et locorum* ſpectant. In his locum tenent:

LEONIS ALLATII *Græcia orthodoxa*, duobus tomis, quorum primus prodiit Romæ MDCLII. ſecundus MDCLIX. 4. Vtroque volumine continentur Græcorum ſcripta cum latina interpretatione de proceſſione ſpiritus ſancti et aliis, ita compoſita, vt Latinorum ſententiæ adprobentur. Primo tomo exhibentur monimenta: *Nicephori Blemmidæ, Ioannis Vecci*, patriarchæ Conſtantinopolitani, *Petri*, epiſcopi Mediolanenſis, *Georgii Pachymeris, Eſaiæ Cyprii, Ioannis Argyropuli, Gregorii protoſyncelli*, patriarchæ Conſtantinopolitani, *Georgii Trapezuntii, Ioannis Pluſiadeni, Hilarionis* monachi, *Nicetæ Byzantii*, quibus additæ ſunt: *de Gregorio Palama, archiepiſcopo Theſſalonicenſi Græcorum ſententiæ.* In tomo ſecundo ſunt ſcripta: *Io. Vecci*, patriarchæ Conſtantinopolitani, *Conſtantini Meliteonitæ* chartophylacis, *Geor-*

Georgii Metochitæ diaconi, *Maximi Chrysobergæ.* Omnia hæc Allatius ex tenebris in lucem produxit ac latine reddidit notasque adiecit:

EIVSDEM ALLATII σύμμικτα; *siue opusculorum Græcorum et Latinorum, vetustiorum ac recentiorum libri duo,* editi atque aucti a *Bart. Nihusio*, Coloniæ MDCLIII. 8.

Veterum aliquot Galliæ theologorum scripta, quorum nonnulla ex veteribus libris emendatius, aliqua nunc primum eduntur. Collecta illa sunt atque in lucem emissa cura PETRI PITHOEI, Parisiis MDLXXXVI. 4.

VINCENTII BARRALIS *chronologia sanctorum et aliorum virorum illustrium et abbatum sacræ insulæ Lerinensis, in vnum volumen compilata, cum adnotationibus eiusdem*, Lugduni MDCXIII. 4. vbi scripta patrum Lerinensium exhibentur.

IO. A BOSCO *Floriacensis vetus bibliotheca Benedictina, sancta, apostolica, pontificia, cæsarea, regia, Franco-gallica, ad Henricum IV. christianissimum Franciæ et Nauarræ regem ac Mariam Medicæam reginam*, Lugduni MDCV. 8.

VI. *Bibliothecæ ordinum religiosorum*, in quarum numero sunt:

MARTINI MARRIERI et ANDREAE QVERCETANI *bibliotheca Cluniacensis, in qua sanctorum patrum abbatum Cluniacensium vitæ, scripta, miracula, statuta, priuilegia chronologiaque duplex, item catalogus abbatiarum, prioratuum, decanatuum, cellarum et ecclesiarum a Cluniacensi cœnobio dependentium, vna cum chartis et diplomatibus donationum earumdem. Omnia nunc primum ex manuscriptis codicibus collecta*, Parisiis MDCXIV. fol.

LVCAE DACHERII et IO. MABILLONII *acta sancti Benedicti*, quæ iam antea quum recensui, ea nunc paucis memorasse sufficiat:

BERTRANDI TISSIER *bibliotheca patrum Cisterciensium, id est, opera abbatum et monachorum ordinis Cisterciensis, qui seculo sancti Bernardi; aut paullo post eius obitum floruerunt*, Bonofonte ab anno MDCLX. fol. octo tomis.*

§. XIV.

* VOGTII *catalogus librorum rariorum* p. 680.

§. XIV.

Reſtant quædam bibliothecarum patrum genera, quæ vt a me itidem adducantur, res ipſa; ſiue plenioris atque adcuratioris commemorationis ratio omnino poſtulat. Quum iſtæ inter ſe vel ætate; vel ſcribendi modo; vel argumentis ſuis differunt, eas etiam diſtincte enarrandi, neceſſitatem mihi impoſitam eſſe, intelligo hancque ob rem *bibliothecis patrum apoſtolicorum* primum locum adſigno. Prodierunt:

IO. BAPTISTAE COTELERII *ſanctorum patrum, qui temporibus apoſtolicis floruerunt, Barnabæ, Clementis, Hermæ, Ignatii, Polycarpi opera vera et ſuppoſititia, vna cum Clementis, Ignatii, Polycarpi actis atque martyriis.* Quæ omnia, vt titulus indicat, Cotelerius *ex manuſcriptis codicibus eruit ac correxit verſionibusque et notis illuſtrauit*, Pariſiis MDCLXXII. fol. minoris formæ, duobus tomis. Editio hæc maxime rara facta eſt, poſtquam pleraque eius exempla, antequam venderentur, incendio conſumta fuerint. Eam ob cauſſam IO. CLERICVS de bibliotheca hac patrum apoſtolicorum denuo deſcribenda, ornanda atque augenda cogitauit opusque ipſum Antuerpiæ; ſiue potius Amſtelodami MDCXCVIII. fol. duobus voluminibus in lucem emiſit. Acceſſerunt: *notæ integræ aliorum virorum doctorum, qui in ſingulos patres memoratos ſcripſerunt et quorum nomina in præfatione habentur; item* GVILIELMI BEVEREGII *codex canonum primitiuæ eccleſiæ vindicatus:* IACOBI VSSERII *diſſertationes Ignatianæ et* IO. PEARSONII *vindiciæ epiſtolarum ſancti Ignatii atque alia.* Clericus ipſe breuiores notas variis locis adiecit. * Sequuta eſt noua editio, auctior et adcuratior, Amſtelodami MDCCXXIV. fol. itidem duobus voluminibus: **

THO-

* *acta eruditorum* MDCXCIX. p. I. IO. FABRICII *hiſtor. bibliothec. tom.* I. p. 44. NICERONII *memoires tom.* IV. p. 248.

** CLERICI *bibliotheque anciénn. et modern. tom.* XVII. p. 174 *tom.* XXI. p. 237. *tom.* XXII. p. 237. *iournal des ſauans* MDCCXXV. *ianuar.* p. 41. *acta eruditorum* MDCCXXIV. p. 52. COLERI *auserleſene theologiſche bibliothec volumin.* I. p. 743.

THOMAE ITTIGII *bibliotheca patrum apostolicorum graeco-latina, qua continentur: sancti* CLEMENTIS *romani prior et posterior ad Corinthios epistola: sancti* IGNATII *epistolae septem genuinae, quibus eiusdem interpolatae et spuriae epistolae; nec non acta Ignatiani martyrii accedunt: sancti* POLYCARPI *epistola ad Philippenses, cui praeter fragmenta Polycarpi, ecclesiae Smyrnensis de Polycarpi martyrio epistola integra adiungitur*, Lipsiae MDCXCIX. 8. Praemissa est dissertatio de *patribus apostolicis*; seu scriptoribus ecclesiasticis, qui apostolorum comites et discipuli fuisse perhibentur.* Gallice *bibliotheca* haec cura ac studio ABR. RVCHARTI in conspectum publicum venit, sub titulo: *lettres et monumens des peres apostoliques*, cum notis, Lugduni Batauorum MDCCXXXVIII. 8.**

RICHARDI RVSEL bibliotheca apostolica, cuius inscriptio est: *sanctorum patrum apostolicorum*, BARNABAE, HERMAE, CLEMENTIS, IGNATII *opera genuina, vna cum Ignatii et Polycarpi martyriis, versionibus antiquis ac recentioribus, variantibus lectionibus selectisque variorum notis illustrata. Accesserunt sancti* IGNATII *epistolae tum interpolatae; tum suppositititiae*, Londini MDCCXLVI. 8. duobus voluminibus:***

IO. OTTON. GLVSINGII *monumenta apostolica. Der apostolischen männer, sanct Barnabae, Hermae, Clementis, Ignatii, Polycarpi, Iustini vnd anderer heiligen Zeugen der ersten kirche briefe vnd schriften, nebst einem anhang biblischer anmerkungen, verdeutscht vnd vermehrt*, Hamburgi MDCCXXIII. 8.

§. XV.

Inter scriptores ecclesiasticos fuerunt, qui monimenta de rebus sacris, ligato sermone composita, relin-

* *acta eruditorum* MDCXCIX. p. I. TENTZELII *monatliche vnterredung*. 1698. p. 956. IO. FABRICII *histor. bibliothec. part.* VI. p. 456.

** *samlung von alten vnd neuen theolog. sachen*, 1740. p. 598.

*** *acta eruditor.* MDCCXLIX. p. 604. *bibliothequ. raisonn. tom.* XXXVII. p. 230. KRAFTII *theolog. biblioth. volumin.* I. p. 445. 889.

linquerent quumque et hæc collecta ac coniunctim ad vſum publicum translata ſunt, ita *bibliothecæ pœtarum chriſtianorum* lucem adſpexerunt. In illis edendis doctiſſimi viri operam poſuerunt. Spectant huc:

GEORGIVS FABRICIVS, qui iuris publici fecit: *pœtarum veterum eccleſiaſticorum opera chriſtiana et operum reliquias atque fragmenta, theſaurum catholicæ et orthodoxæ eccleſiæ et antiquitatis religioſæ, ad vtilitatem iuuentutis ſcholaſticæ collectum, emendatum, digeſtum et commentario quoque expoſitum*, Baſileæ MDLXIV. per Ioannem Oporinum 4. Exhibentur non ſolum ipſa pœtarum carmina; ſed acceſſit quoque commentarius, a *Georgio Fabricio* conſcriptus, in quo, vti in titulo indicatur, non ſolum res et verba obſcuriora explicantur; ſed et hiſtorica quædam non vulgaria ipſorumque auctorum vitæ et ad carminum genera quædam ſpectantia, ſingulari ſtudio elaborata inſeruntur: *

IOACHIMVS ZEHNERVS, cuius cura in lucem prodierunt: *diuorum patrum et doctorum eccleſiae, qui oratione ligata ſcripſerunt, paraphraſes et meditationes in euangelia dominicalia, e diuerſis ipſorum ſcriptis collectae*, Lipſiæ MDCII. 8.

ANDREAS RIVINVS, cuius ſtudio lucem viderunt: I.) Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI *opera pœtica omnia. Notas breues poſt Pamelium, Fr. Iunium, Caſp. Barthium ceter. illis adſperſit*, Gothæ MDCLI. 8. ac *iunctis pœmatis, quae Caecilii Cypriani eſſe perhibentur*, Lipſiæ MDCLIII. 8. II.) *L. Cœlii* LACTANTII FIRMIANI, FR. MEROBAVDIS, Hiſpani ſcholaſtici: incerti Conſtantini æuo auctoris: RVSTICI ELPIDII exquæſtoris, de chriſti ieſu beneficiis et laudibus eius, aliquot chriſtianæ reliquiæ, vt et huiusdem ELPIDII et AMOENI enchiridion, vtriusque teſtamenti hiſtoriam ſummam, cum per triſticha; tum per tetraſticha complexum. Singula notis ANDR. RIVINI illuſtrata, Lipſiæ MDCLII. 8. III.) DREPANII FLORI: THEODVLPHI AVRELII: IONAE AVRELII: MODVINI HEDVI; nec non AGOBARDI Lugdu-

* opus hoc recenſet FABRICIVS *bibliothec. latin. volumin.* I. p.696

Lugdunensis et LEIDRADI antecessoris, psalmi et hymni aliaque carmina sacra, nunc demum reperta vera ipsorum ætate, denuo reuisa et iunctim in lucem data atque notis et animaduersionibus ornata a D. ANDR. RIVINO, Lipsiæ MDCLIII. 8. IV.) DRACONTII et EVGENII Toletani carmina sacra, Lipsiæ MDCLIII. 8. * Præter hæc, alia volumina carminum sacrorum in conspectum publicum venerunt. In illis locum obtinent:

PRVDENTIVS, PROSPER, IOANNES DAMASCENVS, COSMAS *Hierosolymitanus*, MARCVS, THEOPHANES, qui coniunctim prodierunt Venetiis apud Aldum sine indicio temporis:

PRVDENTII poetæ *opera:* PROSPERI *epigrammata:* IO. DAMASCENI, COSMAE *Hierosolymitani*, MARCI et THEOPHANIS *cantica*, græce et latine, Venetiis apud Aldum MDI. 4.

Poetae christiani, iunctim editi ab Aldo Venetiis MDII. 4. Sunt illi Sedulius, Iuuencus, Arator, Lactantius, Cyprianus, Damasus, Proba Falconia atque alii: **

Liber ecclesiasticorum carminum, cum aliis hymnis et prosis exquisitissimis, a sanctis orthodoxæ fidei patribus compositus, Basileæ MDXXXVIII. 8.

Poëtarum veterum christianorum volumen, quod lucem vidit Basileæ MDXLI.

IVVENCI, SEDVLII, ARATORIS *sacra poësis*, *summa cura et diligentia recognita et collata*, *tum cum variis editionibus*, *praesertim Fabriciana*; *tum etiam cum manuscripto codice*, Lugduni MDLXXXVIII. 12.

§. XVI.

In syllabo bibliothecarum patrum, ad quem conficiendum operam adhuc adhibui, vltimum locum *bibliothecæ iuris canonici veteris*; siue voluminibus eorum, qui inter græcos ac latinos canones ecclesiasticos collegerunt, tribuo ac notitiæ huius finem facio.

Opus

* NICERONII *memoires tom.* XXXIII. p. 180.

** FABRICIVS *bibliothec. latin. volumin.* III. p. 293.

Opus hoc iuris publici fecerunt: GVILIELMVS VOELLVS et HENRICVS IVSTELLVS prodiitque illud hac inſcriptione: *bibliotheca iuris canonici veteris, in duos tomos diſtributa, quorum vnus canonum eccleſiaſticorum codices antiquos tum graecos, tum latinos complectitur, ſubiunctis vetuſtiſſimis eorumdem canonum collectoribus latinis; alter vero inſigniores iuris canonici veteris collectores graecos exhibet, ex antiquis codicibus manuſcriptis bibliothecæ Chriſtophori Iuſtelli. Horum maior pars nunc primum in lucem prodit, cum verſionibus latinis, praefationibus, notis et indicibus, huic editioni neceſſariis,* Pariſiis MDCLXI. et iterum MDCC. duobus tomis fol. * Addi poteſt:

GVILIELMI BEVEREGII *ſynodicon; ſiue pandectae canonum ſanctorum apoſtolorum et conciliorum, ab eccleſia graeca receptorum; nec non canonicarum ſanctorum patrum epiſtolarum, vna cum ſcholiis antiquorum, ſingulis eorum annexis et ſcriptis aliis huc ſpectantibus, quorum plurima e bibliothecae Bodleianae aliarumque manuſcriptis codicibus nunc primum edita; reliqua cum iisdem manuſcriptis ſumma fide et diligentia collata,* duobus tomis, Oxoniæ MDCLXXII. fol. **

§. XVII.

Poſtquam expoſitionem de bibliothecis patrum ad finem perduxi, conuerto me ad *catenas patrum*; ſiue ad ea volumina, vbi ex antiquiorum chriſtianorum doctorum ſcriptis collecta ſunt, quæ libris diuinioribus lucem adferunt, ſiue iſti ſingulari ſtudio; ſiue oblata occaſione oracula dei illuſtrarint, eo ordine, quo libri ſacri inter ſe cohærent, quo et catenas has nunc enumerabo. Exſtant, quæ ſequuntur:

Catena græcorum patrum in pentateuchum, cuius latina tantum interpretatio, a *Francisco Zephyro* compoſita, prodiit, Florentiæ MDXLVII. et iterum Coloniæ MDLXXIII. 8. cum

* quæ opere hoc continentur, ea diligenter enarrat FABRICIVS *bibliothec. græc. volumin.* XI. p. 50.

** de hoc quoque *ſynodico* notitiam ſuppeditat FABRICIVS *dicto loco* p. 54.

cum *catena in cantica veteris et noui teſtamenti*, quam poſtea ſigillatim recenſebo. Non integer pentateuchus; ſed obſcuriora tantum illius loca explicantur:

ALOYSII LIPOMANNI *catena in geneſin, ex auctoribus eccleſiaſticis plus minus ſexaginta iisque partim graecis; partim latinis connexa, in qua nihil eorum, quae ad explicationem geneſeos faciunt, ſeu hiſtoricam; ſeu myſticam, deſiderandum,* Pariſiis MDXLVI. fol. et iterum Lugduni MDCLVII. fol.

ALOYSII LIPOMANNI *catena in exodum, ex auctoribus eccleſiaſticis plus minus ſexaginta, iisque partim graecis; partim latinis connexa*, Pariſiis MDL. fol. et iterum Lugduni MDCLVII. fol. Catenae hae Lipomanni, in *geneſin* atque *exodum*, non magnam vtilitatem promittunt monſtrantque, iudicandi facultatem in Lipomanno fuiſſe mediocrem:

Catena verſionum, gloſſematum ſanctorum patrum, veterum et neotericorum interpretum, Ebraeorum, Graecorum, Latinorum in quatuor libros regum, collectore, interprete et metaphraſte IO. RODOLPHO A CORDVBA, *cum inſtitutionibus moralibus pro concionatoribus*, Lugduni MDCLII. fol.

Catena in beatiſſimum Iob abſolutiſſima, e quatuor et viginti Graeciae doctorum explanationibus contexta, cuius tres editiones, inter ſe diuerſae, memorandae ſunt. Prima lucem vidit cura, vt titulus habet, *Paulli Cum Deo*, Lugduni MDLXXXVI. 4. quum autem, quis *Paullus Cum Deo* ſit, viris eruditis ignotum eſt, nonnulli ſuſpicantur, illum eſſe *Paullum Comitolum*, cui ſecundam editionem debemus cuiusque nomen illa prae ſe fert. Ipſa editio ſecunda iam dicti *Paulli Comitoli* ſtudio cum latina interpretatione atque acceſſionibus prodiit Venetiis MDLXXXVII. 4. De auctore catenae huius diſſenſio eſt. Quem iam adduxi, Comitolus tribuit illam Olympiodoro; alii autem, grauioribus argumentis muniti, adfirmant, Nicetam, Heracleenſem archiepiſcopum ſeculi vndecimi, iſtam compoſuiſſe. Catenam hanc *Patricius Iunius* primus graece iuris publici fecit: noua latina interpretatione inſtruxit variaque addidit. Haec eſt tertia editio eaque princeps, cuius titulus eſt: *catena graecorum patrum in beatum Iob, collectore Niceta, Heracleae metropolita, ex duobus manuſcriptis bibliothecae Bodleianae codici-*

bus

bus graece nunc primum in lucem edita et latine verſa, opera et ſtudio Patricii Iunii, bibliothecarii regii. Acceſſit ad calcem textus Iobi ςιχηρῶς, iuxta veram et germanam ſeptuaginta ſeniorum interpretationem, ex venerando bibliothecae regiae manuſcripto codice, et totius orbis antiquiſſimo et praeſtantiſſimo, Londini MDCXXXVII. fol.

BALTHASARIS CORDERII *expoſitio patrum graecorum in pſalmos, ex vetuſtiſſimis ſacrae caeſareae maieſtatis et ducis Bauariae manuſcriptis codicibus ἀνεκδότοις concinnata, in paraphraſin, commentarium et catenam digeſta: latinitate donata et adnotationibus illuſtrata*, Antuerpiae ab anno MDCXLIII. ad annum MDCXLVI. fol. Conſtat opus hoc tribus tomis, ita diuiſum, vt ſinguli quinquaginta pſalmos complectantur. Exhibetur primum ad quoſuis pſalmos argumentum et paraphraſis inſignis graeci anonymi ſcriptoris, vna cum *Theodori*, Heracleae in Thracia epiſcopi, commentario, ex manuſcriptis codicibus. Sequitur ipſa catena ex variis antiquis patribus graecis, quam Corderius ex libris, manu exaratis, recenſuit; vltimum autem locum tenent eiusdem adnotationes in pſalmos ſingulos:

FRANCISCI DE PVTEO *catena aurea ſuper pſalmos, nunc denuo a mendis terſa; nec non Hieronymi translatione ditata*, Pariſiis MDXXX. fol. quae ſecunda editio eſſe videtur aliaque ſub titulo: *catena aurea ſuper pſalmos ex dictis ſanctorum patrum*, Pariſiis MDXX. 4. prodiiſſe perhibetur:

ALOYSII LIPOMANNI *catena in pſalmos ex auctoribus eccleſiaſticis plus minus ſeptuaginta iisque partim graecis; partim latinis connexa. Nunc primum ab* ANDREA LIPOMANNO, *fratris filio in lucem edita*, Romae MDLXXXV. fol.

Aurea in quinquaginta Dauidicos pſalmos doctorum graecorum catena, interprete DANIELE BARBARO, Venetiis MDLXIX. fol.

Catena graecorum patrum in prouerbia Salomonis, cuius latinam interpretationem quum THEODORVS PELTANVS reliquiſſet, *Andreas Schottus* ad vſum publicum illam transtulit, Antuerpiae MDCXIV. 8. Addita eſt GREGORII *thaumaturgi metaphraſis in eccleſiaſten*, latine ac graece cum adnotationibus ac catalogo eorum, qui in Salomonis *pro-*

uerbia, *ecclesiasten* et *canticum canticorum* commentati sunt. Accessit quoque MICHAELIS PSELLI *paraphrasis in canticum canticorum*, in sermonem latinum conuersa:

Catena patrum græcorum et latinorum in Ieremiam, quæ locum obtinuit in MICHAEL. GHISLERII *commentario in Ieremiam*, Lugduni MDCXXIII. fol. tribus voluminibus. Addita est catena patrum in *lamentationes Ieremiæ et Baruch*:

THOMAE AQVINATIS *catena aurea in quatuor euangelia*, quæ latina lingua quidem; at ex græcis latinisque patribus composita. Prodiit illa non solum ab anno MCCCCLXXIV. sæpius separatim variis locis; sed etiam cum reliquis Thomæ scriptis coniunctim. Editiones post annum MDLXVI. a recentiore manu interpolatas esse, eruditi viri animaduertunt.* Ipsa expositio hæc quatuor euangeliorum in recentioribus editionibus inscribitur *catena*; in antiquioribus autem *glossa continua* adpellatur, ex quo suspicari licet, Thomam ipsum vocabulo *catenæ* haud vsum esse:

Catena græcorum patrum in Matthæum, cuius duo tomi exstant. Alter in lucem exiit sub titulo: *symbolarum in Matthæum tomus prior, exhibens catenam græcorum patrum vnius et viginti, nunc primum editam, ex bibliotheca Caroli Montchal, archiepiscopi Tolosani*, Tolosæ MDCXLVI. fol. Euulgauit tomum hunc *Petrus Possinus*, ea ratione, vt græca adcurate recenseret: interpretationem latinam, vna cum notis ac libro de *concordia euangelistarum in genealogia christi* adderet. Alter tomus inscriptionem præfert: *symbolarum in Matthæum tomus alter, quo continetur catena patrum græcorum triginta, collectore Niceta, episcopo Serrarum*, Tolosæ MDCXLVII. fol. Editus ille est ex codice manuscripto electoris Bauariæ, cum *Balthasaris Corderii* versione latina. Tribuitur quidem catena hæc *Nicetæ*; illum autem vere auctorem eius esse, non probari potest:

Cate-

* SIMON *histoire critique des principaux commentateurs du nouueau testament* cap. XXXIII. p. 473.

Catena græcorum patrum in euangelium ſecundum Marcum, Romæ MDCLXXIII. fol. Collegit catenam hanc PETRVS POSSINVS, ex codicibus manuſcriptis recenſuit, digeſſit ac latinam verſionem addidit. Præmiſſum eſt PROCOPII *encomium in euangeliſtam Marcum* ac præter POSSINI *ſpicilegium;* ſiue commentarium in loca ſelecta quatuor euangeliorum, acceſſerunt: *collationes græci contextus omnium librorum noui teſtamenti cum* XXII. *codicibus manuſcriptis ex bibliotheca Barberina*:

BALTHASARIS CORDERII *catena ſexaginta quinque græcorum patrum in ſanctum Lucam, quæ quatuor ſimul euangeliſtarum introducit explicationem, luce ac latinitate donata et ex aliis patribus tam græcis; quam latinis ſuppleta et adnotationibus illuſtrata*, Antuerpiæ MDCXXVIII. fol. Voluit quidem Corderius catenam hanc græce ac latine edere; quum autem iniquitas temporum impediret, quominus ad græca deſcribenda ſumtus ſuppeditaretur, interpretationem ſuam latinam tantum in lucem emiſit:

BALTHASARIS CORDERII *catena græcorum patrum in ſanctum Ioannem, ex antiquiſſimo græco codice manuſcripto nunc primum in lucem edita*, Antuerpiæ MDCXXX. fol. Quum Corderius intellexiſſet, viros doctos eosque linguæ græcæ peritos ægre tuliſſe, quod *catenam græcorum patrum* in Lucam latine tantum edidiſſet, catenam hanc in Ioannem vtraque lingua et græca; et latina, iuris publici fecit. Eſt illa ceteris adcuratior:

Catena explanationum veterum ſanctorum patrum in acta apoſtolorum et epiſtolas catholicas, IO. BERNARDO FELICIANO interprete, Venetiis MDXLV. 8.

Excerpta ex catena manuſcripta in acta apoſtolorum et epiſtolas catholicas, græce cum verſione latina et notis IO. CHRISTOPH. WOLFII: *

Veteris cuiusdam theologi græci ſuccincta in Paulli ad Romanos epiſtolam exegeſis, ex græcis ſacræ ſcripturæ interpretibus deſumta, latine, IOANNE LONICERO *interprete*, Baſileæ MDXXXVII. 4.

* *anecdot. græc. tom.* III. §.92.

Catena græcorum patrum in cantica veteris et noui testamenti, edita ab ANTONIO CARAFFA, Patauii MDLXIV. 4. et iterum cum *catena in pentateuchum*, cuius antea mentionem feci. Præter catenas has, a nonnullis aliæ memorantur, vti: PROCOPII GAZAEI *catena in octoteuchum; siue octo priores libros veteris testamenti*: SANTIS PAGNINI *catena argentea super pentateuchum et super omnes psalmos*: FLORIANI NONNII *catena argentea in primum caput geneseos*: PONTII CARBONELLI *catena in vniuersa biblia*. Sed quum catenæ hæ nec ex patrum ecclesiæ monimentis collectæ sunt; nec formam, catenarum patrum propriam, præ se ferunt, omitti illæ solent, non sine omni caussa. *

* quæ iam de catenis patrum a me dicta sunt, ea ex *bibliotheca* meæ *theolog. tom.* IV. p. 388. ad locum hunc transtuli. Legantur et de illis: ITTIGIVS *tractatu de bibliothecis et catenis patrum*, qui Lipsiæ MDCCVII. 8. prodiit: WOLFIVS *dissertatione de cateniis patrum græcorum iisque potissimum manuscriptis*, Vitembergæ MDCCXII. FABRICIVS *bibliothec. græc. volum.* VII. p. 727. BVDDEVS *isagog. ad theologiam vniuersam libr.* II. *cap.* 8. p. 1635. SIMON *histoire critique des principaux commentateurs du nouueau testament cap.* XXX. sqq. p. 422.



CAPVT

CAPVT IV.

DE SCRIPTIS PATRVM ECCLESIAE ADVLTERINIS, CONTROVERSIS, CORRVPTIS AC DEPERDITIS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Postquam generatim quædam dicta sunt de necessitate, libros adulterinos ac germanos discernendi §. I. II.
Ac notæ librorum adulterinorum enarratæ §. III.
Caussæque indicatæ, cur falsis auctoribus scripta patrum adtributa §. IV.
Speciatim recensentur scripta patrum adulterina §. V. VI. VII. VIII.
Scripta patrum controuersa ac dubia §. IX.
Scripta patrum corrupta § X. XI. XII.
Scripta eorumdem deperdita §. XIII.

Non sufficit, cognitum sibi reddidisse, qualia ingenii monimenta antiquiorum christianorum doctores reliquerint: qua ratione in lucem illa emissa sint; sed necesse quoque est, vt sciamus, quam fidem: quam auctoritatem scripta hæc præferant. Non omnia ab iis patribus ecclesiæ omnino composita esse, quorum nominibus ista inscripta sunt, satis est notum constatque, iam olim et postea exstitisse, qui patribus falso libros, tamquam auctoribus tribuerent. Eam ob rem alia eorum scripta esse *germana;* alia *adulterina*, dicendum est hocque discrimen haud negligere debemus, si quid ex patrum libris vere recitare; vel probare velimus.

Recte hanc in rem IO. GERHARDVS scribit: *genuina ac germana patrum scripta ab adulterinis et suppositítiis probe discernenda sunt. Multa enim sub venerabili patrum pallio in ecclesiæ proscenium hodie producuntur, quæ ab hæreticis sunt conficta; vel certe corrupta.* * Vberius postea hæc edisserit atque ad rem probandam testimonia pariter atque exempla adfert. In eodem argumento enarrando versatus est

* in *methodo studii theologic. part.* III. *sect.* 5. *cap.* 3. p. 268.

IO. DALLAEVS * vna cum aliis, quorum poſtea mentionem faciam.

§. II.

Si quis igitur ſcripta patrum eccleſiæ ac veras eorum ſententias intelligere; nec alia teſtimonia, niſi ab ipſis omnino edita, adferre vult, ſiue illa ad recta dogmata confirmanda; ſiue ad errores refutandos; ſiue ad res geſtas illuſtrandas adhibeantur, neceſſe eſt, vt cognoſcatur, quæ germana ſint monimenta: quæ adulterina, atque in vſu altera ab alteris probe diſcernantur.

§. III.

Fieri hoc certe poteſt, quia ſuppetunt notæ, ex quibus haud difficulter iudicari poteſt, num monimentum genuinum ſit; nec ne. Quæ quum variæ diuerſæque ſunt, cum iudicio illæ adhiberi debent; nec iſtis plus; vel minus, quam ad probandum vere valent, tribuendum eſt, ſiue certe; ſiue probabiliter argumentatio fiat. Inter eruditiſſimos viros fuerunt, qui notas generis huius recenſerent atque illuſtrarent, nimirum:

ANDREAS HYPERIVS, qui expoſuit de illis libro de *ratione ſtudii theologici:* **

ABRAAMVS SCVLTETVS *breuibus et perſpicuis aphorismis de fructuoſa lectione patrum*, quos ſcripſit ac *medullæ theologiæ patrum* præmiſit:

RICHARDVS HOLDSWORTHVS in *theologicis prælectionibus*, quæ lucem viderunt MDCLXI.

ANDREAS RIVETVS *tractatu de patrum auctoritate, errorum cauſſis et nothorum notis*, quem eiusdem libri *critici ſacri* præ ſe ferunt: ***

FRIDERIC. SPANHEMIVS, cuius exſtant: *canones iſagogici et critici ad fontes genuinos chriſtianæ antiquitatis diſcernendos a nothis ac ſuppoſititiis:* *

GVIL.

* *libr.* I *de vero vſu patrum cap.* 3. p. II.
** *libr.* IV. *cap.* 9. p. 688.
*** qui ſunt in eiusdem *oper. theologicor. tom.* II. p. 1041.
* *canones* hi præmiſſi ſunt eius *hiſtoriæ chriſtianæ*, quæ eſt in ipſius *operum tom.* I. p. 485.

GVIL. CAVEVS *prolegomenis scriptorum ecclesiasticorum historiae litterariae*: *

IO. CLERICVS, cuius *ars critica* huc spectat, quum ibi de locis et scriptis spuriis a genuinis secernendis copiose disseritur. ** Praecipua horum indiciorum breuiter ac perspicue enarrat CAVEVS *** eaque ad locum hunc transferre, animus mihi est. Sunt ista: I.) *in quocumque opere rerum personarumue, scriptoris, cuius nomen prae se fert liber, aetate recentiorum, occurrit mentio, certissimum est falsitatis indicium:* II.) *vocabula noua; vel nouatae significationis et quae manifesto sunt sequioris aetatis libri, quo reperiuntur,* νόθευσιν *liquido ostendunt:* III.) *fabulae inanes nugaeque ineptissimae, ab aeui apostolici; vel scriptoris alicuius antiqui ingenio et grauitate abhorrentes, librum, quo continentur, cuiuscumque tandem nomen gerat, suppositititium esse, clamant:* IV.) *stilus totiusque orationis contextus, longe diuersus ab eo dicendi charactere, quo in genuinis suis vsus est auctor, manifestum praebet suppositionis argumentum:* V.) *merito* νοθεύσεως *damnatur liber, quo reperiuntur dogmata, iis plane contraria, quae in genuinis et indubitatis operibus verus auctor tradidit:* VI.) *si in aliquo opere, auctorem graecum sibi vindicante, occurrat latinorum vocabulorum censura et explicatio, meritissimam falsitatis; vel fraudis suspicionem iniicit:* VII.) *quaecumque opuscula pro spuriis damnarunt veteres, aegre admodum, nec nisi clarissimis et validissimis argumentis admitti debent, praesertim si accedant eorum suffragia, quorum interest, vt pro genuinis haberentur.*

§. IV.

De caussis si quaeras, cur scripta, maxime patrum ecclesiae, falsis auctoribus tributa eorumque nominibus in lucem emissa sint, facile quisque perspicit, eas non omnes eiusdem esse generis. Diuersae illae sunt aliique hac in re praue agunt: alii bonam mentem praeferunt. Vtrique itidem inter se differunt, si animum ad varios

N 5 fines

* p. 14.
** *volumin.* II. p. 302.
*** *dicto loco.*

fines attendimus, quos isti in libris, falso inscribendis, propositos habuerunt. Qui malae mentis studia sequuntur, eorum duo maxime genera sunt. Nonnulli id tantum meditantur, vt aliis illudant ac fucum faciant et vbi hoc fiat, ex eo peruersam voluptatem capiant. Sumunt sibi, nugas, per iocum ac ludibrium confictas, splendidis inscriptionibus adornare; vel insulsorum hominum commenta nomine ac titulo sanctorum virorum disseminare. Alii, itidem bonae mentis expertes, id sibi propositum habent, vt per fictas inscriptiones erroribus, peruersis opinionibus, superstitionibus suis auctoritatem concilient ac recte sentire videantur. Qui bonos se praebent atque a malitia fraudeque alieni sunt, illi falsorum auctorum nomina in titulis adscribunt, variis caussis adducti. Fit hoc, quando praesertim liber titulo caret, vel ex ignorantia; aut praua coniectura; vel ex studio, auctoritatem sententiae rectae consensu antiquiorum doctorum augendi confirmandique: vel ex animo, honoris ac famae haud cupido; vel ex inuidia, quam quis sibi metuit. Plura hac de re habentur apud ANDREAM RIVETVM *tractatu de patrum auctoritate*. *

§. V.

Magnus numerus est librorum, qui fictorum auctorum nomina prae se ferunt; nec in illis pauci sunt patres ecclesiae, quos quum percensere, animus mihi est, omitto falsa scripta christi, Mariae, apostolorum; siue monimenta ingenii, ipsis adficta. Decreui enim, patrum ecclesiae scripta adulterina enumerare; ad horum autem ordinem christus cum apostolis haud referri potest, si adcurate atque vsitate loqui velimus.

Constat satis, tantam olim quorumdam fuisse impudentiam, vt non tantum apostolorum virorumque apostolicorum; sed ipsius quoque christi ac beatae virginis Mariae nominibus ingenii sui monimenta inscribere, auderent. Quum eiusmodi scripta, quo maiorem antiquitatis speciem illa

* *cap.* XIII. *tom.* II. eiusdem *oper. theologicor.* p. 1064.

illa præ se ferunt, eo facilius incautos fallere atque in errores inducere possunt, ii consulendi sunt, qui de illis singulari studio exposuerunt. Labore hoc perfuncti sunt:

THOMAS ITTIGIVS *dissertatione de pseudepigraphis christi, virginis Mariæ et apostolorum:*

IO. ALBERT. FABRICIVS in *codice apocrypho noui testamenti, collecto, castigato testimoniisque, censuris et animaduersionibus illustrato,* cuius pars prima et secunda coniunctim lucem adspexerunt, Hamburgi MDCCIII. 8. quibus deinde pars tertia accessit, ibidem MDCCXIX. 8. Princeps est Fabricius inter eos, qui in enarrando argumento hoc versati sunt. Recensuit non solum eiusmodi scripta; sed etiam ea ipsa collegit notisque illustrauit:

IO. ANDREAS SCHMIDIVS, quo præside defensa est disputatio, inscripta: *pseudonouum testamentum, exhibens pseudoeuangelia, acta, epistolas, apocalypses,* Helmstadii MDCXCIX. vbi falsa scripta hæc diligenter quidem recensentur; non ipsa autem exhibentur.

§. VI.

Exstant scripta supposita patrum cum græcorum; tum latinorum. Inter illos; siue *græcos*, quibus monimenta ingenii ficte attributa sunt, locum habent: CLEMENS *romanus*, IGNATIVS, IVSTINVS *martyr*, TATIANVS, ATHENAGORAS, THEOPHILVS, ORIGENES, GREGORIVS *thaumaturgus*, CYRILLVS *Hierosolymitanus*. Præter hos alii sunt, qui huc itidem referri debent resque postulat, vt adiungantur: CYRILLVS *Alexandrinus*, ATHANASIVS, EPIPHANIVS, BASILIVS *magnus*, GREGORIVS *Nyssenus*, GREGORIVS *Nazianzenus*, CHRYSOSTOMVS. Sunt igitur inter Græcorum monimenta adulterina:

I.) CLEMENTIS, *romani*, *canones apostolorum*, qui ab apostolis sanciti; a Clemente autem collecti perhibentur: *constitutionum apostolicarum* libri octo: *recognitionum* libri decem, quæ varias inscriptiones præferunt atque adpellantur: nunc *periodi Petri:* nunc *acta Petri:* nunc *itinerarium Clementis de factis et dictis Petri apostoli:* nunc *disputatio*

tatio Petri cum Simone mago; item *homiliae* XIX. quae *Clementina* dici solent: *epitome gestorum Petri.*

II.) IGNATII octo *epistolae*, quarum exstant quinque graece, ad *Mariam*, quae ex Cassobelis, ad *Tarsenses*, ad *Antiochenos*, ad *Heronem*, diaconum Antiochenum et ad *Philippenses*; tres autem latine, quae longe minorem fidem prae se habent, duae ad *Ioannem* euangelistam et tertia ad *Mariam* virginem, cum huius responsione.

III.) IVSTINI *martyris quaestiones et responsiones ad Graecos*, qui liber suppositus: saltem interpolatus esse iudicatur, quia ibi Manichaeorum mentio fit: *quaestionum graecanicarum ad christianos de incorporeo et de deo et de resurrectione mortuorum christianorumque ad eas responsionum liber*, qui adpendicis loco memoratis *quaestionibus ad Graecos* subiungitur; item *ad orthodoxos responsionum ad quasdam christianas quaestiones liber*, quo multa traduntur, quae iuniorem scriptorem produnt, siue ille sit Iustinus Siculus; siue alius quis. Accedit *expositio fidei de recta confessione; siue de sancta consubstantiali trinitate*, qua sunt loquendi formae ac vocabula, Iustini aetate ignota et post exortas Arianorum, Nestorianorum et Eutychianorum haereses quarto demum quintoque seculo nata atque vsurpata. Idem dicendum est de libro, quem de *prouidentia et fide*] contra Euphrasium sophistam scripsisse dicitur, cuius fragmenta, ad nos delata, itidem Nestoriana et Eutychiana tempora produnt:

IV.) ATHENAGORAE opus, in libros decem diuisum, de *vero et perfecto amore*, quod sub eius nomine, veluti, e graeco conuersum, gallice prodiit:

V.) TATIANI *harmonia euangelica*, quam seculo VI. sub Tatiani nomine venditauit Victor, Capuanus, postea latine editam in *orthodoxographis* et *bibliothecis patrum*. Neque altera *harmonia*, quae cum illa coniungi solet, sub AMMONII *Alexandrini* nomine in lucem producta, ad Tatianum, veluti auctorem, referri potest:

VI.) THEOPHILI *Antiocheni* libri quatuor *commentariorum*, qui hodie latine exstant; siue potius scholiorum allegoricorum, non in integra euangelia, sed in varia euangelistarum loca:

VII.)

VII.) CLEMENTIS *Alexandrini adumbrationes;* siue scholia in *epistolas canonicas*, quae ex lingua graeca in latinam translatae atque in lucem editae sunt. Multa ibi habentur falsa, erronea, corrupta; nec difficulter intelligendum est, librum hunc monimentum esse adulterinum:

VIII.) ORIGENIS *liber, philosophumena* inscriptus: *commentariorum libri tres in tria priora Iobi capita: scholia in integrum Iobi librum;* item *lamentum;* siue *planctus Origenis,* quo hic de erroribus suis poenitens inducitur: *scholia in orationem dominicam* et in *cantica beatae virginis*, *Zachariae et Simeonis:* libellus de *singularitate clericorum*, qui inter Cypriani opera locum habere solet: homiliae *in diuersa Matthaei loca* aliaque:

IX.) GREGORII *thaumaturgi expositio fidei prolixior,* contra Arianos praecipue ac Sabellianos composita: *capita* XII. *de fide*, cum anathematismis, qui maxime erroribus Nestorii et Eutychis oppositi sunt: *sermones tres in annunciationem sanctae dei genitricis: sermo in sancta theophania: ad Tatianum de anima λόγος κεφαλαιώδης.*

X.) CYRILLI *Hierosolymitani allegorica expositio rituum quorumdam ecclesiae; siue liturgiae graecae*, cuius graeca inscriptio est: *ἱστορία ἐκκλησιαστικὴ καὶ μυσταγωγικὴ* et *epistola ad Augustinum de miraculis Hieronymi*, quibus nonnulli addunt *homiliam de occursu domini et de Simeone:*

XI.) CYRILLI *Alexandrini* liber *aduersus iudaeos, cum quaestionibus: breuis anagoge de iis, qui floruerunt ante legem: homiliae* XVI. *in leuiticum: homiliae* XIX. *in Ieremiam:* ANASTASII *Antiocheni et* CYRILLI *Alexandrini expositio compendiaria orthodoxae fidei*, per quaestiones ac responsiones; item: *catena in Marcum: apologi morales:*

XII.) ATHANASII *disputatio contra Arium in concilio Nicaeno: sermo contra omnes haereses: historia de Melchisedec: epistola ad Iouianum imperatorem: liber de definitionibus: doctrina ad Antiochum: quaestiones et responsiones* varii generis: *historia imaginis Berytensis: ex libro contra latinos, quod spiritus sanctus e patre solo procedat: syntagma doctrinae* ad monachos omnesque christianos tam clericos; quam laicos: *dialogi quinque de sancta trinitate: opuscula varia viginti*

con-

contra diuersas hæreses. Accedunt alia monimenta, quæ Athanasio falso tribuuntur, vt: *syntagma varii argumenti ad quemdam politicum: didascalia ad monachos lenis et spiritualis:* de *templo Athenarum:* de *corpore et anima:* de *vnita deitate trinitatis*, ad Theophilum libri VIII. *vita et gesta sanctæ Syncleticæ:* de *sancta trinitate* opusculum: de *ratione paschæ* tractatus, vna cum variis homiliis atque epistolis:

XIII.) EPIPHANII liber de *prophetis eorumque obitu et sepultura*, plenus narrationum parum credibilium: *physiologus* de natura ferarum ac volucrum: *homiliæ* VIII. *fragmentum in euangelium Ioannis: apophthegmata: miraculum sacræ eucharistiæ:*

XIV.) BASILII *magni* scriptis adulterinis adnumerari solent: *animaduersiones in canonicos et canonicas peccantes: pœnæ in monachos delinquentes*; item *homilia decima et vndecima in hexaëmeron* de opificio hominis: libellus de *grammatica exercitatione*, pro cuius vero auctore Manuel Moschopulus, longe recentior scriptor, habetur: epistola latina de *consolatione in aduersis*, quæ Victoris Cartensis est: de *laudibus eremi*; siue *vitæ solitariæ* latine, quod fragmentum est ex opere Petri Damiani: *admonitio ad filium spiritualem*, itidem latine: *precatio*, qua Basilius vsus sit, antequam sacris operam dederit: *epistolæ duæ ad Apollinarium: epistola ad Theodosium imperatorem: rationes syllogisticæ* contra Arianos: *expositio fidei* atque alia. Quæ iam memorata monimenta non vere a Basilio relicta; sed ab aliis sub nomine eius diuulgata esse, quamuis plerique eruditi viri statuant; tamen de omnibus non adcurate definiendum est, num germana sint; an falso adscripta:

XV.) GREGORII *Nysseni* varia scripta veluti adulterina adducuntur, vti sunt: *orationes in mulierem peccatricem* et in *principium ieiuniorum*, quas ASTERII Amaseni esse, eruditi viri animaduertunt. His addi solet liber de *trinitate aduersus iudæos*, quoniam ibi Chrysostomus excitetur, qui post Nysseni tempora floruerit; quum autem explicatio dicti *Io.* XIX, 34: qua Chrysostomi mentio fit, in græco libri huius textu, a LAVRENTIO ALEXANDRO ZACAGNIO *collectione monimentorum veterum eccle-*

siae

ſiae graecae ac latinæ * primum edito, haud legatur, nullum argumentum ex Chryſoſtomi mentione contra ſcriptum hoc ſumi poteſt:

XVI.) GREGORII *Nazianzeni metaphraſis*; ſiue *translatio in eccleſiaſten*, quæ inter *orationes* eius eſt quinquageſima tertia et auctorem habet Gregorium thaumaturgum; præter *metaphraſin* autem, *chriſtus patiens*, *tragœdia*, quam ab Apollinari ſeniore ſcriptam eſſe, eruditi viri ſuſpicantur:

XVII.) IO. CHRYSOSTOMI ſcripta falſa; ſiue adulterina quæ illa ſint, doctiſſimi viri non plane conſentiunt ac quæ alii monimenta germana eſſe pronuntiant; ea alii monimentis falſis adnumerant; aut rem dubiam eſſe, iudicant. Videbimus id, vbi diuerſos auctores, qui de ſcriptis his expoſuerunt, adire et diuerſas eorum editiones inter ſe conferre velimus.

§. VII.

Fuerunt quoque, qui *latinis* eccleſiæ patribus ac ſcriptoribus monimenta varii generis ſupponerent. Conſtat id de TERTVLLIANO, CYPRIANO, HILARIO, AMBROSIO, HIERONYMO, AVGVSTINO, PAVLLINO, LEONE *magno*, CASSIODORO. Scripta ipſa, doctoribus his antiquioribus falſo attributa, nunc eadem ratione, qua antea ſimilia Græcorum monimenta enarraui, recenſere, mihi animus eſt. Memoranda loco hoc ſunt ſcripta ſuppoſita:

I.) TERTVLLIANI libellus de *hæreſibus*, qui commentationi de *præſcriptione aduerſus hæreticos*, veluti adpendix a capite XLV. vsque ad finem adiungi ſolet: *poëmata*, quæ IACOB. PAMELIVS Tertulliano tribuit, *geneſis* nimirum et *Sodoma: carmen ad ſenatorem: libri quinque aduerſus Marcionem* et liber de *iudicio domini:* **

II.) CYPRIANI de *paſcha computus:* liber de *ſpectaculis:* de *diſciplina et bono pudicitiæ:* de *laude martyrii ad Moyſen et Maximum*: de *cardinalibus chriſti:* de *aleatoribus:* de

* p. 288.
** ALLIXIVS *diſſertation. de vita et ſcriptis Tertulliani cap.* X. p. 81.

de *ſingularitate clericorum : expoſitio in ſymbolum apoſtolicum* et alii libelli cum quibusdam carminibus et orationibus. Non tamen conſenſio eſt doctiſſimorum virorum de omnibus commentationibus his, eas iure ad ſuppoſita ingenii monimenta referri: *

III.) HILARII *epiſtola ad Auguſtinum :* alia ad *eumdem,* quæ Hilarii cuiusdam iunioris eſſe videntur: *carmen in geneſin: epiſtola ad Abram filiam:* liber de *patris et filii vnitate*, ex HILARII libris *de trinitate ſecundo et nono:* liber *de eſſentia patris et filii* ex iisdem libris de *trinitate* eorumque *ſeptimo* et *octauo.*

IV.) AMBROSII *tractatus de* XLII. *manſionibus filiorum iſrael: commentarius in epiſtolas Paullinas : tractatus in ſymbolum apoſtolorum;* ſiue vt habent codices manuſcripti, de *trinitate et reſurrectione;* item de *filii dei diuinitate et conſubſtantialitate;* ſiue de *fide orthodoxa* contra Arianos: libellus de *dignitate ſacerdotali: tractatus ad virginem deuotam: ſermones de tempore, de ſanctis* aliique*: precationes duæ ad miſſam præparatoriæ: expoſitio in apocalypſin :* liber de *pœnitentia:* libellus de *ſpiritu ſancto:* tractatus de *concordia Matthæi et Lucæ in genealogia chriſti.* Præter hæc, memorantur alia, Ambroſio male tributa. In his ſunt libri de *vocatione gentium: tractatus de origine et moribus Brachmannorum: acta ſancti Sebaſtiani martyris:* liber de *vitiorum ac virtutum conflictu: expoſitio fidei ſymboli Nicæni: exhortatio ad pœnitentiam : ſermo de purificatione Mariae:*

V.) HIERONYMI opuſcula, falſo ipſi adſcripta, IO. MARTIANAEVS collegit ac in HIERONYMI *operum tomo quinto* coniunctim exhibuit, in tres claſſes; ſiue partes diſtributa, ita vt prima complectatur epiſtolas, quarum auctores ignorantur: ſecunda ſcripta, quæ ſuis titulis proprios teſtantur auctores: tertia monimenta, quæ ſuos ſcriptores piæ ſe ferunt; parum autem docta habentur. In opuſculis tamen his quædam, itidem adulterina omiſſa ſunt inque his locum habent: I.) *comes;* ſiue *lectionarius*, qui editus

* BELLARMINVS de *ſcriptoribus eccleſiaſtic.* p. 47. LABBEVS de *ſcriptorib. eccleſiaſtic. part.* I. p. 239. FELLVS *præfat. operibus Cypriani* præmiſſa.

editus eſt a IACOBO PAMELIO: * II.) *indiculus de haereſibus*, in lucem emiſſus a CLAVDIO MENARDO, Pariſiis MDCXVII. 8. de quo pluribus exponit THOM. ITTIGIVS: ** III.) *martyrologium*, quod ſub Hieronymi nomine vulgatum illuſtratumque eſt a FRANCISCO MARIA FLORENTINIO, Luc. MDCLXVIII. fol. et ante eum a LVCA DACHERIO: *** IV.) *commentarii in omnes pſalmos*, quos Hieronymi haud eſſe, de eo omnes fere conſentiunt resque ipſa hoc haud obſcure indicat, quum exponendi ac ſcribendi genus ab indole ac conſuetudine Hieronymi alienum eſt:

VI.) PONTII PAVLLINI *carmen eucbariſticum de vita ſua:* libri ſex de *vita ſancti Martini: epiſtola ad Fauſtum Rhegienſem* de variis quæſtionibus:

VII.) AVGVSTINI liber de *grammatica: principia dialecticæ: categoriæ decem: principia rhetoricæ:* de *vita eremitica ad ſororem;* item libri tres de *mirabilibus ſacræ ſcripturæ:* de *benedictionibus patriarchæ Iacob: quæſtiones veteris et noui teſtamenti: in apocalypſin Ioannis expoſitio: ſermones* multi: liber de *ſpiritu et anima:* liber de *amicitia:* liber de *diligendo deo:* liber *ſoliloquiorum animæ ad deum:* liber de *contritione cordis*: varia ſcripta polemica, vti ſunt: *aduerſus quinque hæreſes: contra iudæos, paganos et Arianos ſermo de ſymbolo:* de *fide contra Manichæos*, liber *contra Felicianum Arianum de vnitate trinitatis: quæſtiones de trinitate et geneſi:* liber *contra Fulgentium Donatiſtam: hypomneſticon contra Pelagianos et Cœleſtinos*, ac plura alia monimenta, quæ ſcriptis, Auguſtino falſo tributis, itidem adnumerantur; cuncta autem hæc ſigillatim recenſere, res eſt, vti exiſtimo, ſuperuacanea: *

VIII.)

* *liturgicor. tom.* II. p. I.
** *præfation. diſſertation. de hæreſiarch.* p. 4.
*** *tom.* II. *ſpicileg.* p. I.
* Benedictini monachi in editis AVGVSTINI *operibus* ſcripta eius adulterina a germanis ſedulo diſtinxerunt atque in adpendices, ſingulis tomis ſubiunctas, transtulerunt. Copioſe de illis expoſuit NATALIS ALEXANDER *hiſtor. eccleſiaſtic. ſecul.* V. *cap.* 4. §. 3. p. 107.

VIII.) LEONIS *magni* in *natali ſancti Vincentii martyris ſermo:* in *natiuitate domini ſermo*: in *aſcenſione domini:* in *natiuitate ſanctorum apoſtolorum Petri et Paulli: tractatus aduerſus errores Eutychis et aliorum*: *epiſtola de chorepiſcoporum priuilegio:* *

IX.) CASSIODORI *expoſitio in cantica canticorum:* liber de *ſchematibus et tropis; nec non et quibusdam locis rhetoricis ſacræ ſcripturæ, quæ paſſim in commentariis Caſſiodori in pſalmos reperiuntur:* liber de *amicitia vera: ſanctorum Paphnutii, Spiridonis et aliorum vitæ.*

§. VIII.

Quæ iam de libris patrum eccleſiæ adulterinis breuiter tradidi, ea doctiſſimi viri ſingulari ſtudio enarrarunt ac de ſcriptis his vberius expoſuerunt; ea tamen ratione, vt adferrent interdum, quæ non ſatis firma ſunt: quid de auctoribus ſit ſtatuendum, non definiant remque non certam; ſed probabilem tantum ac dubiam reddant. In ſolis coniecturis omnino nonnumquam adquieſcere debemus hancque ob cauſſam diſtincte indicandum eſt, alia monimenta certe; alia probabiliter falſorum ſcriptorum nomina præ ſe ferre.

Argumentum de ſcriptis, patribus ſacri ordinis falſo tributis hancque ob rem a germanis eorum monimentis diſtinguendis, doctiſſimi viri ſingulari induſtria enarrarunt hancque in rem varia ſcripta in lucem emiſerunt. Locum in illis habent:

ANDREAE RIVETI *critici ſacri libri quatuor, in quibus expenduntur, confirmantur, defenduntur; vel reiiciuntur cenſuræ doctorum, tam ex orthodoxis; quam ex pontificiis, in ſcripta, quæ patribus plerisque priſcorum et puriorum ſeculorum incogitantia; vel error adfinxit; aut dolus malus ſuppoſuit*, qui libri ſæpius prodierunt, cum ſeparatim MDCXII. MDCXXV. MDCXLI. MDCLX. MDCXC. 8. Geneuæ, Lipſiæ et aliis locis; tum coniunctim cum reliquis

* opuſcula hæc ſunt, quæ QVESNELLIVS in LEONIS *operibus*, ab ipſo editis, ſcriptis adulterinis adnumerauit.

quis eius ſcriptis. * Præmiſſus eſt *tractatus de patrum auctoritate, errorum cauſſis et nothorum notis*, cuius iam antea mentionem feci. Incipit Riuetus ab epiſtola, quam ſeruator noſter ad Abgarum ſcripſiſſe dicitur, ac definit in GREGORII *magni* libris:

ROBERTI COCI *cenſura quorumdam ſcriptorum, quæ ſub nominibus ſanctorum et veterum auctorum a pontificiis in quæſtionibus, potiſſimum hodie controuerſis, citari ſolent, in qua oſtenditur, ſcripta illa vel eſſe ſuppoſititia; vel dubiæ ſaltem fidei*, quæ non ſemel; ſed iterum iterumque in lucem exiit, Londini nimirum MDCXIV. 4. ibidem MDCXXIII. 4. Helmſtadii MDCLXXXIII. 8. cura *Gebhardi Theodori Meieri.* ** Liber ipſe non contemnendus eſt ac præbet omnino vtilitatem. De ſcriptis, quæ auctor ſuppoſita eſſe; aut dubiam fidem præferre exiſtimat, ipſorum plerumque pontificiorum teſtimonia adferuntur. Quando PHILIPPVS LABBEVS *** iudicat, COCI hanc *cenſuram cum critico Riueti, medulla Sculteti, Hottingeri rhapſodia ceter. in caſtellum lethes, vnde nefas egredi, procul ablegandam eſſe*, confirmat iniquitatem illius erga omnes, qui a præſule romano abhorrent, ſatis iam notam ac cum ſumma petulantia coniunctam:

IO. HENRICI HOTTINGERI *elenchus; ſeu catalogus ſcriptorum ſuppoſititiorum*, * in quo non tantum patrum per quinque priora ſecula; ſed etiam iudæorum ac paganorum hominum, itemque patriarcharum, prophetarum, chriſti quoque atque apoſtolorum virorumque apoſtolicorum ſcripta ſuppoſita breuiter recenſet. ** Addi et poteſt: GVIL. PERKINSI liber de *romanæ fidei ementito catholiciſmo.****

* *tomo* II. *oper. theologicor.* p. 1041.

** præter has, aliæ editiones memorantur, annorum quippe MDCXLI. MDCLV.

*** *bibliothec. bibliothecar.* p. 186.

* eſt in eiusdem *diſſertationum miſcellanearum pentade*, Tiguri MDCLIV. 8.

** NICERONII *memoires tom.* VIII. p. 127.

*** locum habet in illius *operibus theologic.* quæ anglice ac latine lucem viderunt.

§. IX.

Singularem ordinem et iis patrum ecclefiæ fcriptis adfignare, licet, quæ mea fententia *controuerfa* ac *dubia* adpellari poffunt, quoniam de eorum auctoribus disputatur aliique adfirmant, compofita ifta omnino a fcriptoribus, quorum nomina præ fe ferunt ac pro illis, tamquam monimentis germanis, pugnant; alii autem hoc negant ac de quibus difputatio fit, libros effe adulterinos ftatuunt. In difceptatione hac res interdum manet dubia, quando argumenta vtriusque partis eadem probandi virtute valent; aut non multum vi fua differunt. In numero horum fcriptorum funt:

1.) CLEMENTIS *romani* duæ *epiftolæ ad Corinthios.* Priorem nonnulli monimentis adulterinis adnumerant, IO. TOLANDVS, * IO. HVLSEMANNVS, ** ABR. CALOVIVS, *** CHR. AVG. SALIGIVS * atque alii; plerique autem refragantur illis ac grauioribus argumentis inftructi, merito adfirmant, epiftolam hanc vere a Clemente fcriptam effe. De pofteriore epiftola fententiæ doctiffimorum virorum itidem inter fe difcrepant. Sunt, qui ei eamdem auctoritatem cum priore tribuunt; ceteri autem omnes fcriptores repugnant ac pretium harum litterarum multum imminuunt: immo negant, Clementem auctorem earum effe, qua de re legendus eft: THOM. ITTIGIVS. ** Noftra ætate fub CLEMENTIS huius nomine duæ aliæ *epiftolæ*, antea ignotæ, ex codice manufcripto noui teftamenti fyriaci cum latina interpretatione a IO. IACOBO WETSTENIO in lucem editæ funt. Quum enim ille dictum codicem accepiffet ibique epiftolas has inueniffet, iuris publici eas fecit atque editioni fuæ noui teftamenti græci,

* *catalog. librorum, chrifto et apoftolis adfcriptorum cap.* XVIII. *tom.* I. p. 392.

** in *dem calixtinifchen gewiffenswurm* p. 940.

*** *bibl. illuftrat. tom.* IV. p. 250.

* de *diptychis veterum* p. 39.

** *differtation. de patribus apoftolic.* quæ eiusdem *bibliothecæ patrum apoftolicorum* præmiffa eft, p. 252.

graeci, Amſtelodami MDCCLI. fol. emiſſæ, adiunxit aliisque perſuadere ſibi ſumſit, epiſtolas has vere Clementis eſſe, duabus maxime inductus rationibus: altera Hieronymi: altera Epiphanii auctoritate. Epiſtolæ hæ ſeparatim lucem viderunt, ſub titulo: *duæ epiſtolae Clementis romani, diſcipuli Petri apoſtoli, e codice manuſcripto noui teſtamenti ſyriaci nunc primum erutae, cum verſione latina*, Lugduni Batauorum, MDCCLIV. fol. * Reiectæ illæ ſunt, tamquam ſcripta ficta ac ſuppoſita, ob rationes grauiores, in variis monumentis erudite enarratas. Reſtitit NATHAN. LARDNERVS et diſſertationem oppoſuit, lingua anglica compoſitam atque ita inſcriptam: *a diſſertation vpan the two epiſtles aſcribed to Clement of Rome, lately publis hed by mr. Wetſtein, with large extracts ont of them and an argument ſchewing them not to be genuine by Nathaniel Lardner*, Londini MDCCLIII. 8. quæ multum ſe commendauit. ** Præcipue ad Wetſtenii aduerſarios adiunxit ſe: HENRICVS VENEMA ac tres *epiſtolas* ad vſum publicum transtulit. Prima inſcripta eſt: *epiſtola ad virum celeberrimum P. Weſſeling, qua duas Clementis epiſtolas, ad calcem noui teſtamenti nuper publicatas, Epiphanio et Hieronymo notas fuiſſe, in dubium vocatur et de ſcopo poſterioris ſic dictae epiſtolae Clementis ad Corinthios diſſeritur*, Harlingæ MDCCLIV. 8. *** Cauſſam ſuam vt ageret contra aduerſarium hunc, WETSTENIVS euulgauit: *epiſtolam ad H. Venema de duabus Clementis romani ad virgines epiſtolis, ex codice ſyriaco nuper editis*, Amſtelodami MDCCLIV. 8. * Reſpondit VENEMA in *epiſtola ſecunda de genuinitate epiſtolarum Clementis, a Wetſtenio publicatarum ad T. Hemſterhuis, qua pro ſecundo contra has epiſtolas dubio, nonnulla ex* O 3 *ipſis*

* *acta eruditor.* MDCCLVI. p. 30. KRAFTII *theologiſche bibliothec volumin.* X. p. 117. BAVMGARTENII *nachrichten von merkwürdig. büchern volum.* IV. p. 117.

** BAVMGARTENII *nachrichten von merkwürdigen büchern volum.* IV. p. 398. KRAFTII *theol. bibliothec volum.* X. p. 756.

*** *bibliotheque des ſciences tom.* II. *part.* I. p. 51. KRAFTII *theolog. bibliothec. volum.* XI. p. 206. *acta eruditor.* MDCCLVI. p. 33.

* *bibliothequ. des ſciences tom.* II. *part.* I. p. 64. KRAFTII *theol. bibliothec volum.* XI. p. 207.

ipsis illis proferuntur, a Clementis persona et tempore alieniora et de virginitatis conspectu secundum patres apostolicos et ecclesiasticos disseritur; nec non auctorem secundae sic dictae epistolae Clementis ad Corinthios, alium esse et eo posteriorem demonstratur, Harlingæ 8. * Præter has duas epistolas edidit VENEMA *tertiam epistolam de genuinitate epistolarum Clementis, a Wetstenio publicatarum, ad Henric. Cannegieter, qua pro tertio contra has epistolas dubio, alia a Clemente romano aliena et eius temporibus posteriora in medium adducuntur et generalia auctoris eiusque aeui criteria tanguntur*, Harlingæ 8. ** Ad rem illustrandam consuli potest: IO. GOTTLIEB. FREVDENBERGERI commentatio, qua *historiam recentioris controuersiae de Clementis romani epistolis* exhibet, Lipsiæ MDCCLV. 4.

II.) *canones apostolorum*, quos, si non omnes; quosdam tamen eorum apostolos reliquisse ac Clementem romanum collegisse, nonnulli statuunt, non solum inter pontificios; sed etiam GVIL. WHISTONVS, quem in eo posuisse operam, vt cum *constitutionibus* etiam *canones apostolicos* ad apostolos, tamquam auctores, referret iisque diuinam tribueret auctoritatem, constat. Alii repugnant negantque, canones hos monimentum esse apostolorum hæcque est communis sententia nostrorum ac reformatorum scriptorum. Immo inter ipsos pontificios fuerunt, qui idem aperte faterentur. Satis monstrarunt eruditi viri, canones hos esse suppositos, hancque in rem argumenta adtulerunt euidentia ac magna probandi vi prædita. Disputatum est de illis non solum superiore; sed etiam nostra ætate ac singularia scripta vtriusque partis in lucem prodierunt, quæ alibi a me enarrata sunt: ***

III.) *constitutionum libri octo*, quos tamquam germanum monimentum apostolorum ac Clementis romani defendunt nonnulli inter præsulis romani adsectatores atque inter Anglos GVIL. WHISTONVS. Opinio hæc satis est profligata atque eruditissimi viri abunde monstrarunt, longe eos

* KRAFTII *theolog. bibliothec. volum.* XI. p. 305.
** ibidem.
*** *histor. ecclesiastic. noui testament.* p. 328.

eos a veritate aberrare, qui perſuadent ſibi, *conſtitutiones* has ab apoſtolis eſſe profectas et a Clemente romano collectas, qua de re alio loco * copioſius diſſerui:

IV.) IGNATII *epiſtolæ*, de quibus multa diſputata ſunt, maxime in Anglia. Fuerunt primum, qui ſingulas eius epiſtolas, tamquam confictas ac ſuppoſitas, reiicerent, inque his locum ſibi fecerunt non ſolum apud Anglos epiſcopalis dignitatis oppugnatores; ſed etiam alii, qui illos ſequuti ſunt, nominatim: CLAVDIVS SALMASIVS, ** DAVID BLONDELLVS, *** IO. DALLAEVS, * SAMVEL BASNAGIVS, ** GVIL. ERNESTVS TENTZELIVS *** atqne alii. * Quum ſeptem epiſtolæ Ignatii, quæ in monimentis germanis ac fide dignis numerantur, interpolatæ ac per additamenta deprauatæ ſunt; ex eo autem natum eſt diſcrimen, quo aliæ harum epiſtolarum adpellantur *breuiores*; aliæ *longiores*, nonnulli has illis præferunt, inprimis Guil. Whiſtonus. ** Sed non defuerunt, qui communem ſententiam, Ignatium omnino litteras exaraſſe atque ad poſteros detuliſſe; has autem non longiores, quæ exſtant; ſed breuiores eſſe, defenderent ac pro illa armis bene inſtructi pugnarent. Legendi ſunt hanc in rem: IO. PEARSONIVS, *** HENRIC. HAMMONDVS, * GVIL.

 CAVE-

* *dicto loco* p. 331.

** *diſſertatione de epiſcopis et presbyteris*, ſub WALONIS MESSALINI nomine edita, et *adparat. de primatu papæ* p. 56.

*** *apologia pro ſententia Hieronymi de epiſcopis et presbyteris.*

* variis libris, præcipue de *ſcriptis Dionyſii Areopagitæ et Ignatii Antiocheni libr.* II. *cap.* 4. ſqq. p. 240.

** *annal. politico-eccleſ. tom.* II. p. 21.

*** *exercitation. ſelect. part.* I. p. 58.

* adducti a me *hiſtor. eccleſiaſtic.* p. 584. ſq.

** *tentamine de epiſtolis Ignatii,* anglice edito Londin. MDCCX. *actor. eruditor. ſupplement. tom.* V. p. 159.

*** in *vindiciis Ignatianis*, quæ Cantabrigiæ MDCLXXII. prodierunt ac poſtea in COTELERII *bibliothecam patrum apoſtolicor.* translatæ ſunt.

* de *epiſcopatus iuribus diſſertat.* II. *cap.* I. ſqq.

CAVEVS,* IO. ERNEST. GRABIVS,** IO. CLERICVS,*** DIONYSIVS PETAVIVS,* ac præter hos, ISAAC. VOSSIVS,** IACOB. VSSERIVS,*** IO. BAPTIST. COTELERIVS * atque alii.

V.) IVSTINI *martyris dialogus cum Tryphone iudæo*, quem Iuſtinum vere compoſuiſſe, de eo nullus eruditorum dubitauit; multo minus negauit, niſi CHRISTIAN. GOTTLIEB. KOCHIVS, qui librum inſcriptum: *Iuſtini martyris cum Tryphone iudæo dialogus, ſecundum regulas criticas examinatus et νοθεύσεως; ſeu falſitatis et ſuppoſitionis ſuſpectus atque conuictus*, Kilonii MDCC. 8. ** euulgauit ac temere ſibi ſumſit, contra apertam ſatisque probatam veritatem, Iuſtinum martyrem dialogi huius auctorem eſſe, pugnare. Multi bellum illi indixerunt. Ex quo adductus liber Kochii in conſpectum publicum venerat, ALBERTVS A FELDE in lucem emiſit: *ad eruditiſſimum atque clariſſimum virum, Chriſtianum Gottlieb. Koch de dialogo Iuſtini martyris cum Tryphone iudæo epiſtolam*, Sleswici MDCC. 8.*** Reſponſio pro Kochio data eſt a GODOFREDO WAGNERO in *epiſtola ad Albertum de Felde de Iuſtini martyris cum Tryphone iudæo dialogo, vere ſuppoſito*, Francofurti MDCCI.* Fuerunt tamen alii, qui ei reſiſterent, nominatim ERNEST. SALOM. CYPRIANVS *notis ad Hie-*

* *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſtic. tom.* I. p. 41.
** *ſpicileg. patrum ſecul.* II. *tom.* I. p. 5.
*** *diſſertatione, in qua quæritur, vtræ genuinæ ſint Ignatii epiſtolæ, breuioresne; an prolixiores*, contra Whiſtonum, quæ eſt in COTELERII *bibliothec patrum apoſtolic. tom.* II. *part.* 2. p. 501.
* de *eccleſiaſtica hierarchia libr.* V. *cap.* 8. *tom.* IV. *theologic. dogmat.* p. 161.
** *epiſtolis de Ignatio* apud COTELERIVM *patr. apoſtolic. tom.* II. p. 441.
*** *diſſertationibus de Ignatii martyris epiſtolis*, itidem apud COTELERIVM *patr. apoſtolic. tom.* II. p. 199.
* in *iudicio de epiſtolis Ignatii*, in eiusdem *bibliotheca patrum apoſtolicor. tom.* II. p. 9.
** *actor. eruditor. ſupplementor. tom.* III. p. 443.
*** *actor. eruditor. ſupplementor. tom.* III. p. 445.
* *acta eruditor.* MDCCV. p. 151.

Hieronymum de scriptoribus ecclesiasticis: IO. FRANCISC. BVDDEVS *dissertatione de hæresi Valentiniana*, quæ eiusdem *introductioni ad historiam philosophiæ Ebræorum* adiuncta est: auctores *relationum nouantiquarum.* * A quibus aduersariis KOCHIVS se defendere adnisus est atque in lucem protulit: *censuram iniquæ et temerariæ censuræ, quam Ernestus Salom. Cyprianus, Io. Franciscus Buddeus et nonnemo de dialogo Iustini martyris cum Tryphone iudæo, secundum regulas criticas examinato et νοθεύσεως conuicto, tulerunt*, Lipsiæ MDCCIV. 8. opposuit autem ipsi ALBERTVS A FELDE *inuictas demonstrationes pro Iustini dialogi γνησιότητι vindicanda*, Hamburgi MDCCVII. 8. et antea contra Kochium edidit ERNEST. SALOM. CYPRIANVS: *vindicias Iustinianeas; siue pro Iustini martyris dialogo cum Tryphone dissertationem apologeticam*, Ienæ MDCCV. 8. ** Quorum antea mentionem feci, auctores *relationum nouantiquarum* itidem progressi sunt in animaduersione censoria contra Kochium; *** pro Kochii autem sententia lucem vidit scriptum, cuius titulus est: *demonstrationes Alberti a Felde deuictæ et profligatæ a. C. T. M.* Flensburgi MDCCIX. 8. *

VI.) CYPRIANI *epistola ad Stephanum papam*, qua Cyprianus istum hortatur, vt Marciano Arelatensi, Nouatiani sectatori, resistat. De *epistola* hac disceptarunt eruditissimi viri. Postquam enim præcipue IO. LAVNOIVS ** negauerat, Cyprianum illam exarasse atque ad opinionem suam probandam multa argumenta congesserat; *** nactus est aduersarios non paucos, qui illum confutarent atque

 osten-

* 1701. p. 344.

** *iournal des sauans* MDCCVI. *mai.* p 458.

*** 1704. p. 423.

* quæ in lite hac ab vtraque parte scripta ac disputata sunt, eorum commemorationem faciunt: FABRICIVS *bibliothec. græc. libr.* V. *cap.* I. *volum.* 5. p 57. ITTIGIVS *select. histor. ecclesiastic. capit. secul.* II. *cap.* I. §. 7. p. 7. STOLLIVS in *der nachricht von den leben, schriften vnd lehren der kirchenväter* p. 53.

** *discussione de duobus Dionysiis cap.* V. p. 54.

*** argumenta hæc diligenter recenset OVDINVS *commentar. de scriptoribus ecclesiastic. tom.* I. p. 276.

ostenderent, Cyprianum omnino auctorem esse dictae *epistolae.* Qui sentiunt pro ista, ex numero eorum nominasse sufficiat: PASCHASIVM QVESNELLVM, * STEPHANVM BALVZIVM, ** THOMAM ITTIGIVM, *** LVDOVIC. ELL. DV PIN * hisque MENARDVS, RIGALTIVS, FELLVS, NATALIS ALEXANDER atque alii adiungantur. **

VII.) liber de *mortibus persequutorum*, qui ob auctorem suum etiam in disceptationem venit. Primus illum STEPHANVS BALVZIVS in lucem produxit ex vetustissimo codice bibliothecae Colbertinae, sub titulo: *Lucii Caecilii Firmiani Lactantii liber ad Donatum confessorem de mortibus persequutorum*, notisque illustrauit. *** Ex quo liber hic prodierat, ille communi eruditorum virorum consensione reliquis germanis scriptis Lactantii adnumeratus; nec solum cum illis coniunctim; sed etiam separatim in lucem editus est. Qui ita statuunt, Lactantium esse auctorem, illi argumenta sua ab aetate, a loco Nicomediae, a Donato, cui liber dicatus est, a stilo, a re pertractata atque aliis rationibus sumunt ac conclusionem efficiunt satis firmam. Ab hac sententia discessit NICOLAVS NOVRRIVS, * ea maxime caussa adductus, quoniam in codice Colbertino auctor non *Firmianus Lactantius;* sed *Lucius Caecilius* adpelletur atque ex eo conficiendum sit, scriptorem a Lactantio plane diuersum esse; illi tamen aetate aequalem, nomine non Lactantium; sed *Lucium Caecilium.* Librum ipsum separatim in lucem emisit ac dissertationem addidit, qua disputatur, Lactantium non esse illius auctorem. Inscriptio est: *L. Caecilii liber ad Donatum confessorem de mortibus persequu-*

* *dissertatione* v. *ad Leonem magnum.*
** *notis ad Cypriani epistolam* LXVII. p. 486.
*** *obseruation. miscellan.* quae eiusdem *operum Clementis Alexandrini supplemento* additae sunt, *numer.* IV. p. 209.
* *nouuell. bibliotheq. des auteurs ecclesiastiqu. tom.* I. p. 162.
** legendi et sunt hac de re: REISERVS in *Launaio, teste et confessore veritatis euangelico catholicae* p. 795. et MATHOVDVS de *vera Senonum origine christiana* p. 365.
*** *miscellaneorum libro* II. p. I. et 345. Parisiis MDCLXXIX.
* singulari *dissertatione*, quam paullo post adducam.

sequutorum, *hactenus L. Cælio Firmiano Lactantio adscriptus, ad Colbertinum codicem denuo emendatus. Accessit dissertatio, in qua de huius libri auctore disputatur et omnia illius loca dubia, difficilia, obscura variæque auctoris opiniones examinantur, explicantur, illustrantur*, Parisiis MDCCX. 8. Dissertationem hanc denuo litteris describendam curauit in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum.* * Nactus est aduersarios, qui sententiam eius repellerent. Memorari præcipue debet MATVRINVS VEISSERIVS LA CROSE, cuius lucem viderunt: *reflexions sur la nouuelle edition du traite de la mort des persecuteurs, imprimé auec vne dissertation de Nicolas Nourry.* ** Defendere se voluit NOVRRIVS in *epistola*, quam hac de re exarauit; *** parum autem feliciter caussæ suæ consuluit. Minus ille impedire potuit, quominus plures hostes arma aduersus eum ferrent. In his sunt: IO. ALBERT. FABRICIVS, * DAN. MAICHELIVS, ** CHRIST. AVGVST. HEVMANNVS *** atque alii. * Ac certe argumenta, quibus NOVRRIVS ad opinionem suam stabiliendam vtitur, maxime leuia sunt ac quamuis pro plane certo haud adfirmari liceat, Lactantium composuisse librum de *mortibus persequutorum*; dicendum tamen est, qui hoc statuant, eos summam probabilitatem præ se ferre:

VIII.) DIONYSII *pseudo-Areopagitæ opera*, quæ sæpius prodierunt, vel latine; vel græce; vel græce ac latine con-

iun-

* *tom.* II. p. 1643. confer. PFAFFII *præfation. ad Lactantii epitomen institution. diuin.* Paris. MDCCXII. 8.

** exstant in *iournal literaire tom.* VII. p. I. sqq. Refutationis auctorem esse LA CROSE, relatum legimus in *histoire de la vie de mr. la Crose*, Amstelodami MDCCXLI. p. 137. FABRICII *bibliothec. latin. volum.* III. p. 404. atque in aliis libris.

*** in *iournal des sauans* MDCCXVI. *iun.* p. 698.

* *notis ad Hieronymum de viris illustrib. cap.* LXXX. p. 166.

** de *bibliothecis Parisiensib.* p. 187.

*** *dissertatiuncula contra Nicol. Nourrium, librum de mortibus persequutorum Lactantio abiudicantem*, quam LACTANTII *symposio* p. 211. adiecit.

* exstat quoque: *dissertation, que le liure de la mort des persecuteurs est de Lactance*, in *les singularitez historiques et litteraires tom.* I. p. 225.

iunctim, quibusue in alias linguas transferendis; vel explicandis et illustrandis tot eruditi viri operam suam consecrarunt. Sunt in illis libri de *hierarchia cælesti:* de *hierarchia ecclesiastica:* de *diuinis nominibus:* de *theologia mystica* atque *epistolæ*. Ea germana esse monimenta, a Dionysio Areopagita Atheniensi, cuius Lucas *actor.* XVII, 34. meminit, omnino composita, communis fuit sententia apud romanæ ecclesiæ socios, præsertim in temporum tenebris, ac quamuis postea, quum litterarum lux oriretur, plerique aliter hac de re statuerent atque ab opinione, antea probata, discederent; fuerunt tamen et recentiore ætate, qui Dionysio Areopagitæ *opera* hæc adscriberent. Quorumdam tantum, qui ad ordinem hunc pertinent, commemoratio sufficiat, nominatim: MARTIN. ANTON. DELRIONIS in *vindiciis Areopagiticis*, contra Iosephum Scaligerum, Antuerpiæ MDCVII. 8. * PETRI LANSSELII *dissertation. apologetica de Dionysio Areopagita eiusque scriptis:* ** PETRI HALLOIXII in *notis ad vitam Dionysii:* *** NATALIS ALEXANDRI *dissertatione de operibus Dionysii:* * EMANVEL A SCHELSTRATE ** atque aliorum, quos prætereo. Attamen addo: LAVRENTII COZZAE *vindicias Areopagiticas*, Romæ MDCCII. 4. *** ac *dissertation sur saint Denis l'Areopagite, ou l'on fait voir, que ce saint est l'auteur des ouurages, qui portent son nom*, Parisiis MDCCII. 8. * Repugnant his alii nuncque omnes fere eruditi viri de eo consentiunt, Dionysii Areopagitæ *opera* esse adulterina illumque minus habere auctorem. Argumentis nituntur, quæ non leuia; sed grauia sunt ac magnam probandi vim præ se ferunt. Ac quis credat, Dionysio Atheniensi opera hæc tamquam scriptori vero recte tribui,

---

* ex *vindiciis* his testimonia pro Dionysii operibus adlata sunt in eorumdem editione *Corderii tom.* II. p. 448.

** itidem dicta editione *tom.* II. p. 469.

*** *ibidem tom.* II. p. 252.

* quæ est in eius *histor. ecclesiastic. secul.* I. *dissertation.* 22. p. 223.

** *dissertatione apologetica de disciplina arcani* p. 108.

*** *acta eruditor.* MDCCIII. p. 401.

* *memoires de Treuoux* MDCCII. *august.* p. 106. *iournal des sauans* MDCCII. *mart.* p. 285. *acta eruditor.* MDCCIV. p. 168.

tribui, quum in illis habeantur, quae neque aetati apostolicae; neque Dionysio illi Areopagitae, menti atque ingenio eius conueniunt. Agitur in istis de ritibus baptismi, de liturgiae adparatu, de catechumenis, de poenitentibus et energumenis, post scripturae lectionem dimissis: de thurificationibus, a pontifice peractis: de certis poenitentium locis, de monachorum ac coenobitarum ordine: de ritibus funerum atque aliis ceremoniis. Accedit, quod per priora a christo nato secula altum de his Dionysii scriptis silentium deprehendatur, si quosdam, non germanos, libros excipiamus, qui quum innotescere coeperunt, non statim ab omnibus adprobati et recepti sunt. De tempore, quo scripta haec Dionysio supposita atque edita sint, non omnes quidem consentiunt; plerique tamen illa ad seculum quartum; aut quintum referunt. Omnia haec pluribus multi doctissimi ac celeberrimi viri explanarunt. Spectant huc ex ipsis praesulis romani sectatoribus: IO. LAVNOIVS:* NICOL. LE NOVRRY,** LVDOVIC. ELL. DV PIN,*** SEBAST. NANVS TILLEMONTIVS.* Qui ex reformatae ecclesiae sociis aliter sentiat, nullus erit. Inter illos, qui in argumento hoc diligenter atque adcurate versati sunt, princeps est IO. DALLAEVS *libris duobus de scriptis, quae sub Dionysii Areopagitae et Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur*, Geneuae MDCLXVI. 4. eique adiungi possunt: IACOBVS VSSERIVS, cuius exstat: *dissertatio de pseudo-Dionysii scriptis:*** ANDREAS RIVETVS,*** CASIMIRVS OVDINVS.* Ex nostratibus industriam atque eruditionem suam hac in re praeter alios probarunt:

IO.

* in *iudicio de libris, Dionysio Areopagitae inscriptis*, quod additum est eiusdem *vitae Dionysii Areopagitae*, *tom.* II. *oper. part.* I. p. 558.

** *adparat. ad bibliothec. maxim. patrum tom.* I. *libr.* I. *dissert.* 10. *cap.* 2.

*** *bibliothequ. des auteurs ecclesiastiqu. tom.* I. p. 34.

* *memoires pour seruir a l'histoire ecclesiastiqu. tom.* II. *part.* I. p. 436.

** quae locum obtinuit in eius *historia dogmatica controuersiae inter orthodoxos et pontificios de scripturis et sacris vernaculis* p. 279.

*** *libr.* I. *critic. sacr. cap.* 9. sqq. *tom.* II. *oper. theologic.* p. 1079.

* *dissertatione critica de scriptis Dionysii pseudo-Areopagitae*, in eius *commentar. de scriptorib. ecclesiastic. tom.* I. p. 1353.

IO. GERHARDVS, * BALTHASAR BEBELIVS, ** IO. FRIDERIC. MAYERVS, *** THOMAS ITTIGIVS, * IO. ALBERT. FABRICIVS, ** IO. PHILIPPVS BARATERIVS. ***

IX.) ATHANASII *ſcripta dubia*, quorum, ſi non omnia; nonnulla tamen controuerſis patrum monimentis adnumerari poſſunt, quum de illis non omnium eadem ſententia eſt, num ea vere dubia ſint; nec liceat, certi quid de Athanaſio, tamquam auctore, ſtatuere, ſiue quis adfirmare; ſiue negare id velit. Commemorantur ſcripta hæc dubia diuerſa ratione virique eruditi ita interdum diſcrepant, vt quæ aliis videntur dubia, ea ab aliis veluti germana monimenta defendantur; vel adulterinis adnumerentur. A monachis Benedictinis in Athanaſii *operibus*, ab illis in lucem editis, hæc iſtius ſcripta, tamquam dubia, coniunctim exhibentur: de *incarnatione verbi dei*, opuſculum maxime controuerſum: *teſtimonia ex ſacra ſcriptura*, nimirum de *naturali communione ſimilis eſſentiæ inter patrem, filium et ſpiritum ſanctum, licet res intellectu difficillima ſit et quod vnam habeant operationem;* item: *epiſtola catholica: refutatio hypocriſis Meletii et Euſebii Samoſatenſis:* epiſtola de *incarnatione verbi:* de *æterna filii et ſpiritus ſancti cum deo exiſtentia*, contra Sabellianos: *quod vnus ſit chriſtus:* de *ſabbato, dominica die, circumciſione et baptismate: homilia de ſemente: in paſſionem et crucem domini*: de *virginitate: ſynopſis ſacræ ſcripturæ.* In his ſunt, quæ ab aliis ex numero dubiorum eximuntur atque inter germana Athanaſii ſcripta referuntur. Monſtrant id reliquæ iſtius editiones noſque perſpicue hoc videmus, vbi ſingulas inter ſe conferre

* *confeſſion. catholic. tom.* I. p. 621.

** *antiquitat. eccleſ. ſecul.* IV. p. 91.

*** *diſſertation. de Dionyſio Areopagita ſcriptisque, eidem ſuppoſitis*, contra Godofredum Arnoldum.

* *diſſertatione de patribus apoſtolicis*, eiusdem *bibliothecæ patrum apoſtolicor.* præmiſſa, p. 133 ſqq.

** *bibliothec. græc. volumin.* V. p. 3.

*** *diſſertatione de Dionyſii pſeudo-Areopagitæ ſcriptis, Dionyſio Alexandrino tribuendis*, quæ ſubiuncta eſt eiusdem *disquiſitioni de ſucceſſione antiquiſſima epiſcoporum romanorum* p. 285.

ferre velimus. Locum in illis habet editio Colonienſis, ſiue Lipſienſis anni MDCLXXXVI. hæcque varia ingenii monimenta complectitur, quæ Athanaſio, vt vero auctori, adſcribuntur; a nonnullis vero vel falſa; vel dubia habentur. Spectat huc: GEORG. HENRICI GOEZII *ſchediasma hiſtorico-criticum de dubiis Athanaſii ſcriptis, quæ in noua operum eius editione leguntur*, Lipſiæ MDCLXXXIX. vna cum quibusdam aliis argumenti huius ſcriptis, vti ſunt: IACOBI BASNAGII *epiſtola de ſyntagmate fidei, quod Athanaſio tribuitur*, quæ ad *Chryſoſtomi epiſtolam ad Cæſarium monachum*, Traiecti ad Rhenum MDCLXXXVII. acceſſit: CASIMIRI OVDINI *diſſertatio de operibus, ſancto Athanaſio attributis:* * IO. PHILIPP. BARATERII *lettre ſur deux ouurages attribués a ſaint Athanaſe:* 1.) *le diſcours contre les Grecs, ou les gentils:* 2) *l'incarnation du verbe.* **

X.) BASILII *magni ſcripta* multa, quæ in ſuppoſitis quidem numerari ſolent; de plerisque tamen: immo de omnibus fere in vtramque partem disputatur. Diſſenſio eſt de *homiliarum in hexaëmeron* et *in pſalmos* numero. Quæ ad nos peruenerunt, *orationes* non omnes vni eidemque auctori tribuuntur. Nonnulli dubitant, Baſilium libros de *baptiſmo* compoſuiſſe, quibus alii repugnant. Commentatio de *vera virginitate* itidem in controuerſia eſt. De libris *aduerſus Eunomium* non eſt eruditorum conſenſio. Sunt, quibus *commentarius in priora* XVI. *capita Ieſaiæ* ſuſpectus videtur: qui exiſtimant, vltima XV. capita libri de *ſpiritu ſancto* ſuppoſita eſſe. De *aſceticis* antiquorum ac recentiorum opiniones inter ſe diſcrepant. Inprimis de *epiſtolis* vehementer diſceptatur, quo anno, quo menſe, a quo, ad quem, qua de re illæ conſcriptæ ſint. De reliquis taceo.

XI.) IO. CHRYSOSTOMI *epiſtola ad Cæſarium monachum*, de qua multa diſputata eſſe, conſtat, num exarauerit illam Chryſoſtomus; nec ne? Quum exhibet illa inſigne veritatis teſtimonium, quod prauæ doctrinæ de transſubſtantia-

* quæ eſt in eiusdem *commentar. de ſcriptoribus eccleſiaſtic. tom.* I. p. 325.

** in *bibliothequ. germaniqu. tom.* XL. p. 80.

ſtantiatione aperte repugnat, pontificis romani ſectatores auctoritatem eius imminuere adniſi ſunt hancque in rem vel negarunt, litteras has a Chryſoſtomo exaratas eſſe; vel ea, quæ ille de ſacra cœna ſcripſit, peruerſe explicarunt. Ex eo nata ſunt longiora certamina ac contra pontificios ſatis probatum eſt, epiſtolæ huius auctorem omnino eſſe Chryſoſtomum. Teſtantur id veteres ac ſuffragiis ſuis confirmant, illam olim adhuc integram græce exſtitiſſe. Laudarunt iſtam eiusque fecerunt mentionem antiquus auctor, a FRANCISCO TVRRIANO in lucem editus, qui contra Seuerianos et acephalos ſcripſit; item Io. Damaſcenus, Nicephorus. Nec difficulter reſponderi poteſt, quando aduerſarii obiiciunt, epiſtolam hanc deeſſe in plurimis codicibus, qui reliqua Chryſoſtomi ſcripta complectantur; nec iſtam in eiusdem *operibus*, iunctim editis, inueniri. Quamuis enim epiſtolam hanc non in multis codicibus habeamus; ſufficit tamen, adeſſe codicem Florentinum, qui nobis epiſtolàm hanc præbeat. Nonne laudabili opera eruditiſſimorum virorum, eccleſiæ romanæ addictorum, multa patrum monimenta ex tenebris in lucem perducta ſunt, quorum vnicum tantum codicem illi habuerunt? Ac quis ex eo argumentum contra epiſtolam hanc ſumat, quod iſta adhuc in Chryſoſtomi *operibus*, iuris publici factis, nullum locum obtinuerit. Satis conſtat, editiones eiusmodi nunc augeri; nunc meliores reddi. Ea, quæ ad hiſtoriam controuerſiæ huius pertinent, alio loco * copioſe ediſſerui multique doctiſſimi viri ad eamdem illuſtrandam, ſpeciatim de fatis epiſtolæ huius, ſtudia ſua adhibuerunt. Legendi præcipue ſunt: PETRVS ALLIXIVS,** IACOB. BASNAGIVS,*** THOMAS ITTIGIVS,

* *hiſtor. eccleſiaſtic. noui teſtament.* p. 1385.

** *expoſtulatione de Ioannis Chryſoſtomi epiſtola ad Cæſarium monachum, a Pariſienſibus aliquot theologis non ita pridem ſuppreſſa*, quam præmiſit ANASTASII *Sinaitæ anagogicarum contemplationum in hexaëmeron libro* XII. antea non edito, Londini MDCLXXXII. 4. confer: *acta eruditor.* MDCLXXXIII. p. 25.

*** *animaduerſ. hiſtoric. in epiſtolam Chryſoſtomi ad Cæſarium*, quæ eſt *theſaur. moniment. eccleſ. ſiue Caniſii lection. antiquar. tom.* I. p. 226.

GIVS,* IO. ALBERTVS FABRICIVS,** IO. FRANCISC. BVDDEVS,*** CHR. MATTH. PFAFFIVS,* SALOM. DEYLINGIVS,** IO. MOLLERVS,*** IO. ERH. KAPPIVS,* CHR. GVIL. VOLLANDVS.**

XII.) AMBROSII de *ſacramentis* libri ſex, quibus a nonnullis locus inter doctoris huius monimenta adſignatur, ab ipſis quoque monachis Benedictinis; ita tamen, vt iſti ſimul argumenta vtriusque partis recenſeant, de quæſtione: num Ambroſius librorum iſtorum verus ſit auctor; an minus? ipſi autem nihil definiant. Id ſupra dubitationem poſitum eſſe videtur, Ambroſium libros compoſuiſſe de *ſacramentis;* non ſine cauſſa autem plerique exiſtimant, eos, qui hodie exſtant, non eſſe Ambroſii; aut ita interpolatos fuiſſe, vt nouam plane faciem induerent. In illis certe deſunt, quæ Auguſtinus et Bertramus ex iis excitant. Alia ſcripturæ ſacræ verſio exhibetur, quam quæ in germanis Ambroſii libris legitur. Repugnat ſtili diuerſitas: repugnant non pauca, a ſeculo Ambroſiano aliena. Inter eos, qui ſententiam hanc amplectuntur ac defendunt, locum ſibi fecerunt: IO. BONA,*** EDMVNDVS ALBERTINVS,* LVDOVIC. ELL. DV PIN,** GVIL. CA-

p. 226. Edidit quoque Basnagius hic ipſam Chryſoſtomi epiſtolam, cum *epiſtolicis diſſertationibus*, Traiecti ad Rhenum MDCLXXXVII 8. et iterum cum acceſſionibus ſub titulo: *diſſertationes hiſtorico-theologicæ*, Roterodami MDCXCIV. 8. Legantur: *acta eruditor.* MDCLXXXVII. p. 563. NICERONII *memoir. tom.* IV. p. 300.

* *tractatu de bibliothecis et catenis patrum* p. 417.

** *bibliothec. græc. libr.* II. *cap.* 10. p. 434.

*** *inſtitution. theolog. dogmatic. libr.* V. *cap.* I. §. 23. p. 1587.

* *diſſertation anti-Rogerian.* p. 17.

** *obſeruationib. miſcellan.* p. 361.

*** *homonymoſcop.* p. 484.

* *diſſertat. de Ioannis Chryſoſtomi epiſtola ad Cæſarium monachum,* Lipſiæ MDCCXXIII.

** *vindic. Chryſoſtomi contra Harduinum ſect.* I. p. 3.

*** *libr.* I. *rerum liturgicar. cap.* 7. §. 4. p. 81.

* de *eucharistiæ ſacramento libr.* II. p. 507.

** *bibliothequ. des auteurs eccleſiaſtiqu, tom.* II. p. 271.

CAVEVS,* CASIMIRVS OVDINVS,** CHRISTOPHOR. MATTH. PFAFFIVS *** ac plures alii. Horum rationibus, cur libri de ſacramentis inter vera Ambroſii monimenta haud numeranda ſint, varia opponit NATALIS ALEXANDER; * quæ autem ad illas infringendas haud valent. Exſtant quoque *acta ſancti Sebaſtiani*, quæ alii Ambroſio adſcribunt; alii autem vt adulterina reiiciunt.

XIII.) LEONIS *magni* tria præcipue ſcripta; ſiue monimenta, ſub nomine eius edita huc pertinent, vt ſcripta controuerſa. Sunt illa: libri duo de *vocatione omnium gentium: epiſtola ad Demetriadem* virginem de humilitate chriſtiana ac *capitula de gratia et libero voluntatis arbitrio.* Eorum auctorem eſſe Leonem magnum, plerique negant atque ad rem probandam argumentis vtuntur haud leuioribus. Libros de *vocatione gentium*, quis ſcripſerit, de eo eruditi viri diſſentiunt illosque alii Euchèrio Lugdunenſi; alii Hilario cuidam, vel Arelatenſi; vel Syracuſano, Proſperi ſocio; vel Prospero Aurelianenſi; vel quæ, ob codicum manuſcriptorum auctoritatem ac diuerſas ipſius ſcripti rationes communis ſententia eſt, Prospero Aquitanico tribuunt. At vero PASCHASIVS QVESNELLVS pro Leone magno, tamquam auctore, non ſolum librorum de *vocatione omnium gentium;* ſed etiam *epiſtolæ ad Demetriadem* et *capitulorum de gratia* pugnat cauſſamque hanc in *diſſertationibus* ſingularibus ** agit. Diſſentiunt plerique atque inter hos præcipue legendus eſt: IOSEPHVS ANTELMIVS, qui edidit: *diſſertationes criticas de veris operibus ſanctorum patrum Leonis magni et Prosperi Aquitanici, quibus capitula de gratia dei, epiſtolam ad Demetriadem; nec non duos de vocatione omnium gentium libros, Leoni nuper adſcriptos, abiudicat et Prospero poſtliminio reſtituit Antelmius*, Pariſiis MDCLXXXIX.

* *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſtic. tom.* I. p. 263.

** *commentar. de ſcriptorib. eccleſiaſtic. tom.* I. p. 659.

*** diſſertatione de *liturgiis, miſſalibus, agendis et libris eccleſiaſticis eccleſiæ orientalis et occidentalis* p. 20.

* *hiſtoria eccleſiaſtic. ſecul.* IV. *cap.* 6. *articul.* 25. p. 152.

** quæ ſunt in *adpendice Leonis operum*, a QVESNELLO editorum

MDCLXXXIX. 4. * Refpondit QVESNELLVS in *epiftola* ** haecque quum lucem adfpexiffet, defendit fe ANTELMIVS in *deux lettres de l'auteur des differtations fur les ouurages de faint Leon et de faint Profper a mr. l'abbe . . . . . . pour feruir de reponfe aux deux parties de la lettre du pere Quesnel*, Parifiis MDCXC. 4. Fuerunt et alii eruditi viri, qui aperte fignificarent, fe a Quesnello diffentire, GVIL. CAVEVS, *** CASIMIRVS OVDINVS, * quodam modo LVD. ELL. DV PIN ** atque alii.

§. X.

Venio ad fcripta patrum ecclefiæ *corrupta*, quorum notitiam nobis adquirere ac fcire debemus, quæ monimenta contaminata fint; quæ integra, fi ifta rite atque adcurate intelligere velimus. Variæ funt huiusmodi corruptiones, et vbi ad tempus, quo illæ factæ funt, animum aduertimus, eas vel antiquiores; vel recentiores effe, vt dicamus, res ipfa poftulat. Ad modum, quo deprauatio fcriptorum, fpeciatim patrum ecclefiafticorum, facta eft et adhuc fieri poteft, quod adtinet, illum itidem varium diuerfumque effe, exempla nobis monftrant. Ex illis patet, triplici præfertim ratione corruptionem fieri poffe vel addendo atque interpolando; vel demendo; vel mutando; id quod tamen maxime de ea deprauatione intelligendum eft, quæ prauo confilio ab aliis fufcipitur.

§. XI.

Corruptiones patrum iam antiquiori tempore ab hæreticis factas effe, res fatis eft manifefta monftrantque id

* *giornale de letterati in Parma*, MDCLXXXIX. p. 249. *hiftoire des ouurages des fauans* MDCXC. *april.* p. 362. *act. erudit. fupplement tom.* II. p. 430.

** quæ eft in *iournal des fauans* MDCLXXXIX. *auguft.*

*** *hiftor. litterar. fcriptor, ecclefiaftic. volum.* I. p. 432.

* *commentar. de fcriptorib ecclefiaftic. tom* I. p. 1275.

** qui primum Antelmii fententiam adfenfu fuo comprobaffe; poftea autem, quum a Quesnelli amicis rogatus fuiffet, ad partes iftius acceffiffe dicitur: confer. NICERONII *memoires tom.* V p. 149. FABRICII *bibliothec. latin. mediæ et infimæ ætatis volum.* IV. p. 752.

id teſtimonia pariter ac exempla perſpicue. Eos poſtea epiſcopi romani ſectatores ſequuti ſunt ac quando illi in libris patrum ea legerunt, quæ eccleſiæ romanæ dogmatibus atque inſtitutis aduerſari putarunt, vim atque iniuriam illis inferre ac loca huiusmodi deprauare, ſibi ſumſerunt.

De antiquioribus hæreticis abunde ac luculenter teſtantur: TERTVLLIANVS, EVSEBIVS, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, RVFINVS, VINCENTIVS *Lerinenſis*, atque alii, illos patrum libros deprauaſſe deque perfidia hac multum queruntur. Singularem operam ad argumentum hoc explanandum adhibuit BARTHOLOMAEVS GERMONIVS in libro de *veteribus hæreticis, eccleſiaſticorum codicum corruptoribus*, Pariſiis MDCCXIII. 8. quo oſtendit primum, veteres hæreticos ſacrorum codicum exſtitiſſe corruptores; deinde autem comprobat, non pauca eccleſiaſtica ſcripta ab iisdem hæreticis adulterata fuiſſe horumque malitioſa ſtudia, patrum monimenta corrumpendi, ab ipſis veterum chriſtianorum doctoribus reprehenſa eſſe. Natus eſt liber hic ex lite, quæ GERMONIO cum PETRO COVSTANTIO fuit. Quum enim ille Io. Mabillonio atque aliis, qui a partibus eius ſtabant auctoritatemque ac fidem codicum defendebant, acriter ſe opponeret hacque occaſione adfirmaret, codices quosdam manuſcriptos Corbeienſes non omni ſuſpicione falſi carere, * cauſſam Mabillonii COVSTANTIVS egit ac *vindicias manuſcriptorum codicum*, quos Germonius impugnauerat, in lucem edidit; GERMONIVS autem poſtquam decreuerat, *vindicias* illas refutare, operæ pretium eſſe duxit, veterum hæreticorum fraudes, in codicibus librorum ſacrorum atque in ſcriptis patrum adulterandis adhibitas, detegere, hancque ob cauſſam antea memoratum librum de *veteribus hæreticis, eccleſiaſticorum codicum corruptoribus*, conſcripſit atque in lucem emiſit.

Hæreticorum praua exempla ſequuti ſunt pontificii, media non ſolum; ſed recentiore quoque ætate ac temeritate malitiaque impulſi, patrum ſcripta adulterarunt. Quam perfidiam

* de *veter. reg. Franc. diplomat. diſceptat.* II, p. 344.

fidiam quum in veteribus hæreticis damnant; idem autem faciunt, ſane in pari culpa ſunt atque ipſi contra ſe ſententiam ferunt. IO. LVDOVICVS VIVES * tradit, non dubium eſſe, quin *multa fuerint addita ab iis, qui magnorum virorum ſcripta omnia impuris manibus contaminabant.* Inprimis lectione digna ſunt, quæ ERASMVS ** hac de re ſcripta reliquit. Abſoluuntur illa querelis, quæ graues ſunt ac iuſtæ.

§. XII.

De monimentis patrum eccleſiæ, a perfidioſis ac malis hominibus contaminatis, non ſolum teſtimonia perſpicua ac fide digna ad nos peruenerunt; ſed ſuppetunt quoque exempla, quæ idem confirmant. Singula iſta adcurate ac iuſto ordine recenſere, animus mihi haud eſt, quum eiusmodi commemoratio res eſſet nimis longa. Eam ob rem ſufficiat, quædam tantum ſcripta patrum, quæ adulterata fuerunt, vt exempla, adduxiſſe ac poſtea notitiam librorum ſuppeditaſſe, vbi argumentum hoc explanatur atque illuſtratur.

Specimina corruptionis, quæ ſuſcepta eſt in libris patrum eccleſiæ, præbent:

IGNATII *epiſtolæ, ſeptem longiores*, ad *Epheſios*, ad *Magneſios*, ad *Trallenſes*, ad *Romanos*, ad *Philadelphienſes*, ad *Smyrnenſes* et ad *Polycarpum*, quas interpolatas; ſiue per falſa fictaque additamenta auctas eſſe; easdem autem; breuiores tamen, inter vera antiquitatis chriſtianæ monimenta iure locum tueri, eruditiſſimi viri ſatis probarunt ac contra eos, qui longiores breuioribus præferunt, maxime GVIL. WHISTONVM, *** feliciter diſputarunt. Interpolatæ illæ ſunt ab homine Ariano, quoniam auctoritas Ignatii, tamquam teſtis de æterna diuinaque iesu chriſti natu-

* *not.* ad AVGVSTINVM *libr.* XXII. de *ciuitate dei cap.* 8.

** *præfation. ad* HIERONYMI *opera*, Baſileæ MDXVI. apud Frobenium edita. Verba ipſa Eraſmi recenſet DALLAEVS de *vſu patrum* p. 79.

*** cuius huc ſpectat: *tentamen de epiſtolis Ignatii*, anglice Londini MDCCX. 8. editum.

natura, impiae Arianorum sectae, vt probabile est, opponebatur.' Quum igitur Whistonus in epistolis his interpolatis inueniret, quae haeresi huic fauent, mirum non est, illum, pro studiis suis erga Arianos, eas adprobasse ac statuisse, Ignatii epistolas longiores, non breuiores, germanis ingenii monimentis adnumerandas esse. Ex iis, qui pro epistolis breuioribus scripserunt, legendi sunt: IO. PEARSONIVS,* HENRIC. HAMMONDVS,** GVIL. CAVEVS,*** IO. ERNESTVS GRABIVS,* DIONYSIVS PETAVIVS,** LVDOVIC. ELL. DV PIN,*** NICOL. NOVRRIVS* atque alii. Speciatim Whistono hac in caussa restitit IO. CLERICVS.**

CLEMENTIS *Alexandrini* libri, quos ab antiquis haereticis deprauatos fuisse, maxime libros *hypotyposeon*, iam dudum eruditissimi viri suspicati sunt suamque coniecturam non esse vanam, monstrarunt, qua de re legendus est BARTHOLOMAEVS GERMON.***

CYPRIANI *opera*, quae episcopi romani adsectatores contaminarunt, eo prauo consilio, vt videatur ille, erroribus ecclesiae romanae non repugnare; sed dogmata istius adprobare. Ostendunt hoc non obscure variae editiones Cypriani. Memoranda ex illis praecipue est editio, quae Parisiis MDXLI. fol. apud Arnulphum Langelier lucem adspexit. Quibus illa deprauata fuit, vitia innumerabilia fere sunt, quae et caussa est, cur IACOBVS PAMELIVS* contra doctores Sorbonicos Parisienses censuram hanc adhibuit:

* in *vindiciis Ignatianis.*
** de *episcopatus iuribus dissertation.* II. *cap.* I. sqq.
*** *histor. litterar. scriptor. ecclesiastic. volum.* I. p. 41.
* *spicileg. patrum secul.* II. *tom.* I. p. 5.
** de *ecclesiastic. hierarchia libr.* V. *cap.* 8. *tom.* IV. *theolog. dogmat.* p. 161.
*** *bibliothequ. des auteurs ecclesiastiqu. tom.* I. p. 42.
* *adparat. ad bibliothec. maximam patrum tom.* I. p. 81.
** *dissertation. de epistolis Ignatii*, quae est in COTELERII *patr. apostolicor. tom.* II. *part.* 2. p. 501.
*** de *veteribus haereticis, ecclesiasticorum codicum corruptoribus* p. 261.
* *nota* LXV. *in Cyprianum de oratione dominic.*

hibuit: *interseruntur hic aliquot lineæ in editione Parisiensi apud Arnulphum Langelier ann.* MDXLI. *sed quæ Cypriani non sunt, vt ipse fatetur in margine hac adnotatiuncula:* additio cuiusdam, *ex qua de ceteris iudicare, facile est lectori, vtpote qui, quamuis repurgatio iactet in titulo, innumeris Cyprianum mendis contaminarit.* Idem confirmat Cypriani editio, Romæ MDLXIII. fol. per *Paullum Manutium* in lucem emissa, in qua Manutium contra codicum manuscriptorum fidem quædam retinuisse, quædam addidisse, docti viri animaduertunt. Legantur: IO. DALLAEVS, * IO. ALBERTVS FABRICIVS, ** GVIL. CAVEVS, *** THOM. ITTIGIVS. * Inprimis luculentum malitiæ fraudisque documentum pontificii dederunt in Cypriani libro de *vnitate ecclesiæ*, quum in illum verba hæc intulerunt, *christum vnam cathedram constituisse: primatum Petro datum: ecclesiæ renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quam fundata est ecclesia, deserit*, contra omnium fere codicum manuscriptorum: omnium antiquissimarum editionum fidem. In *epistola*, quam Cyprianus ad populum Carthaginensem misit, scripserat ille: *audiant quæso patienter consilium nostrum: exspectent regressionem nostram, vt quum ad vos per dei misericordiam venerimus, conuocati coëpiscopi plures secundum domini disciplinam et confessorum præsentiam et vestram quoque sententiam, beatorum martyrum litteras et desideria examinare possimus*, vbi in quibusdam editionibus verba: *secundum vestram quoque sententiam*, a pontificiis deleta atque omissa sunt, eo consilio, ne errori illorum, plebem iure suffragii in rebus ecclesiasticis carere, Cypriani testimonium opponatur. Simile constat de FIRMILIANI, episcopi Cæsareensis in Cappadocia, *epistola ad Cyprianum*, qua ille Stephanum, præsulem romanum, ob inhumanitatem, audaciam, insolentiam aliaque vitia resque male gestas grauiter perstringit.

P 4 Epi-

* de *vero vsu patrum libr.* I. *cap.* 4. p. 83.
** *bibliothec. latina volumin.* III. p. 378. sq.
*** *prolegom. ad histor. litterar. scriptor. ecclesiasticor.* p. 22.
* *obseruationibus miscellan.* quæ *oper. Clement. Alexand. supplem.* additæ sunt, p. 210.

Epiſtolam hanc alii in CYPRIANI *opera* transtulerunt; alii autem ab iſtis remouerunt ac meditati ſunt, quomodo eam ſupprimerent. Quae diſputata ſunt de locis, quibus Cyprianus ſententiam prauam ſuam de baptismo emendauerit, num illa adulterata fuerint; nec ne, ea huc etiam referri poſſunt.

ORIGENIS ſcripta iam antiqua aetate in diſceptationem venerunt, num illa deprauationi obnoxia fuerint; nec ne? Diſputatum hac de re eſt inter Rufinum Aquileienſem et Hieronymum. Ille adfirmauit, Origenis libros ab haereticis corruptos eſſe ſcripſitque duas *apologias pro Origene; ſiue de deprauatione librorum Origenis* ac monſtrare voluit, Origenem adcuſatum fuiſſe multarum prauarum ſententiarum, quarum non ille ipſe; ſed haeretici corruptores ſint auctores. Reſtitit ei Hieronymus atque aliis perſuadere voluit, non exſtitiſſe, qui Origenis monimenta deprauarent. Id certum eſt, ORIGENIS *dialogum cum Candido Valentiniano haeretico* fuiſſe adulteratum ab ipſo Candido hocque ipſius Origenis auctoritate nititur. Plura habentur apud PETRVM DANIELEM HVETIVM * et BARTHOLOMAEVM GERMONIVM. **

ATHANASII *epiſtola ad Epictetum*, Corinthi epiſcopum, contra haereticos, de incarnatione chriſti praua ſentientes. Illa integra quidem apud ATHANASIVM ipſum *** et apud EPIPHANIVM * legitur; eam tamen olim ab hoſtibus veritatis fuiſſe deprauatam, luculenter; nec ſemel teſtatur CYRILLVS *Alexandrinus*: **

CHRYSOSTOMI *opus imperfectum* in Matthaeum, quod Mahuſius quidam, Franciſcanus monachus, edidit, ac quamuis aliis perſuadere vellet, ſe opus hoc emendaſſe, ac quisquilias Arianorum ſuſtuliſſe, tantum tamen abfuit, vt fidem ſuam probaret; vt ſumeret ſibi, in libro hoc multa depra-

* *Origenian. libr.* II. *cap.* 3. p. 187.

** de *veteribus haereticis, eccleſiaſticorum codicum corruptoribus* p. 270.

*** in *operum* eius *tom.* I. p. 581.

* *haeres.* LXXVII. *num* 3. *tom.* I. *oper.* p. 997.

** teſtimonia eius recenſet GERMON libro de *veteribus haereticis, eccleſiaſticor. codicum corruptoribus* p. 316.

deprauare. Quae enim in illo ſcripta erant de ſcriptura, de notis eccleſiae, de euchariſtia, ea deleuit, ſine dubio, ea cauſſa adductus, quoniam iſta dogmatibus eccleſiae romanae repugnare, vidit. Legatur: IO. DALLAEVS: *

AMBROSII varii libri, quibus itidem iniuria deprauationis turpiter ac temere illata eſt, non ſemel; ſed iterum atque iterum, in diuerſis editionibus. Quarum deprauationum auctores alia abſtulerunt, non quasdam tantum voces; ſed quinque; aut ſex integras lineas; alia addiderunt, quae ab Ambroſio ipſo haud ſcripta fuerant; alia mutarunt: alia peruerſo ordine poſuerunt. Comprobant hoc libri eius de *interpellatione Iob et Dauid*, vna cum eiusdem vtraque *apologia Dauid*. Memorant malitiam hanc: FRANCISC. IVNIVS, ** IO. DALLAEVS, *** IO. ALBERT. FABRICIVS * atque alii.

AVGVSTINI opuſcula, quae itidem libris deprauatis patrum eccleſiae adnumerantur. LVCAS, Tudenſis epiſcopus, ** de Arnaldo; ſiue Arnoldo, Albingenſi narrat, eum Hieronymi, Auguſtini, Iſidori, Bernardi opuſcula adulteraſſe. Inter alia dicit: *quidam etiam haereticus nomine Arnaldus de confinibus Galliae venit in Hiſpaniam, zizaniam erroris haeretici ſeminando. Inter cetera prauitatis opera erat ſtudium, ſanctorum patrum Auguſtini, Hieronymi, Iſidori et Bernardi opuſcula minora corrumpere, ſubtrahendo vera et adiiciendo falſa. Erat enim ſcriptor velociſſimus et corrupta ſanctorum opuſcula vendebat; vel dabat catholicis, vt tali fallacia poſſet decipere et illaqueare incaute legentium mentes*, ceter. quae tamen minus credibilia ſunt. Dicuntur illa quidem; non autem probantur et vt videtur, odio erga Waldenſes, teſtes veritatis, nituntur.

HIERONYMI opera qui primus edidit, *Ioannes Andreae*, epiſcopus Alerienſis, MCCCCLXVIII. fol. licentiam ſibi

 ſumſit,

* de *vero vſu patrum libr.* I. *cap.* 4. p. 82.

** *praefatione ad indicem expurgatorium*, MDLXXXVI. editum.

*** de *vero vſu patrum libr.* I. *cap.* 4. p. 84.

* *bibliothec. latin. vol.* III. p. 435.

** *libr.* III. *cap.* 17. *contra Albingenſes*, *tom.* XXV. *bibliothec. patr. Lugdun.* p. 247.

ſumſit, addendi, detrahendi, mutandi, pro ſua ſententia ac voluntate, ſine firmiore cauſſa, hancque ob rem iuſta animaduerſio in eum facta eſt. *

CYRILLI *Alexandrini* libros ab hæreticis adulteratos eſſe, conſtat resque nititur auctoritate LEONTII *Byzantini*, ANASTASII *Sinaitæ*, NICEPHORI CALLISTI atque aliorum, qui teſtantur, Dioſcorum, Timotheum Aelurum, Seuerianos acephalosque deprauationis iniuriam Cyrilli ſcriptis intuliſſe, id quod BARTHOLOMAEVS GERMONIVS ** vberius ediſſerit.

Sunt plura alia monimenta, quæ in fraudulentorum hominum manus inciderunt atque ab illis malitioſe corrupta ſunt; prætereo autem ea non ſine conſilio, præcipue quum iſta iam alii in ſcriptis, paullo poſt a me adducendis, enarrarunt. Iam id tantum animaduerto, *indices librorum prohibitorum et expurgandorum*, qui apud pontificios prodeunt atque auctoritate valent, occaſionem: immo neceſſitatem præbere, ſcripta patrum adulterandi. Recte obſeruat hoc CASIMIRVS OVDINVS *** verbis his: *nec proteſtantes in editionibus ſuis opera patrum corrumpunt; ſed pontificii et papicolæ, quibus id centies probatum fuit. Longe igitur meliori fide in editionibus patrum agunt Lutherani et Caluiniſtæ, quam pontificii, quibus omnia corrumpendi occaſionem et neceſſitatem præbent indices expurgatorii romani, ad corruptiones et adulteria operum eiusmodi iuſſu Romanorum pontificum compoſiti.* Lucem adſpexerunt variorum ſcripta, quibus argumentum hoc explanatum eſt. Alii in enarrando iſto ſingulare ſtudium poſuerunt, in quorum numero ſunt:

THOMAS IAMESIVS, cuius in lucem exiit liber de *ſacræ ſcripturæ, conciliorum et patrum corruptione*, Londini MDCXI. 4. MDCLXXXIX. 8. lingua anglicana, ſeque GVIL. CAVEO * atque aliis viris eruditis commendauit:

DANIEL

* SIMONIS *epiſtol. ſelect. tom.* I. *epiſtol.* 32. p. 220.

** de *veteribus hæreticis, eccleſiaſticorum codicum corruptoribus* p. 327.

*** *commentar. de ſcriptoribus eccleſiaſt. tom.* I. p. 987.

* *prolegom. hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſtic.* p. 22.

DANIEL FRANCVS, qui iuris publici fecit: *disquisitionem academicam de papistarum indicibus librorum prohibitorum et expurgandorum, in qua de numero, auctoribus, occasione, contentis, fine, damnis et iure indicum illorum disseritur*, quae commentatio primum formam dissertationis academicae prae se tulit ac Lipsiae MDCLXVII. publice defensa est; postea autem locupletata, exhibuit se tanquam librum, sub titulo, quem recensui, Lipsiae MDCLXXXIV. 4.* Diligenter auctor argumentum persequitur atque inter alia exemplis quam plurimis ostendit, haud insolens esse pontificiis, patrum scripta corrumpere atque immutare.

CASPAR LOESCHERVS in dissertatione de *latrociniis, quae in scriptores publicos, patres praecipue, solent committere haeretici*, Vitembergae MDCLXXIV.

IONAS CONRAD. SCHRAMMIVS, cuius exstat dissertatio de *librorum prohibitorum indicibus horumque abusu et vtilitate*, Helmstadii MDCCVIII.

IO. CHRISTOPHOR. WENDLERVS, qui edidit: *schediasma de libris, a pontificiis aliisque haereticis in praeiudicium doctrinae purioris nostrae et superiori aetate suppressis et corruptis*, cum *dissertatione praeliminari, qua adseritur, Lutheranos in praeiudicium caelestis veritatis neque supprimere; neque corrumpere scriptores ecclesiasticos et profanos*, variis scriptoribus, nominatim in titulo adductis, opposita.**

BARTHOLOMAEVS GERMONIVS in libro de *veteribus haereticis, ecclesiasticorum codicum corruptoribus*, Parisiis MDCCXIII. 8. Natus ille est ex lite, quae inter GERMONIVM et PETRVM COVSTANTIVM intercessit, vti antea narraui. Alii in scriptis suis data occasione adtulerunt, quae ad argumentum hoc illustrandum pertinent, vti: ANDREAS RIVETVS,*** IO. DALLAEVS,* GVIL.

CAVE-

* liber hic a multis laudatur, quorum testimonia adfert WENDLERVS *schediasm. de libris, a pontificiis suppressis et corruptis, dissertation. praeliminar.* p. 32. sqq.

** *vnschuldige nachrichten* 1713. p. 1037.

*** *tractatu de patrum auctoritate tom.* II. *oper. theolog.* p. 1064.

* de *vero vsu patrum libr.* I. *cap.* 4. p. 60.

CAVEVS, * FRID. SPANHEMIVS, ** CHR. MATTH. PFAFFIVS, *** IO. FRANCISC. BVDDEVS * atque alii.

§. XIII.

Non omnia patrum ſcripta conſeruata et ad nos translata ſunt; ſed eorum, quæ iſti litteris mandarunt, multa monimenta perierunt; eo tamen diſcrimine, vt vel omnia; vel pleraque; vel nonnulla, ſcripta, ab antiquioribus his doctoribus compoſita, interierint. Contigit hoc per varias cauſſas, inter quas temporis ratio, hominum ignorantia, negligentia, malitia aliæque locum habent. Hæc ſunt ſcripta patrum *deperdita*, quorum notitia non omni vtilitate caret. Quædam huiusmodi ſcripta commemorare, animus eſt. Numerantur in illis:

IVSTINI *martyris commentarius de anima:* liber *pſaltes* dictus: liber *contra omnes hæreſes:* opus *contra Marcionem: dubitationum aduerſus religionem ſolutiones ſummariæ: expoſitio in apocalypſin: commentarius in hexaëmeron:* de *reſurrectione carnis:*

IRENAEI *demonſtratio apoſtolicæ prædicationis: commentarius de ogdoade;* ſiue de octonario æonum numero: *commentarius in apocalypſin*, cum epiſtolis nonnullis.

THEOPHILI *Antiocheni* liber *contra Marcionem:* alius *aduerſus hæreſin Hermogenis:* libri *catechetici.*

CLEMENTIS *Alexandrini hypotypoſeon;* ſiue *inſtitutionum* libri octo: *canon eccleſiaſticus:* liber de *paſchate:* de *obtrectatione: diſputationes de ieiunio: exhortationes ad patientiam:* liber de *continentia:* alius de *nuptiis: commentarius in geneſin:* liber de *anima:* liber de *prophetia:* alius de *reſurrectione: commentarii in epiſtolas canonicas* atque alia.

EVSEBII *Pamphili* libri *contra Porphyrium*, de *euangeliorum diſſonantia: commentarius in primam epiſtolam ad Corinthios:* libri tres de *vita Pamphili: antiquorum martyriorum* colle-

* *prolegom. ad hiſtoriam litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor.* p. 21. ſq.
** *hiſtor. chriſtian. ſecul.* 1. *tom.* 1. *oper.* p. 486.
*** *introduction. ad hiſtoriam theolog. litterar. part.* 1. p. 7.
* *iſagog. ad theologiam vniuerſam libr.* 11. *cap.* 3. §. 10. p. 587.

collectio: acta martyrii sancti Luciani: descriptio basilicæ Hierosolymitanæ: liber de *festo paschali* atque alia:

ATHANASII *commentarii in ecclesiasten et cantica canticorum:* liber *contra Valentem et Vrsacium: liber synodicus:* variæ *epistolæ*:

HILARII *tractatus in Iobum: commentarius in cantica canticorum: historia Ariminensis et Seleuciensis synodorum,* aduersus Valentem et Vrsacium: liber *hymnorum:* liber *mysteriorum*: liber de *numero septenario:* plures *epistolæ:*

EPIPHANII multæ *epistolæ: oratio de spiritu sancto: encomium Hilarionis.*

GREGORII *Nysseni expositiones in prouerbia: commentarii in epistolam ad Philippenses:*

DIDYMI *Alexandrini commentarii in Iobum, in psalmos, in prouerbia, in Iesaiam, in Hoseam, in Zachariam, in euangelium Matthæi* et *Ioannis;* libri tres de *trinitate*: libri duo de *dogmatibus et contra Arianos: commentarii in libros Origenis περὶ ἀρχῶν.*

AMBROSII *commentarii in Iesaiam, commentarii aduersus nonnullos Platonicos;* siue de *sacramento regenerationis et philosophia* liber: *elucidationes et homiliæ in librum sapientiæ: expositio in omnes Paulli epistolas: catechismus epistolaris ad Fritigildem, Marcomannorum reginam:* de *puerilis ætatis institutione ad pansophiam.*

PAVLLINI *Nolani panegyricus;* siue *apologeticus pro Theodosio* imperatore: multæ *epistolæ ad sororem de contemtu mundi: sacramentarium et hymnarium*: liber de *pœnitentia*: de *laude generali omnium martyrum: poëmata* et *epistolæ* plures.

AVGVSTINI libri tres *contra paganos* et *exhortatio* ad eosdem: de *sacrificiis spiritualibus* contra manichæos, de *die domini secundum Sophoniam prophetam* contra eosdem: libri *contra Arianos*: commentationes variæ de *caritate*, de *eucharistia,* de *sacrificio vespertino*: varia scripta, Donatistis opposita, nimirum *contra epistolam Donati*: liber *contra Donatistam* incerti nominis: de *Maximinianistis* contra Donatistas: de *baptismo* aduersus eosdem et alia.

CHRYSOSTOMI *plurimi commentarii in sacræ scripturæ libros: expositiones Iobi et Zachariæ: orationes contra Iulianum,* variæ aliæ orationes, epistolæ, homiliæ.

CYRIL-

CYRILLI *Alexandrini* libri de *synogogae defectu*: de *fide aduersus haereticos.*

THEODORETI *pentalogium*; siue libri quinque de *incarnatione verbi*, aduersus Cyrillum et patres concilii Ephesini: *opus mysticum*; siue de *mysteriorum fidei expositione* libri XII. libri de *theologia et incarnatione*: opera *aduersus Marcionem, iudaeos* et *Origenem*: *responsiones ad quaesita magorum Persarum*: *sermones quinque in laudem Chrysostomi*: sermones alii.

LEONIS *magni epistolae* multae et alia nonnulla opuscula.

ALCIMI ECDICII AVITI liber *homiliarum*: *dialogus contra haeresin Arianam*: libri duo *contra Nestorii et Eutychis errores*: liber *contra Fausti errores de gratia et libero arbitrio.*

GENNADII libri octo *aduersus omnes haereses*: libri sex *aduersus Nestorium*: libri tres *aduersus Pelagium*: *tractatus de mille annis et de apocalypsi Ioannis.*

FVLGENTII libri septem de *gratia dei et libero arbitrio aduersus Faustum*: libri decem de *veritate praedestinationis et gratiae contra Fabianum*: liber de *processione spiritus sancti*: libri duo de *ieiunio et oratione*: liber *pro fide catholica aduersus Pintam, episcopum Arianum*, vna cum multis homiliis.

CASSIODORI *expositio epistolae ad Romanos*: *liber titulorum de sacra scriptura collectus*: *breues explanationes in acta et epistolas apostolorum ac apocalypsin* atque alia. Sufficiant haec. Plura qui scire cupit, adeat ille GVIL. CAVEVM *historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum*: IO. ALBERT. FABRICIVM vtraque *bibliotheca*, et *graeca* et *latina* atque alios auctores de patribus ac scriptoribus ecclesiasticis, supra a me commemoratos. In illis tamen consulendis iudicium adhibendum est: neque existimare debemus, omnia patrum monimenta, quae deperdita esse narrari solent, omnino planeque interiisse atque auctores ista certe reliquisse, quibus illa tribuuntur. Alia sunt scripta nondum edita: alia deperdita. Fieri potest, vt de quibusdam nobis persuadeamus, iniuriam temporis illa abstulisse; quae tamen conseruata, in tenebris bibliothecarum iacent; nec adhuc satis diligenter quaesita sunt. Comprobant hoc exempla librorum, quorum codices manuscripti per longius tempus ignoti erant ac periisse credebantur; postea tamen reperti, in lucem prodierunt.

CAPVT

CAPVT V.
DE SCRIPTIS PATRVM ECCLESIAE, IN LINGVAS EVROPAEAS CONVERSIS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Agitur de patrum ſcriptis, in alias linguas translatis, generatim §. I. *Speciatim de eorum interpretibus cum antiquioribus, maxime Rufino ac Gennadio* §. II. *Tum recentioribus, qui patrum monimenta conuerterunt in linguas hispanicam, anglicam, gallicam, belgicam, italicam, ſuecicam, germanicam* §. III. IV.

Scripta patrum e natiuo ſermone ſuo in alias linguas translata eſſe, conſtat. Factæ ſunt interpretationes hæ eo inprimis conſilio, vt monimenta iſta ab hominibus quoque, litterarum, maxime linguarum, quibus patres ipſi vſi ſunt, ignaris, intelligi atque ad propriam vtilitatem referri queant. Ac certe verſiones has ille negligere haud debet, cui propoſitum eſt, adcuratius ſtudium ad patrum hiſtoriam litterariam adhibere. Sique interpretationes hæ diligenter ac recte compoſitæ ſunt, iuuat nos interdum, eas conſulere ac difficiliora loca ex iſtis illuſtrare.

§. II.

Quæ patres ordinis ſacri reliquerunt, ingenii monimenta vel græce; vel latine compoſita ſunt. Iam antiquiore ætate fuerunt, qui non ſolum ſcriptis eorum græcis, latine reddendis, operam darent; ſed etiam in libris latinis, græce vertendis, ſimile ſtudium ponerent. Reliquiæ harum interpretationum ad nos peruenerunt.

Inter eos, qui græca patrum ſcripta in ſermonem latinum transtulerunt, præcipue locum ſibi fecit RVFINVS, presbyter Aquileienſis. Ex græca lingua latine vertit: *recognitionum libros*, ſub Clementis romani nomine in lucem editos, ac præfationem addidit, quæ minus eſt ſubdititia, quem-

quemadmodum nonnulli sibi persuadent: *apologiam Origenis*, cuius primus liber ex illius interpretatione in latinis Origenis editionibus et inter Hieronymi *opera* exstat: ipsius *Origenis* libros περὶ ἀρχῶν multasque *homilias*, in *genesin*, *exodum*, *leuiticum*, *numeros* et alios codicis sacri libros: item *Eusebii historiam ecclesiasticam;* sed ita, vt varia passim et librum decimum integrum fere omitteret: alia adderet atque interpolaret et ipse libros duos nouos subiungeret, quibus historiam ad mortem Theodosii imperatoris produxit. Locum in illis quoque dedit incertis narrationibus ac fabulis monstrauitque, se fuisse credulum; nec adcuratum studium ad historiam hanc adhibuisse. E latino eos graece vertisse Gelasium Caesareensem et Cyrillum Hierosolymitanum, testis est PHOTIVS.* Praeter haec monimenta graeca, Rufinus alia in latinum sermonem conuertit inque his *Iosephi libros de bello iudaico* et *antiquitatum iudaicarum*, quorum posteriorum librorum versio latina ei quoque tribui solet: *Basilii Caesareensis* et *Gregorii Nazianzeni opera* quaedam, quae habentur in antiquis illorum editionibus latinis: *Anatolii canonem paschalem*, quam interpretationem in lucem protulit illustrauitque AEGIDIVS BVCHERIVS, vna cum aliis eiusdem argumenti scriptis, Antuerpiae MDCXXXIV. item *Sixti enchiridion*; *siue sententias*, ab VRBANO GODOFR. SIBERO ** cum notis editas, Lipsiae MDCCXXV. 4. In versionibus, iam memoratis, Rufinum maiore, quam par erat, libertate vsum fuisse, satis est notum et iam dudum a doctissimis viris animaduersum, speciatim a IO. DALLAEO. *** Rufinum quaedam etiam ex lingua latina in graecam conuertisse, HIERONYMVS * testatur. Quae in opere de *vitis patrum*, ab HERIBERTO ROSWEYDO primum anno MDCXV. edito, librum *secundum* et *tertium* constituunt, itidem Rufini auctoris; siue interpretis esse, creduntur.

Ad

* *codic.* LXXXIX. p. 210.

** in *praefatione* p. 23. sq. agit ille de latina illarum interpretatione.

*** de *scriptis Dionysii et Ignatii libr.* II. *cap.* 40. sq. p. 474.

* *apolog. in Rufinum* III. *tom.* IV. *oper. part.* 2. p. 468. edit. MARTIANAEI.

Ad Rufinum adiungo GENNADIVM, presbyterum Massiliensem, quem scripta quædam græca latine vertisse, relatum legimus. In illis est: TIMOTHEI *Aeluri apologia ordinationis suæ ad Leonem imperatorem*, quam a se in latinum sermonem translatam fuisse, Gennadius ipse testatur ac tradit, Timotheum in ea patres Chalcedonenses, Leonem papam atque omnes fere occidentis episcopos Nestorii prauæ doctrinæ adcusasse. Memorat etiam Gennadius, se EVAGRII *Pontici sententias* ac librum de *octo principalibus vitiis* latine reddidisse. Exstat quoque græca interpretatio HIERONYMI libri de *viris illustribus*. Eius auctorem esse Sophronium, illum, cuius Hieronymus ipse in dicto libro mentionem faciat, ERASMVS quidem statuit; repugnant autem alii deque versione hac iudicant, illam vitiorum esse plenissimam hæcque se prodere innumerabilibus fere locis, vbi alia sint omissa: alia deprauata atque a mente Hieronymi aliena. EPHRAEMVS omnes libros suos syriace composuit, in gentis suæ vtilitatem; translati autem illi sunt in alias linguas. Inter versiones has sine dubio græca est antiquissima. Adornata enim illa fuit eo tempore, quo Ephræmus adhuc in viuis erat, vti testatur SOZOMENVS.*

§. III.

Quum recentiore ætate eruditissimi viri in eo operam collocarent, vt græcorum patrum scripta, quæ conseruata et adhuc manu tantum exarata fuerant, litterarum formis describerentur ac iuris publici fierent, curarunt simul, vt ista maioris ac facilioris vsus caussa in sermonem latinum conuerterentur. Multæ variæque generis huius versiones lucem viderunt, quæ postquam euulgatæ fuerant, postea aliæ illarum emendatæ: aliæ eæque meliores atque adcuratiores in istarum locum substitutæ sunt. Sed de his græcorum patrum versionibus latinis, vtpote satis notis, iam taceo.

§. IV.

* *libr.* IV. *histor. ecclesiastic. cap.* 16 p. 525. De versionibus Ephræmi plura disserui *histor. ecclesiastic. noui testament.* p. 1331.

§. IV.

Verſiones potius patrum græcorum latinorumque in linguas Europæas recenſere, mecum conſtitui, non omnes ſingulari ſtudio; ſed quasdam tantum; attamen fortaſſe plerasque, ea enarrandi ratione, vt ſyllabus, quem exhibebo, facili negotio augeri ac continuari poſſit. Igitur in lucem prodierunt:

HISPANICE

TERTVLLIANI *apologeticus ad Scapulam*, cuius interpres eſt *Petrus Manero*, Cæſar auguſtæ MDCXLIV. 4. * AVGVSTINI libri *confeſſionum*, *meditationum*, *ſoliloquiorum*, ſtudio *Petri a Ribadeneira:* ** CYPRIANI libellus de *oratione dominica*, cura *Didaci Martinez.* *** OROSII interpretatio hiſpanica memoratur a NICOLAO ANTONIO: *

ANGLICE

CLEMENTIS *romani epiſtolæ ad Corinthios*, per *Guil. Burtonum*, cum notis copioſis ac iudicio *Guil. Cauei*, Londini MDCXLVII. atque iterum, *Guil. Wakæo* interprete, vna cum BARNABAE, IGNATII, POLYCARPI *epiſtolis* atque HERMAE *paſtore*, itidem in ſermonem anglicum conuerſis, ſub titulo: *epiſtolæ genuinæ patrum apoſtolicorum, in Anglicum ſermonem translatæ*, Londini MDCXCIII. 8. ** et iterum ibidem MDCCX. 8. Præterea anglice in lucem exierunt alia patrum monimenta. Edidit lingua hac IVSTINI *martyris*, TERTVLLIANI et MINVCII FELICIS *apologias* pro religione chriſtiana et VINCENTII *Lerinenſis commonitorium* ac prolegomenis notisque illuſtrauit *Reeuius*, Londini MDCCX. 8. duobus voluminibus. ATHENAGORAE librum de *reſurrectione* anglice euulgauit *Richardus*

* ANTONII *bibliothec. hiſpan. nou. tom.* II. p. 169.

** confer. ANTONII *bibliothec. hiſpan. nou. tom.* II. p. 186.

*** FABRICII *bibliothec. latin. volumin.* III. p. 382.

* *bibliothec. hiſpan nou. tom.* I. p. 225. vbi refert, DIDACVM DE IEPES, Toletanum, *Oroſii* verſionem hiſpanicam manuſcriptam reliquiſſe.

** *act. eruditor. ſupplement. tom.* II. p. 503.

dus Porderus, Londini MDLXXIII. THEOPHILI autem *Antiocheni* libri *ad Autolycum* cura *Iosephi Betty* Oxoniæ MDCCXXII. 8. EVSEBII libri *historiæ ecclesiasticæ* a *Samuele Parkero* verſi atque in epitomen redacti: * MACARII *homiliæ* eodem ſermone lucem viderunt Londini MDCCXXI. 8. ** Ex ordine patrum latinorum referendi huc ſunt CYPRIANVS, MINVCIVS FELIX, qui anglice in lucem prodiit Londini MDCLXXXII. 8. CYPRIANVS, editus a *Nathanaele Marshallo*, cum notis, Londini MDCCXVII. fol. *** liber de *mortibus perſequutorum*, qui Lactantio adſcribitur, *Gilberto Burneto* interprete, cum præfatione de perſequutione, chriſtianos parum decente, Londini MDCLXXXVI. et MDCCXIV. 8. *

GALLICE

IVSTINI *martyris opera*, ſtudio *Io. de Maumont*, Pariſiis MDLIV. fol. ac ſingularia ſcripta quædam, eaque *elenchus*; ſiue *parænesis ad Græcos*, quam *Martinus du Pin* gallice vertit, Pariſiis MDLXXX. atque *apologia* longior, Pariſiis MDCLXXXVI. 12.

ORIGENIS libri *contra Celſum* octo pro veritate religionis chriſtianæ, quorum interpretationem gallicam præſtantiſſimam *Elias Boherellus* compoſuit atque addidit notas ac coniecturas ad græca Origenis, quibus multa loca haud infeliciter emendantur et caſtigantur. Prodiit opus hoc ſub titulo: *traité d'Origene contre Celſe*, Amſtelodami MDCC. 4. multumque ſe commendauit. **

CYRILLI *Hieroſolymitani catecheſes*, cum notis ac diſſertationibus dogmaticis, quas ſub inſcriptione: *les catecheſes de ſaint Cyrille de Ieruſalem auec des notes et des diſſertations dogmatiques*, iuris publici fecit *I. Grancolas*, Pariſiis

* *nouuelles de la republique des lettres* MDCCIII. *auguſt.* p. 229.
** *acta eruditor.* MDCCXXIV. p. 86.
*** *acta eruditor.* MDCCXVIII. p. 145.
* *nouuelles de la republiqu. des lettres* MDCLXXXVII. p. 978. *hiſtoire des ouurages des ſauans* MDCLXXXVII. p. 112.
** *acta eruditorum* MDCCII. p. 127.

risiis MDCCXV. 4. * Recensetur quoque versio gallica harum catecheseon, Parisiis MDLXIV. 12. edita.

BASILII *magni epistolae*, quae ita inscriptae prodierunt: *lettres de saint Basile le grand, archeueque de Caesarée en Cappadoce, traduites du grec, disposées en meilleur ordre, auec des notes et les sommaires de chaque lettre*, Parisiis MDCXCIII. 8.

GREGORII *Nazianzeni sermones*, qui gallice conuersi, titulo hoc: *sermons de saint Gregoire de Nazianze, surnommé le theologien, traduits du grec, auec des notes*, in lucem prodierunt, Parisiis MDCXCIII. 8. duobus tomis:

EVSEBII *historia ecclesiastica*, ex interpretatione *Claudii Seyssellii*, quae laudatur, ** ac postea interprete *Ludouico Cousino*, Parisiis MDCLXXV. 4. ***

SOCRATIS et SOZOMENI *historia ecclesiastica*, quae, interprete memorato *Ludouico Cousino*, gallice prodiit Parsiiis MDCLXXVI. 4. *

THEODORETI *historia ecclesiastica*, cuius duae interpretationes gallicae exstant: altera antiquior, studio *Martini Matthaei*, prioris in monasterio nouo apud Pictauos composita: altera recentior, quam dicti *Ludouici Cousini* industriae debemus, Parisiis MDCLXXVI. 4. vna cum Euagrio. **

IO. CHRYSOSTOMI *epistolae*, quarum versio gallica hanc inscriptionem prae se fert: *les lettres de saint Iean Chrysostome, traduites en francois sur le grec des peres Benedictins de la congregation de saint Maur, ou elles sont rangées selon l'ordre de tems, auec des notes, des sommaires et deux traitez ecrits du lieu de son exil a la veuue sainte Olimpiade*, Parisiis MDCCXXXII. 8. duobus tomis ac voluminibus. Exstant etiam *les panegyriques des martyrs par saint Iean Chrysostome, traduits du grec, auec vn abrege de la vie de ces memes mar-*

* *memoires de Treuoux* MDCCXVIII. *august.* p. 186. *iournal des sauans* MDCCXVI. *mart.* p. 248.

** in MORLERII *essais de litterature tom.* I. p. 35.

*** FABRICIVS *bibliothec. graec. volumin.* IV. p. 62.

* FABRICII *bibliothec. graec. volum.* VI. p. 121.

** FABRICIVS *dicto loco* p. 125.

martyrs, Parisiis MDCCXXXV. 8. ac præter orationes has, *homilies sur la genese et sur les actes des apotres*, Parisiis MDCCIII. 8. tribus voluminibus.*

Non solum græcorum; sed etiam latinorum antiquiorum christianorum doctorum monimenta in sermonem gallicum conuersa sunt, quemadmodum ipsæ generis huius interpretationes, quæ ad nos peruenerunt, satis comprobant. Enarrabo ista ordine temporum, quibus patres hi vixerunt, non ea adcuratione, vt nullum plane scriptum, gallice versum, omittatur, ad quod præstandum me haud valere, fateor; debita tamen diligentia. Ad locum igitur hunc pertinent:

Tertulliani varii libri atque in his *apologeticus aduersus gentes*, cuius duplex versio in lucem exiit: altera studio *Ludouici Girii*, Parisiis MDCXXXVI. 12. MDCXLVI. 12. MDCLXXXIV. 8. Amstelodami MDCCI. 8. cum textu latino ac PETRI ALLIXII *dissertatione de Tertulliano ac scriptis eius.* ** Altera editio prodiit adcuratiore cura *Vassoultus*, cum notis, Parisiis MDCCXIV. *** Gallice quoque versus est liber de *præscriptione hæreticorum* per *Aubertum de Macere*, Parisiis MDLXII. et *Brosseo* interprete, Parisiis MDCXII. 8. noua autem editio, notis instructa, lucem vidit Parisiis MDCCXXIX. 12. * Præter hunc, lingua eadem extant ac legi possunt alii Tertulliani libri, vti sunt: de *oratione*, quem gallice reddidit *Hobier*, Parisiis MDCXL. 12. de *patientia*, itidem interprete *Hobierio*, Parisiis MDCXL. 12. de *corona militis*, quem librum verterunt: *Aubertus de Macere*, Parisiis MDLXIII. et *Florimundus Remondus*, Parisiis MDXCIV. 8. de *carne christi* et de *resurrectione*, quam in-

 terpre-

* *iournal des sauans* MDCCIII. *nouembr.* p. 1018.

** *memoires de Treuoux* MDCCIII. *iul.* p. 42. BERNARDI *nouuelles de la republique des lettres* MDCCI. *ianuar.* p. 40.

*** *iournal des sauans* MDCCXIV. *septembr.* p. 291. *memoires de Treuoux* MDCCXIV. *iun.* p. 1062. confer. FABRICII *syllabum scriptorum de veritate religion. christian. cap.* V. p. 208. *nachricht von den büchern in der stollischen bibliothec tom.* II. p. 421.

* *memoires de Treuoux* MDCCXXIX. *iun.* 1729. p. 1083. *iournal des sauans* MDCCXXIX. *august.*

terpretationem debemus antea memorato *Ludouico Girio*, Parisiis MDCLXI. 8. *ad martyres*, quem librum præter *Florimundum Remondum* gallice interpretatus est *Paullus Colomesius*, Rupell. MDCLXXIII.

MINVCII FELICIS *Octauius*, qui interprete *Perroto Ablancurtio* gallice prodiit Parisiis MDCXLVI. 12. MDCLXII. 12. et latinis e regione positis, Lipsiæ MDCLXXXIX. 12.

CYPRIANI *opera*, quorum gallica interpretatio hunc titulum præ se fert: *les œuures de saint Cyprien, eueque de Carthage et martyr, traduites en francois par Pierre Lambert, auec des remarques, vne nouuelle vie de saint Cyprien, tirée de ses ecrits et vne table des matiers*, Rothomagi MDCCXVI. 4. Gallice quoque lucem viderunt Cypriani *epistolæ* per *Iacob. Tigeon*, Parisiis MDLXXIV. fol. et per *Lombertum*, cum notis ac vita Cypriani, Parisiis MDCLXXII. 4. quo et spectant: *lettres choisies de saint Cyprien aux confesseurs et aux martyrs, auec des remarques historiques et morales*, Amstelodami MDCLXXXVIII. 12.*

LACTANTII *diuinæ institutiones*, quarum interpretatio gallica publicæ luci exposita fuit, Parisiis MDXLVI. 8. Lugduni MDLXIII. 12. cum præmisso errorum Lactantii catalogo, cuius versionis auctor est *Renatus Fameus*. Translatus quoque est in linguam gallicam *liber primus institutionum a Droueto de Maupertuy*, Auenione MDCCX. 12.** Memoratur praeterea versio gallica libri de *mortibus persequutorum*, cuius auctorem esse Lactantium, vulgaris est sententia, inscripta: *traite de la mort des persecuteurs par Maucroix*, Parisiis MDCLXVII. MDCLXXX. 12. et alia, cuius titulus est: *histoire de la mort des persecuteurs de l'eglise primitiue, ecrite in latin par Lactance et traduite en francois sur la traduction angloise de mr. le docteur Burnet*, ceter. Vltraiecti MDCLXXXVII. 12.***

OPTATI

* BAELII *nouuelles de la republique des lettres* MDCLXXXVIII. *mart.* p. 335.

** *memoires de Treuoux* MDCCXII. *decembr.* p. 2055.

*** BAELII *nouuelles de la republique des lettres* MDCLXXXVII. *septembr.* p. 979.

OPTATI *Mileuitani* libri de *ſchismate Donatiſtarum*, quorum verſio gallica ita inſcripta eſt: *l'hiſtoire du ſchisme, blasphemes, erreurs, ſacrileges, homicides, inceſtes et autres impietez des Donatians, ecrite en latin par Optat, eueque Mileuitain, miſe en langue francoiſe et repurgé de pluſieurs fautes, augmentée auſſi par le ſupplement de quelques imperfections et explication des lieux difficiles*, cura *Petri Viel*, Pariſiis MDLXIV. 8.

AMBROSII libri de *virginitate* gallice conuerſi atque editi ſunt, ſub titulo: *Ambroiſe de l'origine, de l'excellence et des auantages de la virginité traduit en francois*, interprete *Antonio Ioſepho Mege*, Pariſiis MDCLV. 12. Addita eſt diſſertatio de *origine, prærogatiuis et commodis virginitatis.* *

AVGVSTINI varia ſcripta eaque: I.) de *ciuitate dei*, cum notis, interprete *Petro Lomberto*, ſub titulo: *la cité de dieu de ſaint Auguſtin, traduite en francois et reuué ſur pluſieurs anciens manuſcripts, auec des remarques es des notes*, Amſtelodami MDCCXXXVI. 12. quatuor tomis: II.) *ſermones in pſalmos*; ſiue: *ſermons de ſaint Auguſtin ſur les pſeaumes, traduits en francois*, Pariſiis MDCLXXXIII. 8. ſeptem tomis: III.) *epiſtolæ, les lettres de ſaint Auguſtin, traduits en francois ſur l'edition nouuelle des peres Benedictins de la congregation de ſaint Maur, ou elles ſont rangées ſelon l'ordre des tems, reuues et corrigées ſur les anciens manuſcrits et augmentées de quelques lettres, qui n'auoient pas encore paru, auec des notes*, quæ verſio poſtquam primam lucem adſpexerat Pariſiis MDCLXXXIV. fol. duobus voluminibus et in 8. ſex voluminibus, ** aliæ editiones ſequutæ ſunt atque in his tertia ſtudio *du Bois*, Inſulis MDCCVII. 12. ſex voluminibus: IV.) *contra academicos* libri, gallice ita inſcripti: *les liures de ſaint Auguſtin contre les philoſophes academiciens, auec le traité de la grace et de la liberté, traduits en francois ſur la nouuelle edition des peres Benedictins de la congregation de ſaint Maur*, Pariſiis MDCCIII.

* PEZII *bibliotheca Benedictino-Mauriana* p. 57.

** BAELII *nouuelles de la republique des lettres* MDCLXXXIV. *nouembr.* p. 958.

MDCCIII. 12. * V.) libri de *gratia et peccato originali*, qui gallice verſi hanc inſcriptionem præferunt: *les deux liures de ſaint Auguſtin de la grace de ieſus chriſt et du peché originel, traduits en francois ſur l' edition des peres Benedictins de la congregation de ſaint Maur*, Pariſiis 12. ** VI.) liber de *gratia*, ſub titulo: *le liure de ſaint Auguſtin ſur la grace et le libre arbitre et deux lettres de ce pere a Valentin et aux moines d' Adrumet, traduits en francois auec des notes, par monſeigneur l' eueque de Marſeille*, ceter. *** VII.) libri *confeſſionum*, quos non ſemel; ſed iterum atque iterum in linguam gallicam, vti et in alias, translatos eſſe, conſtat: VIII.) *les ſix liures de ſaint Auguſtin contre Iulien, defenſeur de l' hereſie Pelagienne, traduits en francois ſur l' edition des peres Benedictins de la congregation de ſaint Maur*, Pariſiis MDCCXXXVI. 12. duobus tomis 12. *

HIERONYMI *epiſtolæ*, quarum variæ interpretationes gallicæ atque editiones in lucem prodierunt. Inter eas laudatur verſio, cuius curam ſuſcepit *Guilielmus Ruſſelius* quæque in conſpectum publicum venit, ſub titulo: *lettres de ſaint Ierome, traduites en francois ſur la nouuelle edition des peres Benedictins de la congregation de ſaint Maur, auec des maximes morales, des notes et des remarques ſur les endroits difficiles*, tribus tomis, quorum primus ac ſecundus lucem viderunt Pariſiis MDCCIV. 8. tertius autem ibidem MDCCVII. 8. ** Adducitur etiam editio anni MDCLXXIX. 8. ***

SVLPICII SEVERI ſcripta, quæ gallice vertit *Ludouicus Girius*, Pariſiis MDCLIX. 12. *

SALVIANI *opera*, quorum interpretatio gallica hanc inſcriptionem præfert: *les œuures de Saluien, pretre de Marſeille, contenant ſes lettres et ſes traites ſur l' eſprit d' interet*

* *iournal des ſauans* MDCCIII. *april.* p. 366.
** *memoires de Treuoux* MDCCXXXIX. *ianuar.* p. 103.
*** *memoires de Treuoux* MDCCXLIII. *nouembr.* p. 2831.
* *memoires de Treuoux* MDCCXXXVI. *mai.* p. 1034.
** *iournal des ſauans* MDCCIV. *febr.* p. 189. MDCCVIII. *ianuar.* p. 132.
*** *catalog. bibliothec. Bunauianæ tom.* III. *volum.* I. p. 152.
* MOLLERVS diſſertatione de *Sulpicio Seuero* §. 17.

ret et sur la prouidence, traduites en francois, Parisiis MDCCXXXV. 12. *

PAVLLINI *Nolani epistolae*, quarum titulus est: *les lettres de saint Paulin, traduites en francois, auec des eclaircissemens et des remarques sur plusieurs endroits, qui regardent l'histoire, ou la discipline ecclesiastique*, Parisiis MDCCIII. 8.**

PAVLLI OROSII scripta, edita gallice interprete *Philippo le Noir*, Parisiis MDXXVI. fol. ***

GREGORII *magni* libri *dialogorum*, quorum versio gallica inscriptione hac lucem adspexit: *dialogues de saint Gregoire le grand, nouuellement traduits en francois, auec des eclaircissemens*, Parisiis MDCLXXXIX. 12. Accessit dissertatio, cum pro veritate eorum, quae in *dialogis* his narrantur; tum pro fide ipsorum *dialogorum* conscripta. Interpres est *Ludouicus Bulteau*, monachus Benedictinus e congregatione sancti Mauri.* Sed num interpretatio haec iure huc referatur, disputari potest. Gregorium ipsum patribus ecclesiae omnino adnumerandum esse, res est non satis expedita; nec desunt argumenta, quae *dialogorum* auctoritatem imminuunt.

BELGICE

Lingua belgica in lucem prodierunt: POLYCARPI *epistola*, interprete *Salomone Bor*, Traiecti ad Rhenum MDCXCVIII. fol. MACARII *homiliae* studio *Cornelii Kiel*, Antuerpiae MDLXXX. 8. ARNOBII libri cura *Ioachimi Oudaeni*, Harlingae MDCLXXVII. 8. MINVCII FELICIS *Octauius* per *Gargonum*, Vlissingae MDCCXII. 8. SVLPICII SEVERI libri *historiarum* cum notis et continuatione *Petri Rabi* ad Caroli V. tempora, Roterodami MDCCI. 4.

ITALICE

ATHENAGORAE liber de *resurrectione*, quem italice vertit *Hieronymus Faleti*, Venetiis MDLVII. 4. apud Aldum:

* *memoires de Treuoux* MDCCXXXV. *nouembr.* p. 2284.
** *iournal des sauans* MDCCIII. *ianuar.* p. 99.
*** FABRICII *bibliothec. latin. volumin.* III. p. 537.
* PEZII *bibliothec. Benedictin. Maurian.* p. 61.

dum: AVGVSTINI libri *confessionum*, interprete *Iulio Mazzini*, Romæ MDXCV. 4. quos et in sermonem italicum conuertisse, *Iacobus Fuligatus* traditur: OROSII libri, auctore M. A. *Bonacciuoli*, Venetiis MDXXVIII. 4. libri *dialogorum*, qui *Gregorio magno* tribuuntur: præter editionem, quæ sine loco atque anno lucem vidit, Venetiis MCCCCLXXV. fol. MCCCCLXXXVII. 4. Mediolani MCCCCLXXXI. Caietæ MCCCCLXXXVIII. fol. et ex noua *Io. Mariæ Tarsiæ* Florentini interpretatione Venetiis MDCVI. * Eiusdem GREGORII libri *moralium;* siue commentarii in Iobum, iam antea italice versi, iterum prodierunt cum noua præfatione, *Cœnobio de Arata* interprete, Romæ MDCCXIV. 4. **

SVECICE

CYPRIANI libellus de *oratione dominica*, quem suecice vertit *Io. Grosch*, Rostochii MDCXV. 8.

GERMANICE

PATRVM APOSTOLICORVM scripta, quæ a nonnullis in linguam germanicam translata ac coniunctim edita sunt; non ea autem adcuratione, quæ omnino adhiberi debuisset. Qui ad laborem hunc se admouerunt, eo maxime a recta via aberrarunt, quod monimenta aperte adulterina in ordinem germanorum librorum adscripserint. Generis huius volumina sunt:

MARTINI MOELLERI *zwölf episteln, aus dem griechischen verdeutscht*, Goerlitii MDLXXVIII. 8.

GOTTFRIEDI ARNOLDI *sendschreiben der alten*, vbi inter alia sunt: IGNATII *sieben glaubwürdige briefe, nach dem griechischen genauer corrigirt vnd ins deutsche übersezt*, Francofurti et Lipsiæ MDCC. 8. Præterea ARNOLDVS iuris publici fecit: *zwey sendschreiben aus der ersten apostolischen kirchen, deren das eine ist des heiligen iungers vnd Paullinischen gefehrten, Barnabæ: das andere des heiligen martyrers vnd aufsehers zu Rom Clementis, nun zum erstenmal verdeutscht von* M. G. A. A. M. quæ litteræ

* FABRICII *bibliothec. latina mediæ et infimæ ætatis libr.* VII. p.251.
** *actor. eruditor. supplement. tom.* VI. p. 451.

teræ nomen eius cum patria indicare debent, hoc modo: *Magiſter Gottfriedus Arnoldus*, *Annabergenſis Miſnicus*, quemadmodum interpretatio hæc in ipſa dedicatione legitur:*

IO. OTTON. GLVSINGII *monumenta apoſtolica; oder der apoſtoliſchen männer, Barnabæ, Hermæ, Clementis, Ignatii, Polycarpi, Iuſtini vnd anderer heiligen Zeugen der erſten kirche briefe vnd ſchriften*, Hamburgi MDCCXXIII. 8. Exſtant quoque epiſtolæ patrum apoſtolicorum germanice ad calcem noui teſtamenti, editi Schifbecæ prope Hamburgum MDCCXI. 12.

THEOPHILI *Antiocheni* libri ad *Autolycum*, quos e græco in Germanorum linguam transtulit: præfatione ac notis ornauit ac ſub inſcriptione: *des heiligen Theophili drey bücher an Autolycum* in publicam lucem emiſit *Guſtau. Chriſtoph. Hosmannus*, Hamburgi MDCCXXIX. 8. **

ORIGENIS libri *contra Celſum*, quorum interpretationem germanicam debemus *Io. Laurentio Moshemio*, editam ab eo ſub titulo: *Origenis, vorſtehers der chriſtlichen ſchule zu Alexandria vnd ælteſtens, acht bücher von der wahrheit der chriſtlichen religion*, ceter. Hamburgi MDCCXLV. 4. Verſionem hanc compoſuit Moshemius ad editionem *Spenceri*, ita vt diſcrepantes ſcripturas, vna cum interpretatione gallica horum librorum, quam *Elias Bouhereau* dedit, conſuleret iisque tamquam adiumentis vteretur. Subiecit nonnulla, quæ ad Origenis vitam, doctrinam, virtutes, honores, merita, aduerſa fata pertinent. In adnotationibus ſtudia ſua non tam ad lectiones variantes diiudicandas; quam ad ſententiam dictorum illuſtrandam contulit atque animum, veritatis cupidum, prodidit. Indicat, vbi Origenes non bona mente cum aduerſario agit ſuppletque ac emendat, quando ille ad ea, quæ obiecta ſunt, vel plane non; vel non adcurate reſpondet. ***

EVSE-

* TENZELII *monatliche vnterredungen*, 1696. p. 73.

** *acta eruditorum* MDCCXXX. p. 323.

*** *acta eruditorum* MDCCXLVIII. p. 526. *deutſche acta eruditorum volum.* XVIII. p. 131. *bibliotheque raiſonnée tom.* XXXV. p. 395. *nachrichten von neuen büchern volumin.* IV. p. 661.

EVSEBII et RVFINI ac *tripartitam hiſtoriam* cum continuatione vsque ad annum chriſti MDXLV. germanice edidit *Caſpar Hedio*, Argentorati MDXLV. fol.

EPHRAEMI *Syri ſermones*, quorum interpretationem germanicam *Gottfr. Arnoldus* compoſuit atque ad vſum publicum transtulit, hoc titulo: *des heiligen Ephrem aus Syrien ſermones, von der gottſeligkeit, von der enthaltung, von der keuſchheit, von vbung der gottſeligkeit*, qui ſermones, germanice redditi, acceſſerunt ad MACARII ſcripta, itidem germanice edita, Goslariæ MDCCII. 8.

MACARII Aegyptii, ſenioris, monimenta, Germanorum lingua in lucem emiſſa, cura *Gottfridi Arnoldi*, hac inſcriptione: *ein denckmal des alten chriſtenthums, beſtehend in des heiligen Macarii vnd anderer hocherleuchteten männer aus der alten kirche höchſterbaulichen vnd auserleſenen ſchriften*, quorum prima editio lucem vidit Lipſiæ MDCXCVI. 8. ſecunda emendata ac locupletata Goslariæ MDCCII. 8.

IO. CHRYSOSTOMI *ſermones atque opuſcula*, quorum interpretatio germanice hunc titulum præ ſe fert: *des heiligen kirchenlehrers Ioannes Chryſoſtomus, erzbiſchofs vnd patriarchen zu Conſtantinopel, predigten vnd kleine ſchriften, aus dem griechiſchen vberſetzet: mit abhandlungen vnd anmerckungen begleitet.* Opus hoc conſtat decem voluminibus, quorum primum cum præfatione *Romani Telleri* lucem vidit, cura *Io. Andreæ Crameri*, Lipſiæ MDCCXLVIII. 8. hocque reliqua ſequuta ſunt: ſecundum MDCCXLIX. 8. tertium vsque ad quintum eodem anno 8. ſextum, ſeptimum, octauum, nonum anno MDCCL. 8. decimum denique MDCCLI. 8. Commentationes, quibus ornatum eſt opus hoc, varii ſunt argumenti; maxime vero ſpectant ad Chryſoſtomum ipſum, vitam eius, doctrinam, ſpeciatim eloquentiam ſacram. In opus hoc eiusque volumen primum translati etiam ſunt CHRYSOSTOMI libri de *ſacerdotio*. *

TERTVLLIANI nonnulli libri, in quorum numero ſunt: liber de *patientia*, germanice editus a *Luca Maio*, Smal-

* KRAFTII *theolog. bibliothec volum.* VII. p. 522.

Smalcaldiæ MDLXXXII. 12. liber *ad Scapulam*, interprete *Abr. Hinckelmanno*, Luneburgi MDCLXXXII. 12. liber *ad martyres*, cuius interpretationem germanicam itidem iam dictus *Hinckelmannus* edidit, Luneburgi MDCLXXXII. 12.

CYPRIANI ſcripta germanice a *Melchiore Ambachio* in lucem prolata, quorum titulus eſt: *ſancti Cæcilii Cypriani, des alten chriſtlichen lehrers vnd biſchofs predigten vnd ſchriften, mit ſummarien vnd erklärungen etlicher dunckler ſprüche vnd wörter, deren ſanct Cyprianus gebraucht, aus ſanct Cypriani ſelbs vnd anderer chriſtlichen lehrer ſchriften erläutert. Zeugnis, vrtheil vnd lob der furnemſten lehrer vom leben, lehre vnd leiden ſanct Cæcilii Cypriani*, Noribergæ MDLIII. fol. Non omnia ſcripta germanice exhibentur. *

AVGVSTINI libri *confeſſionum*, qui vti in alias; ita in germanicam quoque linguam translati ſunt, Noribergæ MDCLXXII. Coloniæ MDCLXXIII. atque aliis locis annisque: libri de *ciuitate dei*, *von der ſtadt gottes*, Amſtelodami MDCLX. 4.

OROSII verſio germanica *Hieronymi Boneri* lucem vidit Francofurti MDLXXVI. MDLXXXI. fol.

* STOLLII *nachricht von den leben, ſchriften vnd lehren der kirchenväter* p. 174. *nachricht von den büchern in der ſtolliſchen bibliothec tom.* I. p. 94.



CAPVT

CAPVT VI.
DE SCRIPTIS PATRVM ECCLESIAE EXPOSITIS ATQVE ILLVSTRATIS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

De variis eorum generibus, qui patres ecclesiæ interpretati sunt, generatim §. I. II. III.

Speciatim recensentur, qui ipsa patrum scripta ediderunt ac notas adiunxerunt §. IV.

Qui monimenta hæc notis variorum instruxerunt §. V.

Animaduersiones suas separatim vulgarunt §. VI.

Praeterea singulares commentationes in scripta patrum composuerunt §. VII.

Ex quo post inuentam typographiam monimenta ingenii litteris describi cœperunt, in illis iam prima dictæ artis ætate scripta quoque patrum ecclesiæ locum habuerunt, quemadmodum antiquissimæ eorum editiones, supra a me enarratæ, satis comprobant. Nec defuerunt postea inter doctissimos viros, qui libros, a patribus ordinis sacri conscriptos, recenserent notisque illustrarent.

§. II.

Ratio, qua notæ hæ compositæ atque editæ sunt, diuersa est, quum aliæ lucem viderunt coniunctim cum ipsis patrum scriptis: aliæ vnius tantum; aliæ autem plurium; siue variorum auctorum, quæ collectæ exhibentur, notæ sunt. Aliæ præterea prodierunt separatim, sine ipsis monimentis, ad quæ istæ spectant: aliæ denique, se data occasione conscriptas esse, ostendunt atque in operibus librisque dispersæ habentur.

§. III.

Diuersæ quoque sunt ipsæ notæ duoque genera earum constitui possunt, quum illæ vel ad scripturas atque illarum adcurationem; vel ad veram sententiam eorum, quæ dicta sunt, spectant. Prioris generis notæ adpel-

adpellari possunt *criticae*, quae recensent variantes lectiones easdemque diiudicant, vt videant alii, quae scriptura altera sit probabilior hancque ob rem praeferatur, ac quando correctiones instituuntur atque emendationes, fiunt istae ope vel codicum manuscriptorum; vel ingenii ac coniecturarum criticarum. Posterioris generis animaduersiones nominare licet *philologicas*, si vocabulo huic latiorem significandi vim tribuere velimus, siue illae sint grammaticae; siue historicae; siue dogmaticae ac polemicae.

§. VI.

Quum ad rem ipsam nunc venio, commemorationem eorum, qui scripta patrum ecclesiae notis illustrarunt, eo ordine facere, mecum constitui, vt initium fiat de illis, qui ipsa patrum monimenta iuris publici fecerunt ac simul notas adiunxerunt. Interpretum horum magnus est numerus; vt eos tamen distincte percenseam, litterarum ordinem sequar. Exstant notae, animaduersiones, commentarii, vel breuiores; vel longiores:

GABRIEL ALBASPINAEI in *Optatum mileuitanum*, Parisiis MDCXXXI. fol. in aliquot *Tertulliani libros et loca*, cum eiusdem *obseruationibus ecclesiasticis*, Parisiis MDCXXII. 4. Helmstadii MDCLXXII. 4.

LEONIS ALLATII in varia graecorum scriptorum monimenta. Reliquit: *catenam sanctorum patrum in Ieremiam: expositionem Ioannis Chrysostomi, homilias* VIII. *Origenis et Maximi confessoris quaestionem in eumdem prophetam*, graece et latine, Lugduni MDCXXIII. fol. quae tamen *catena*, si rem adcurate narrare volumus, locum hunc haud tueri potest. Maiori iure huc pertinent: NILI *epistolae*, Romae MDCLXVIII. fol. METHODII *conuiuium decem virginum*, Romae MDCLVI. 8. EVSTATHIVS in *hexaëmeron*, Lugduni MDCXXIX. 4.

ANDREAE ARNOLDI in *Athanasii syntagma doctrinae* ad monachos omnesque christianos, tam clericos; quam laicos, Parisiis MDCLXXXV. 8.

IOSEPH.

IOSEPH. SIM. ASSEMANI ac sociorum in *Ephraëmi Syri opera*, Romae ab anno MDCCXXXII. fol.

FRANCISCI BALDVINI in *Optatum mileuitanum*, Parisiis MDLXIII. MDLXIX. 8.

STEPHANI BALVZII in *Saluiani* et *Vincentii Lerinensis opera*, Parisiis MDCXXXIII. 8. ibidem MDCLXIX. MDCLXXXIV. 8. in *Caesarii Arelatensis homilias*, Parisiis MDCLXIX. 8. in *Marii Mercatoris opera*, Parisiis MDCLXXXIV. 8. in *Cypriani opera*, Parisiis MDCCXX. fol.

CASPAR. BARTHII in *Phoebadii* librum *contra Arianos*, Francofurti MDCXXIII. 8. in *Aeneam Gazaeum et Zachariam Mitylenaeum de immortalitate animae et mortalitate vniuersi*, Lipsiae MDCLIII. 4. in CLAVDIANI ECDICII MAMERTI libros de *statu animae* atque alia, Cygneae MDCLV. 8. item in *Optatum mileuitanum*.

XYSTI BETVLEII in *Lactantium*, Basileae MDLIII. fol.

IO. BAPTISTAE LE BRVN in *Paullini opera*, Parisiis MDCLXXXIV. 4.

IOACHIMI CAMERARII in *orationes quasdam Gregorii Nysseni*, Lipsiae MDLXIV.

THEODORI CANTERI in *Arnobium*, Antuerpiae MDLXXXII. 8.

MERICI CASAVBONI in *Optatum mileuitanum*, Londini MDCXXXI.

CHRISTOPHOR. CELLARII in *Lactantium*, Lipsiae MDCXCVIII. 8. in *Minucii Felicis Octauium* et *Cypriani* librum de *vanitate idolorum*, Halae MDCXCIX. 8. in *Prudentii quae exstant*, Halae MDCCIII. 8. et in *Sedulii poëmata*, Halae MDCCIV. 8.

IO. LVDOVICI DE LA CERDA in pleraque *Tertulliani opera*, *argumentis*, *explicationibus ac notis illustrata*, duobus tomis, quorum prodiit prior Parisiis MDCXXIV. posterior ibidem MDCXXX. fol. cuius et commentarius in *Tertulliani* librum de *pallio* exstat ad calcem eius *aduersariorum sacrorum*.

STEPHANI CHAMILLARDI in *Prudentii opera*, Parisiis MDCLXXXVII. 4.

PETRI

PETRI FRANCISCI CHIFFLETII in *Victorem Vitensem* et *Vigilium Tapsensem*, Diuione MDCLXIV. in *Fulgentii opera*, ibidem MDCXLIX.

IOANN. CLERICI in *Sulpicium Seuerum*, Lipsiae MDCCIX. 8.

PAVLLI COLOMESII in *Clementis epistolas ad Corinthios*, Londini MDCLXXXVII.

FRANCISCI COMBEFISII in *Amphilochii Iconiensis*, *Methodii Patarensis* et *Andreae Cretensis opera*, Parisiis MDCXLIV. fol. in *Chrysostomi* librum de *educandis liberis*, Parisiis MDCLVI. 8. in *illustrium christi martyrum lectos triumphos*, Parisiis MDCLX. 8. in *Theodoti Ancyrani* librum *aduersus Nestorium*, Parisiis MDCLXXV. 8. in *Maximi confessoris opera*, Parisiis MDCLXXV. fol. Exstat quoque *graeco-latinae patrum bibliothecae* duplex *auctarium*, *nouum* ac *nouissimum*, de quibus atque aliis Combefisii scriptis, quae referri huc possunt, supra differui.

BALTHASARIS CORDERII in *Dionysii Areopagitae opera*, Antuerpiae MDCXXXIV. fol.

IO. BAPTISTAE COTELERII in *patrum apostolicorum*, *Barnabae*, *Clementis*, *Hermae*, *Ignatii*, *Polycarpi opera*, Parisiis MDCLXXII. fol. et in *ecclesiae graecae monimenta*, tribus voluminibus, quorum primum lucem vidit Parisiis MDCLXXVII. secundum ibidem MDCLXXXI. ac tertium MDCLXXXVIII. 4.

ERNESTI SALOM. CYPRIANI in *Hieronymi catalogum scriptorum ecclesiasticorum*, Francofurti MDCC. 4. et in FABRICII *bibliotheca ecclesiastica*.

LAMBERTI DANAEI in *Augustini librum de haeresibus*, Geneuae MDLXXVI. 8.

IO. DAVISII in *Minucii Felicis Octauium*, Cantabrigiae MDCCVII. 8. et iterum ibidem MDCCXII. 8. cum accessionibus.

CLAVDII DAVSQVEII in *Basilium Seleuciensem*, Heidelbergae MDCIV. 8.

EDVARDI DECHAIR in *Athenagorae apologiam; siue legationem pro christianis*, Oxoniae MDCCVI. 8.

FROTONIS DVCAEI in *Asterii homilias:* in *Athenagorae apologiam*, quae notae habentur in DVCAEI *bibliotheca vete-*

rum patrum; item in *Basilii magni opera:* in *Clementem Alexandrinum:* in *Gregorii Nazianzeni opera:* in *Gregorii Nysseni opera:* in *Theophili libros ad Autolycum:* in *Tatiani orationem contra Graecos:* in *metaphrasin Gregorii thaumaturgi in ecclesiastem:* in quaedam *Hieronymi loca:* in varia *Chrysostomi scripta:* in librum I. *Irenaei de haeresibus*: in *Palladii historiam Lausiacam* aliaque.

GEVERHARDI ELMENHORSTII in *Arnobium.* Hamburgi MDCX. fol. in *Minucium Felicem*, Hanou. MDCIII. et Hamburgi MDCXII. fol. in *Gennadium* de *ecclesiasticis dogmatibus*, Hamburgi MDCXIV. 4. in *Proclum Constantinopolitanum*, Lugduni Batauorum MDCXVII. 12.

DESIDERII ERASMI in *Hieronymum*, Basileae MDXVI. fol.

IO. ALBERTI FABRICII in *Hippolyti opera*, duobus voluminibus, Hamburgi MDCCXVI. MDCCXVIII. fol. in *Philastrii librum de haeresibus*, Hamburgi MDCCXXI. et in HIERONYMI *catalogum scriptorum ecclesiasticorum;* siue librum de *viris illustribus*, in eiusdem *bibliotheca ecclesiastica*, Hamburgi MDCCXVIII. fol.

FRANCISCI FABRICII in *Paullum Orosium*, Coloniae MDLXXXII. 8. et antea MDLXI. MDLXXIV.

GEORGII FABRICII in *poëtarum veterum ecclesiasticorum opera christiana*, Basileae MDLXIIII. 4. et in quosdam *hymnos Prudentii*, Lipsiae MDLXVIII.

PETRI FELCKMANNI in *Athanasii opera*, Heidelbergae MDCI. fol.

IO. FELLI in *Athenagoram*, librum eius de *resurrectione* eiusdemque *apologiam*, Oxoniae MDCLXXXII. 12. in *Theophili Antiocheni* libros *ad Autolycum*, Oxoniae MDCLXXXIV. 12. in *Clementis Alexandrini* librum, *quis diues salutem consequi possit?* Oxoniae MDCLXXXIII. 12. in *Cypriani opera*, Oxoniae MDCLXXXII. fol.

FRANCISCI FEVARDENTII in *Irenaei aduersus Valentini et similium gnosticorum haereses libros quinque*, Parisiis MDLXXVI. fol.

NICOLAI GALLASII in *Irenaeum*, Geneuae MDLXX. fol.

SERVATII GALLAEI in *Lactantium*, cum selectis variorum commentariis, Lugduni Batauorum MDCLX. 8.

IO. GARNERII in *Marii Mercatoris opera*, Parisiis MDCLXXIII. fol. in quaedam *Theodoreti* scripta, Parisiis MDCLXXXIV. fol. in *Liberati breuiarium*, Parisiis MDCLXXV. 8.

ALARDI GAZAEI in *Cassianum*, Atrebati MDCXXVIII. fol.

GABRIELIS GERBERONII, sub nomine *Rigberii* latentis, in opuscula quaedam *Marii Mercatoris*, Bruxellis MDCLXXIII. 12.

CONRADI GESNERI in *Tatianum*, Tiguri MDXLVI. fol. et *Athanagorae apologiam*, Basileae MDLVIII. 8.

IACOBI GODOFREDI in *Tertulliani libros ad nationes*, Geneuae MDCXXV. 4. et in *Philostorgii historiam ecclesiasticam*, Geneuae MDCXLII. 4.

IO. ERNESTI GRABII in *Iustini martyris apologiam primam*, Oxoniae MDCC. 8. et in *Irenaeum*, Oxoniae MDCCII. fol. quibus addi potest eiusdem *spicilegium patrum, vt et haereticorum*, ibidem MDCXCVIII. et MDCXCIX. 8.

HENRICI GRAVII in *Hieronymi* librum de *viris illustribus* eiusdemque *epistolas*: in *Paullini opera*, Coloniae MDLX. 8.

IACOBI GRONOVII in *Minucium Felicem*, Lugduni Batauorum MDCCIX. 8.

MARGVARDI GVDII in *Hippolyti de antichristo librum*, Parisiis MDCLXI. 8.

IO. HARDVINI in *Chrysostomi epistolam ad Caesarium*, Parisiis MDCLXXXIX.

SIGISMVNDI HAVERCAMPI in *Tertulliani apologeticum*, Lugduni Batauorum MDCCXVIII. 8. et in *Paulli Orosii opera*, Lugduni Batauorum MDCCXXXVIII. 4.

DANIELIS HEINSII in *Clementem Alexandrinum*, Lugdunii Batauorum MDCXVI. fol.

NICOLAI HEINSII in *Prudentium*, Amstelodami MDCLXVII. 12.

DESIDERII HERALDI in *Tertulliani apologeticum* et *Minucii Felicis Octauium*, Parisiis MDCXIII. 4. in *Arnobii libros*, Parisiis MDCV. 8. et Lugduni Batauorum MDCLI. 4.

DAVIDIS HOESCHELII in *homilias quasdam sacras Basilii magni, Gregorii Nysseni, Gregorii Nazianzeni, Chrysostomi, Cyri Germani in praecipuas anni ferias*, Augustae Vindelicorum MDLXXXVII. 8. in *Gregorii Nazianzeni definitiones rerum*

ſimplices, Heidelbergæ MDXCI. 8. in *Chryſoſtomi* libros de *ſacerdotio*, Auguſtæ MDXCIX. 8. in *Chryſoſtomi homilias contra iudæos*, Auguſtæ MDCII. 8. in *Origenis* libros *contra Celſum*; et *Gregorii thaumaturgi panegyricum in Origenem*, Auguſtæ MDCV. 4. in *vitam Antonii eremitæ, ab Athanaſio ſcriptam*, Auguſtæ MDCX. 4.

GEORGII HORNII in *Sulpicium Seuerum*, Lugduni Batauorum MDCXLVII. MDCLIV. MDCLXV. 8.

PETRI DANIEL. HVETII in *Origenis opera exegetica*, Rothomagi MDCLXVIII. fol. Pariſiis MDCLXXIX. fol. Coloniæ; ſiue potius Francofurti MDCLXXXV. fol.

IOSEPHI ISAEI in *Lactantium*, Cæſenæ MDCXLVI.

FRANCISCI IVNII in *Tertullianum*, Franeckeræ MDXCVII. fol.

PATRICII IVNII in *Clementis romani epiſtolam priorem ad Corinthios*, Oxoniæ MDCXXXIII. 4.

IO. LANGI in *Iuſtinum martyrem*, Baſileæ MDLXV. fol.

IO. LEVNCLAVII in *Gregorii Nyſſeni* de *opificio hominis librum*, Baſileæ MDLXVII. 8. in *Gregorii Nazianzeni opera*, Baſileæ MDLXXI. fol.

MELCHIORIS LEYDECKERI in *Auguſtini epiſtolam ad catholicos contra Donatiſtas*; ſiue vt dici ſolet, *librum de vnitate eccleſiæ*, Vltraiecti MDCXC.

CHRISTIANI LVPI in *Tertulliani librum de præſcriptionibus contra hæreticos*, Bruxellis MDCLXXV. 4. in *variorum patrum epiſtolas ad concilium Epheſinum*, Louanii MDCLXXXII. 4.

MARTIALIS MESTRAEI in *Ignatii epiſtolas*, Pariſiis MDCVIII. 8.

CLAVDII MENARDI in *Auguſtini* libros *contra Iulianum*, Pariſiis MDCXVII.

HVGONIS MENARDI in *Barnabæ epiſtolam catholicam*, Pariſiis MDCXLV. 4.

IO. MEVRSII in *Palladii hiſtoriam Lauſiacam*, Lugduni Batauorum MDCXVI. 4.

THOMAE MILLESII in *Cyrilli Hieroſolymitani opera*, Oxoniæ MDCCIII. fol.

RICHAR-

RICHARDI MONTACVTII in *Eusebii demonstrationem euangelicam:* in libros *contra Marcellum* et in *ecclesiasticam theologiam*, Parisiis MDCXXVIII.

BERNARDI DE MONTFAVCON in *Athanasii opera*, Parisiis MDCXCVIII. fol. in *Eusebii Caesareensis, Athanasii* et *Cosmae Aegyptii scripta* nonnulla, nunc coniunctim edita, Parisiis MDCCVII. fol. in *Chrysostomi opera*, Parisiis ab anno MDCCXVIII. fol.

STEPHANI LE MOYNE in *Polycarpi epistolam* et alia quaedam monimenta, quae notae exstant in eiusdem *variis sacris*, in lucem emissis Lugduni Batauorum primum MDCLXXXV. 4. deinde iterum MDCXCIV. 4.

LVDOVICI ANTONII MVRATORII in *Paullini opera*, Veronae MDCLXXXVI. fol.

IACOBI OVZELII in *Minucium Felicem*, Lugduni Batauorum MDCLII. 4. MDCLXXII. 8.

IACOBI PAMELII in *Tertullianum*, Antuerpiae MDLXXIX. Parisiis MDLXXXVIII. Antuerpiae MDLXXXIV. MDCIX. Coloniae MDCXVII. Rothomagi MDCLXII. fol. et in *Cyprianum*, Antuerpiae MDLXVIII.

PETRI PANTINII in *Basilii Seleucienfis* monimentum de *actis et miraculis Theclae*, Antuerpiae MDCVIII. 8.

IO. PEARSONII in *Ignatii epistolas genuinas*, editas cura *Thomae Smithi*, Oxoniae MDCCIX. 4.

IOACHIMI PERIONII in *Iustinum martyrem*, Parisiis MDLIV. fol.

DIONYSII PETAVII in *Epiphanii opera*, Parisiis MDCXXII. fol. et in *Synesii opera*, Lutetiae MDCXII. fol.

LVDOVIC. ELL. DV PIN in *Optatum mileuitanum*, Parisiis MDCC. fol.

ARNOLDI PONTACI in *Hieronymi chronicon*, Burdigalae MDCIV. fol.

IO. POTTERI in *Clementis Alexandrini opera*, Oxoniae MDCCXV. fol.

PHILIPPI PRIORII in *Tertullianum*, Parisiis MDCLXIII. fol. in *Minucium Felicem* ac quosdam alios, Parisiis MDCLXVI. fol. in *Optatum mileuitanum*, Parisiis MDCLXXIX. fol.

PASCHASII QVESNELLI in *Leonis magni opera*, Parisiis MDCLXXV. 4. et Lugduni MDCC. fol.

GVIL. READINGI in *Eusebii*, *Socratis*, *Sozomeni*, *Theodoriti* et *Euagrii*, item *Philostorgii* et *Theodori Lectoris historiam ecclesiasticam*, Cantabrigi MDCCXX. fol.

ADAMI RECHENBERGII in *Athenagorae apologiam*, Lipsiae MDCLXXXIV. 8. in eiusdem librum de *resurrectione mortuorum*, Lipsiae MDCLXXXV. 8.

BEATI RHENANI in *Tertullianum*, Basileae MDXXI. fol. ibidem MDXXV. MDXXVIII. MDXXXIX. fol.

NICOLAI RIGALTII in *Tertulliani opera*, Parisiis MDCXXXIV. fol. MDCXLI. fol. in *Minucium Felicem*, Parisiis MDCXLIII. fol. in *Cyprianum*, Parisiis MDCXLVIII. fol.

CONRADI RITTERSHVSII in *Isidori Pelusiotae epistolas*, Heidelbergae MDCV. fol. in *Saluiani opera*, Altorfii MDCXI. et MDCXXIII. 8.

ANDREAE RIVINI in *Tertulliani poëmata*, MDCLI.

CLAVDII SALMASII in *Tertulliani* librum de *pallio*, Parisiis MDCXXII. 8. et iterum Lugduni Batauorum MDCLVI. 8.

IO. SAVARONIS in *Sidonium Apollinarem*, Parisiis MDXCIX. 4. Hanou. MDCXVII. 8.

HENRICI SAVILII et aliorum in *Chrysostomum*, Etonae MDCXIII. fol.

IOSEPHI SCALIGERI in *Eusebii chronicon*, Lugduni Batauorum MDCVI. et cum additamentis Amstelodami MDCLVIII. fol. et *Hippolyti canonem paschalem*, Lugduni Batauorum MDXCV.

CHRISTIANI SCHOTANI in *Sulpicii Seueri historiarum libros*, Franeckerae MDCLXIV. fol.

ANDREAE SCHOTTI in *Ennodium*, Tornaci MDCX. 8. in *Basilii magni opera*, Antuerpiae MDCXVI. fol. in *Paullini opera*: in *Eusebii homilias ad populum et monachos*: in *Claudiani Mamerti libros de statu animae*: in *Honorii Augustodunensis opera*: in *Orosii librum apologeticum*: in *Isidori Pelusiotae epistolas* atque in alia monimenta, quae iam supra recensui:

IACOBI SIRMONDI in *Theodoreti opera*, Parisiis MDCXLII. fol. in *Ennodii opera*, Parisiis MDCXI. 8. in *Fulgentii* libros de *veritate praedestinationis et gratiae*, Parisiis MDCXII. 8. in *Sidonium Apollinarem*, Parisiis MDCXIV. 8. in *Idacii chronicon*, Parisiis MDCXIX. 8. in *Facundi* libros, Pari-

Parisiis MDCXXIX. 8. et cum *Optati mileuitani operibus*, Parisiis MDCLXXIX. fol. in *Augustini sermones* nouos XL. Parisiis MDCXXXI. 8. in *Auiti opera*, Parisiis MDCXLIII. 8. in *Eusebii Pamphili opuscula*, Parisiis MDCXLIII. 8. in *Rufini* librum de *fide*, Parisiis MDCL. 8.

THOMAE SMITHI in *Ignatii septem epistolas germanas* ac simul in *Polycarpi epistolam*, Oxoniæ MDCCIX. 4.

THOMAE SPARKII in *Lactantium*, Oxoniæ MDCLXXXIV. 8.

GVILIELMI SPENCERI in *Origenis libros contra Celsum* atque in *philocoliam*, Cantabrigiæ MDCLVIII. et MDCLXXVII. 4.

VICTORINI STRIGELII in *Theodoreti homilias de prouidentia*, Lipsiæ MDLXIV. 8. et in *Basilii hexaëmeron*, Lipsiæ MDLXVI. 8.

FRIDERICI SYLBVRGII in *Clementem Alexandrinum*, Heidelbergæ MDXCII. fol. in *Iustinum martyrem*, Heidelbergæ MDXCIII. fol. in *Theodoreti* libros de *curatione græcarum affectionum*, Heidelbergæ MDXCII. fol.

IO. TARINI in *Originis philocaliam*, Parisiis MDCXVIII. 4.

GVIL. ERNESTI TENTZELII in *Hieronymi* librum de *viris illustribus* eiusque capita XIV. priora, quas notas non solum *Ernest. Salom. Cyprianus* præmisit *Gennadii* libro de *scriptoribus ecclesiasticis*, edito Ienæ MDCCIII. 4. sed transtulit illas quoque *Io. Albert. Fabricius* in *bibliothecam ecclesiasticam*.

MICHAEL. THOMASII in *Lactantium*, Antuerpiæ MDLXX. MDLXXXVII. 8.

ANTONII THYSII in *Lactantium*, Lugduni Batauorum MDCLII. 8.

NICOLAI TOINARDI in librum de *mortibus persequutorum*, cum aliorum notis, Traiecti ad Rhenum MDCXCII. 8.

HIERONYMI VAIRLENII in *Ignatii epistolas*, Antuerpiæ MDLXVI. MDLXXII. 8.

HENRICI VALESII in veterum scriptorum *historiam ecclesiasticam*, nominatim *Eusebii*, Parisiis MDCLIX. MDCLXXVII. fol. Francofurti MDCLXXII. fol. *Socratis* et *Sozomeni*, Parisiis MDCLXVIII. fol. Francofurti MDCLXXVII. fol. *Theodoriti* et *Euagrii*, cum *excerptis ex historiis Philostor-*

ſtorgii et *Theodori Lectoris*, Pariſiis MDCLXIII. ac Francofurti MDCLXXIX. fol.

NICOLAI VEDELII in *epiſtolas Ignatii*, Geneuae MDCXXIII. 4.

MARIANI VICTORII in *Hieronymum*, Romae MDLXV. MDLXXI. MDLXXII. atque in aliis locis, fol.

IO. LVDOVICI VIVIS in *Auguſtini libros de ciuitate dei*, Baſileae MDXXII. ac ſaepius.

GERHARDI VOSSII in *Ephraemi Syri opera*, Romae MDLXXXIV. MDXCIII. Coloniae MDCIII. Antuerpiae MDCXIX. fol. et in *Gregorii thaumaturgi opera*, Moguntiae MDCIV. 4.

ISAACI VOSSII in *epiſtolas Ignatii germanas*, Amſtelodami MDCXLVI. 4. Londini MDCLXXX. 4.

IACOBI VSSERII in *Ignatii epiſtolas* ſeptem genuinas, Londini MDCXLVII. 4. et in eiusdem *epiſtolas* interpolatas, Oxoniae MDCXLIV. 4. qui et *Polycarpi epiſtolam ad Philippenſes* edidit in *adpendice Ignatiana*, germanis Ignatii epiſtolis, MDCXLVII. vt animaduerti, in lucem emiſſis, cum Smyrnenſium de martyrio Polycarpi epiſtola, addita.

BONAVENTVRAE VVLCANII in *Cyrilli Alexandrini* librum *contra anthropomorphitas*, Lugduni Batauorum MDCV. 4.

IACOBI WARAEI in *Patricii opuſcula*, Londini MDCLVIII. 8.

IOANN. WEGELINI in *Cyrilli Alexandrini* librum de *trinitate*, Auguſtae Vindelicorum MDCIV. 8.

IO. WEIZII in *Prudentii opera*, vna cum aliorum notis, Hanouiae MDCXIII. 8.

IO. RVDOLPHI WETSTENII in *Origenis dialogum contra Marcionitas*, Baſileae MDCLXXIV. 4. in eiusdem librum de *precatione* ac *Marci Diadochi ſermonem contra Arianos* cum latina verſione *Io. Rudolphi Wetſtenii*, parentis, Baſileae MDCXCIV. 4.

GVIL. WORTHI in *Tatiani orationem ad Graecos*, Oxoniae MDCC. 8.

HENRICI WOTTONI in *Clementis romani epiſtolas ad Corinthios*, Cantabrigiae MDCCXVIII. 8.

IO. WOWERII in *Tertulliani opera*, Francofurti MDCIII. et MDCXII. 8. in *Minucii Felicis Octauium et Iulium Firmicum*

micum de erroribus profanarum religionum, Basileæ MDCIII. 8. in *Sidonii Apollinaris opera*, Hanouiæ MDCXVII. 8.

IOACHIMI ZEHNERI in *Alcimi Auiti opuscula*, Lipsiæ MDCIV. 8. Ad hos patrum ecclesiæ interpretes, in quibus commemorandis operam adhuc posui, alii adiungendi sunt inque his locum suum præcipue tuentur monachi Benedictini e congregatione sancti Mauri. In recensendis patrum monimentis curarunt præclare, vt illa cum eleganter atque adcurate prodirent; tum notis atque animaduersionibus, quæ lucem præferant, instructa essent. Ita ornarunt non sine laude meritorum: *Irenæi*, *Iustini martyris*, *Cyrilli Hierosolymitani*, *Origenis*, *Athanasii*, *Chrysostomi*, *Hilarii*, *Augustini*, *Hieronymi*, *Ambrosii*, *Cassiodori* atque aliorum opera, quæ supra sigillatim ac distincte enarraui. Fuerunt præterea inter interpretes hos, qui scripta patrum cum notis publicæ luci exponerent, sine indicio nominum suorum; siue anonyme, quorum itidem iam antea mentionem feci. *

§. V.

Plerique eorum, qui patrum scripta illustrarunt, non alias, nisi suas propriasque notas istis adiunxerunt; nonnulla tamen horum monimentorum, *notis variorum*, vti adpellantur, instructa, lucem adspexerunt, quæ editiones non solum vsum huiusmodi librorum commodiorem reddunt; sed præ aliis quoque vtilitatem præbent, si quidem variorum animaduersiones cum iudicio seligantur. Quasdam tantum istarum adduxisse sufficiat. Præter alias, quæ sequuntur, prodierunt:

ATHENAGORAE *apologia* ac liber de *resurrectione*, cum notis integris variorum nouisque commentariis *Eduardi Dechair*, Oxoniæ e theatro Sheldoniano MDCCVI. 8.

* syllabum eorum, qui monimenta patrum ecclesiæ notis atque animaduersionibus illustrarunt, itidem litterarum ordine dispositum, exhibet ITTIGIVS *schediasmate de auctoribus, qui de scriptoribus ecclesiasticis egerunt*, p. 151. sq. adde: BOSII *introductionem in notitiam scriptorum ecclesiasticorum* p. 138. sq.

TERTVLLIANI *opera* cum notis *Rhenani*, *Pamelii*, *Francifci Iunii*, Franeckeræ MDXCVII. fol. ac cum obferuationibus *Rhenani*, *Pamelii*, *Latinii*, *Albaspinæi*, *Wowerii*, ac fpeciatim in librum de *pallio Richerii*, *Marcilii*, *Mercerii*, ad paginas Rigaltianæ editionis adcommodatis, Parifiis MDCXXXV. fol.

MINVCII FELICIS *Octauius*, in lucem emiffus a *Iacobo Ouzelio*, itidem cum variorum animaduerfionibus, nominatim: *Wowerii notis: Elmenhorftii libro commentario:* HERALDI *caftigationibus et notis:* RIGALTII *obferuationibus*, Lugduni Batauorum MDCLII. 4. Prodiit quoque Minucius Felix cum integris *Wowerii*, *Elmenhorftii*, *Heraldi* et *Rigaltii* aliorumque hinc inde collectis notis cura *Iacobi Gronouii*, Lugduni Batauorum MDCCIX. 8. atque ex fecunda *Io. Dauifii* recenfione, itidem cum variorum notis, Cantabrigiæ MDCCXI. 8.

CYPRIANI *opera* cum notis *Rigaltii* felectisque aliorum et *Philippi Priorii*, Parifiis MDCLXVI. fol.

ARNOBII libri *aduerfus gentes*, cum notis integris *Canteri*, *Stewechii*, *Elmenhorftii*, *Heraldi*, Lugduni Batauorum MDCLI. 4.

LACTANTII *opera*, cum notis integris *Cellarii* et felectis; aut excerptis *Erasmi*, *Betuleii*, *Michael. Thomafii*, *Ifæi*, *Buchneri*, *Gallæi*, *Sparkii*, *Walchii*, *Heumanni*, *Baluzii*, *Nourrii*, *Heinfii*, *Græuii*, *Miegii*, *Maftrichtii*, cura *Io. Ludolph. Bunemanni*, Lipfiæ MDCCXXXIX. 8.

LACTANTII liber de *mortibus perfequutorum*, a *Paullo Bauldri* editus diuerforumque auctorum animaduerfionibus diligenter inftructus, nominatim: *Baluzii*, *Cuperi*, *Columbi*, *Sparkii*, *Toinardi*, *Græuii*, *Gale*, *Boherelli* atque aliorum, quibus *Bauldri* et fuas notas addidit, Traiecti ad Rhenum MDCXCII. 8.

OPTATI *mileuitani* libri de *fchismate Donatiftarum*, quos *Ludouic. Ell. du Pin* non folum cum fuis; fed etiam cum *Albafpinæi*, *Cafauboni*, *Barthii* atque aliorum notis iuris publici fecit, Parifiis MDCC. fol. Antuerpiæ MDCCII. fol.

HIERONYMI liber de *viris illuftribus*; fiue de *fcriptoribus ecclefiafticis*, quem *Io. Albertus Fabricius* cum integris *Erasmi*, *Mariani Victorii*, *Græuii*, *Miræi*, *Tentzelii*, *Cy-*

priani

priani notis in lucem protulit suasque adnotationes addidit, in *bibliotheca ecclesiastica*, Hamburgi MDCCXVIII. fol.

PRVDENTII *opera*, cum omnium, quotquot in eum scripserunt, notis, scholiis atque obseruationibus, videlicet: *Antonii Nebrissensis*, *Sichardi*, *Erasmi*, *Spiegelii*, *Fabricii*, *Adami Siberi*, *Murmellii*, *Giselini*, *Remi*, *Adami Theodori Siberi*, *Wilkii*, *Weitzii*. Editionem hanc debemus studio *Io. Weitzii*, qui curauit, vt illa in conspectum publicum veniret, Hanouiæ MDCXIII. 8.

PAVLLI OROSII *opera*, quæ *Sigebertus Hauercampus*, cum *Francisci Fabricii*, *Ludou. Lautii* suisque adnotationibus ad publicum vsum transtulit, Lugduni Batauorum MDCCXXXVIII. 4.

PAVLLINI PETROCORII libri de *vita Martini*, quos *Christian. Daumius* recensuit ac notis variorum, *Iureti* nimirum, *Barthii*, *Gronouii* ac suis illustrauit, Lipsiæ MDCLXXXI. 8.

§. VI.

In quarum commemoratione adhuc versatus sum, doctissimorum virorum animaduersiones cum ipsis patrum monimentis coniunctim in lucem prodierunt; fuerunt tamen, qui notas suas separatim sine horum doctorum scriptis ederent. Ad hos enarrandos quum nunc adgredior, ordinis caussa distincte illi recenseri debent, vtpote scriptores non vnius generis. Aliorum enim notæ ad solos patres spectant; aliorum autem simul ad varios auctores, siue isti sacri atque ecclesiastici; siue profani sint. Prioris generis sunt:

IO. MEVRSII *criticus Arnobianus*, libris septem, et *hypocriticus Minucianus*, Lugduni Batauorum MDXCVIII. et MDXCIX. 8.

FRANCISCI COMBEFISII *Basilius magnus*, *ex integro recensitus*, *textus fide optimorum codicum vbique castigatus*, *auctus*, *illustratus*, *emendatus*, *versiones recognitæ*, ceter. Parisiis MDCLXXIX. 8. duobus voluminibus.

CHRISTIANI KORTHOLTI *commentarius in Iustinum martyrem*, *Athenagoram*, *Theophilum et Tatianum*, qui primum separatim prodiit Kilonii MDCLXXV. fol. postea

ea autem *Iustini operibus*, Coloniæ; siue Vitembergæ MDCLXXXVI. fol. adiunctus est.

NICOLAI TOINARDI *notæ in Lactantium de mortibus persequutorum*, Parisiis MDCXC. 12.

PETRI FRANCISCI CHIFFLETII *Paullinus illustratus; seu adpendix ad opera et res gestas sancti Paullini, episcopi Nolensis*, Diuione MDCLXII. 4.

IO. CROII *specimen coniecturaram in quædam loca Origenis, Irenæi, Tertulliani et Epiphanii*, editum MDCXXXII. 8. et Oxoniæ MDCCII. fol. a DIONYSIO PETAVIO autem oppugnatum *ad calcem Synesii* MDCXL.

Posterioris generis auctores, qui huc pertinent, non solum ad patres ecclesiæ; verum etiam simul ad scriptores ecclesiasticos ac profanos commentati sunt ac varia istorum dicta, oblata occasione, illustrarunt. Præter alia, referri ad locum hunc possunt:

LATINI LATINII *bibliotheca sacra et profana; siue obseruationes, correctiones, coniecturæ et variæ lectiones in sacros et profanos scriptores, e marginalibus notis codicum eiusdem collectæ.* Edita illa est a *Dominico Macro*, Romæ MDCLXXVII. fol.*

CASPAR. BARTHII *aduersariorum commentariorum libri* LX. *quibus ex vniuersa antiquitatis serie omnis generis loci tam gentilium; quam christianorum obscuri, dubii, maculati illustrantur, constituuntur, emendantur*, Francofurti MDCXXIV. fol. Liber sexagesimus horum *aduersariorum* complectitur specimen commentariorum in AVGVSTINI *ciuitatem dei*; reliqui autem varios auctores, maxime quidem profanos; attamen etiam ecclesiasticos patresque ordinis sacri.

IO. LVDOVICI DE LA CERDA *aduersaria sacra, quibus fax præfertur ad intelligentiam multorum scriptorum sacrorum*, quæ vna cum *psalterio Salomonis græco-latino, cum scholiis* ac cum *Tertulliani libri de pallio commentario auctiori*, lucem viderunt Lugduni MDCXXVI. fol.

IO. BILLII *sacrarum obseruationum libri* II. Parisiis MDLXXXV. qui et notas scholiaque in *Isidori Pelusiotæ epistolas* ac *Gregorii Nazianzeni opera* iuris publici fecit.

CON-

* *vnschuldige nachrichten*, 1715. p. 250.

CONRADI RITTERSHVSII *sacrarum lectionum libri octo, quibus multa ad ius ciuile et ad historias pertinentia, non pauca etiam in sanctis patribus aliisque probatissimis scriptoribus laudantur, illustrantur, emendantur*, Noribergæ MDCXLIII. 8. vbi multa in Chrysostomo eiusque versione corriguntur nouaque luce perfunduntur.

IO. FRIDERICI GRONOVII *obseruatorum in scriptoribus ecclesiasticis, quibus tamen passim et æquales illis et vetustiores vtriusque linguæ doctores interpositi et illustrantur et emendantur, monobiblos*, Dauentriæ MDCLI. 12. Multis ecclesiæ antiquioris doctoribus lucem adfert, nominatim: *Cypriano, Tertulliano, Minucio Felici, Lactantio, Hieronymo, Ambrosio, Paullino, Prudentio, Optato* atque aliis. Plura generis huius scripta vt adducam, rem esse minus necessariam, existimo.

§. VII.

Iam enumeratis patrum interpretibus ii adiungendi sunt, qui non per breuiores notas libris illorum doctorum lucem adtulerunt; sed singulares commentationes composuerunt, eo consilio, vt vel emendationes; vel explanationes eorum, quæ patres scripta reliquerunt, exhiberent, siue hæ ad dogmata; siue ad controuersias; siue ad antiquitates atque alia historiarum capita pertineant. Auctores hi quum quodam modo a reliquis differant ac singularem ordinem constituant, res postulat, vt et distincte recenseantur. Spectant igitur ad

IGNATIVM

IO. AVGVST. DIETELMAYERI *kurze erklärung der stelle aus Ignatii epistola ad Trallianos, von der höllenfarth christi:* *

ANONYMI *vntersuchung der stelle des Ignatius von der höllenfarth christi:* **

ANONYMI *obseruatio de* θεοδέσμοις *Ignatii*, quorum men-

* in *der hamburgischen vermischten bibliothec, volum.* III. *part.* I. p. 78.
** *ibidem volum.* II. *part.* 5. p. 778.

mentionem ille facit in *epiſtola ad Philadelphenos cap.* II. et in *epiſtola ad Polycarpum cap.* VII. *

ALB. MENON. VERPOORTENNII *diſſertatio ad Ignatii epiſtolam ad Philadelphenos cap.* VIII. eiusque verba hæc: ἐμοὶ ἀρχεῖα ἐστιν Ἰησοῦς χριστός: **

MICHAEL. FOERTSCHII *oratio de partu Mariæ, vt myſterio clamoris in ſilentio dei*, quæ eſt commentatio ad locum Ignatii in epiſtola ad *Epheſios* de hoc argumento: ***

IO. ANDREAE BOSII *exercitatio in 2 Timoth.* II,22. vbi locum Ignatii *epiſtolæ ad Magneſios* egregie illuſtrat. *

GVILIELM. ERNESTI TENTZELII commentatio de *apophthegmate Ignatii:* ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, *meus amor crucifixus eſt*, ** de cuius ſententia ſcriptores diſſentiunt, quum alii exiſtimant, Ignatium ſignificare voluiſſe, omnes eius cupiditates erga res ſeculi huius cruci adfixas eſſe; alii autem ſuſpicantur, illum per *amorem ſuum* intellexiſſe chriſtum.

POLYCARPVM

IACOBI HENRICI BALTHASARIS *doctrina Polycarpi de præcipuis chriſtianæ fidei capitibus*, Ienæ MDCCXXXVIII. 8. quem librum iam ſupra memoraui; ad hunc tamen locum ille quoque referri poteſt. ***

IVSTINVM *martyrem*

IO. CLERICI *remarques ſur la* I. *apologie de ſaint Iuſtin martyr:* * *continuation des remarques ſur la* I. *apologie de ſaint Iuſtin martyr.* **

IO. ALBERT. FABRICII *interpretatio locorum quorumdam Iuſtini martyris in apologia* I. *a clariſſimo viro Io. Erneſto Gra-*

* quæ eſt in *actis eruditorum* MDCCXXXI. p. 455.
** in eius *faſcicul. diſſertat* p. 151.
*** *decad. diſſertation. theolog.* p. 439.
* *capite* VI. Exercitatio hæc eſt in eiusdem *opuſculis hiſtoriæ*, quæ vna cum eius *introductione in notitiam ſcriptorum eccleſiaſticorum* in lucem emiſi, Ienæ MDCCXXIII. 8. p. 428.
** quæ eſt in eius *exercitation. ſelectar. part.* I. p. 46.
*** *nouor. actor. eruditor. ſupplement. tom.* IV. p. 527.
* *bibliotheque choiſie tom.* II. p. 328.
** *ibidem tom.* III. p. 372.

Grabio nuper recensita, * quam ille non solum iterum litteris describendam curauit; sed etiam auxit. **

CHRISTOPH. AVGVSTI HEVMANNI *symbola critica ad Iustinum martyrem.* ***

Obseruationes in Iustini martyris apologiam I. *et dialogum cum Tryphone*, ex editione *Thirlbei.* *

Locus Iustini martyris, emendatus in apologia I. ** Alia scripta, quae ad Iustinum martyrem spectant, maxime de illius dogmatibus exponunt, vti sunt: IOACHIMI IVSTI RAV *diatribe de philosophia Iustini martyris et Athenagorae:* Ienae MDCCXXXIII. 8. CHRISTIANI NIFANII *Iustinus philosophus christianus et martyr, exhibitus veritatis euangelicae testis et confessor*, Francofurti MDCLXXXVIII. 8. IO. ANDR. SCHMIDII disputatio de *Iustini martyris theologia morali*, quae monimenta nunc veluti in transitu adduco, quum non solum iam supra illorum mentionem feci; sed etiam postea vberius ista commemorandi, habebo occasionem.

IRENAEVM

NICOLAI LE NOVRRY *dissertatio in quinque libros sancti Irenaei, episcopi Lugdunensis et martyris, aduersus Valentini similiumque haereses*, *** qua etiam Irenaei dogmata sententiaeque recensentur atque illustrantur.

CHRISTOPHOR. AVGVST. HEVMANNI *exercitium artis criticae in Irenaeo, cuius artis ope etiam hic eiicitur ex historia ecclesiastica haereticus Colarbasus.* *

HVLDRICI SALOMONIS CASTELLI *erklärung einer bey dem Irenaeo ** befindlichen syrischen gebetsformel der Marcosier.* ***

SCI-

* in *nou. litterar. Hamburgens.* MDCCIII. p. 79.
** *bibliothec. graec. volum.* V. p. 54.
*** *miscellan. Lipsiens. nou. tom.* III. *part.* 22. p. 222.
* in *miscellan. obseruat. in auctores volum.* I. *tom.* 3. p. 363.
** *bibliothec. litterar.* anglice edita, MDCCXXII. *num.* 8. p. I.
*** est illa in eius *adparatu ad bibliothecam patrum Lugdunens. tom.* I. p. 559.
* in *der hamburgischen vermischten bibliothec volum.* I. *part.* 2. p. 144.
** *libr.* I. *cap.* 18. p. 90. edition. GRABII.
*** in *den deutschen actis eruditor, volumin.* I. *part.* 6. p. 482.

SCIPION. MAFFEI *lettere* II. *sopra i frammenti di santo Ireneo, publicati dal signor. Pfaff.* *

SALOM. DEYLINGII *Irenæus, euangelicæ veritatis confessor ac testis*, cuius editio secunda auctior in lucem prodiit Lipsiæ MDCCXXI. Disputat contra Renatum Massuetum atque Irenæum a prauis eius explicationibus defendit.** Adiungi possunt: HENRICI DODWELLI *dissertationes in Irenæum.* RENATI MASSVETI *dissertationes in Irenæi libros:* IO. ERNESTI GRABII *prolegomena ad Irenæi opera*, quorum scriptorum iam supra commemorationem feci; hanc autem ob caussam ista nunc nominasse, sufficiat.

TATIANVM

NICOLAI LE NOVRRY *dissertatio in Tatiani Assyrii et Melitonis, Sardicensis episcopi, opera*, quam eam præcipue ob caussam memoro, quoniam auctor de Tatiani quoque dogmatibus exponit. ***

ANONYMI *dissertatio in Tatianum, nunc primum edita*, ita quoque scripta, vt sententiis Tatiani recte intelligendis lucem præbeat. Minus præ se fert auctoris nomen; esse autem illum LVDOVICVM DV FOVR DE LONGERVE, constat. *

CLEMENTEM *Alexandrinum*

NICOLAI LE NOVRRY *dissertationes tres de omnibus Clementis Alexandrini operibus*, quæ inscriptio indicare quidem videtur, auctorem de libris tantum, a Clemente compositis, exposuisse; plura autem dissertationes hæ complectuntur, non solum ea, quæ ad Clementis scripta; sed etiam ad eiusdem vitam, res, dogmata, sententias pertinent. **

MICHAEL

* in *giornale de' litterati d' Italia tom.* XVI. p. 245. et *tom.* XXVI. p. 53. et germanice in *der neuen bibliothec part.* 58. p. 597.

** exstat in eiusdem *obseruationibus miscellaneis* p. 3.

*** quæ addita est *Tatiano*, cura *Worth* edito, Oxoniæ MDCC. 8.

* exstat dissertatio hæc non solum in dicta TATIANI editione; sed etiam in VOGTII *biblioth. histor hæreliologic. tom.* I. *fascicul.* 2. p. 201.

** sunt illæ in eius *adparatu ad bibliothec. patrum Lugdun. tom.* I. p. 622.

MICHAEL. FOERTSCHII *dissertatio patristico-theologica de Clementis Alexandrini paedagogo, stromatibus et perfectissimo ibi, iuxta sacram scripturam.* *

IO. TRIBBECHOVII *dissertationes de Clemente Alexandrino*, quarum secunda philosophiae definitionem ac diuisionem; tertia autem philosophiae finem, media et vsum ad ductum Clementis exhibet. Prodierunt dissertationes, quas iam supra recensui, Halae MDCCVI.

IO. ACHAT. FELIC. BIELCKII dissertatio de *Clemente Alexandrino eiusque erroribus*, quam ille, a me praeside adiutus, publice defendit Ienae MDCCXXXVII. **

Dissertation critique sur vn endroit du Clemens Alexandrin. ***

Dissertation sur quelques endroits de Clemens Alexandrin. *

ORIGENEM

PETRI DANIEL. HVETII *Origeniana*, quorum libro secundo Origenis dogmata copiose enarrantur ac diiudicantur; non omnia autem debita adcuratione. Quae vitiosa sunt atque emendationem requirunt, si remoueamus, opus ipsum praeclarum est atque auctorem suum multum commendat. Praemissum illud est a Huetio ORIGENIS *commentariis in sacras scripturas*, Rothomagi MDCLXVIII. fol. Coloniae MDCLXXXV. fol. ac postea translatum quoque in ORIGENIS *operum*, a Benedictinis editorum, *tomum* IV.

IO. MEISNERI *tractatus historico-theologicus de Origene et Origenianis*, Vitembergae MDCCXII. 4. antea autem ille formam disputationis academicae prae se tulit ac publice defensus est.

IO. HENRICI HORBII *historia Origeniana; siue de vltima origine et progressu haereseos Origenis tractatus singularis*, Francofurti MDCLXX. 4.

LVDO-

* locum obtinuit in eiusdem *decad. dissertat. theolog.* p. 389.

** translata illa est in *miscellanea* mea *sacra* p. 510.

*** in *memoires de Treuoux* MDCCXVI. *aug.* p. 1570.

* *ibidem* MDCCXVII. *mart.* p. 392.

LVDOVICI DOVCINI *histoire des mouuemens, arriuez dans l'eglise au suiet d'Origene et de sa doctrine*, Parisiis MDCC. 12. *

PAGANINI GAVDENTII *dogmatum Origenis cum philosophia Platonis comparatio et salebræ Tertullianeæ de vita christianorum ante tempora Constantini magni*, Florentiæ MDCXXXIX. 4.

IO. FRANCISCI BVDDEI *exercitatio de allegoriis Origenis*, Vitembergæ MDCLXXXIX. **

Lettres de Sam. Bochart et Pierre Dan. Huet sur le sentiment d'Origene sur l'inuocation des anges et sur l'eucharistie. ***

Dissertation sur deux passages d'Origene au suiet des mesures de l'arche de Noe. *

CHRISTIANI GAVPPII *dissertatio historico-theologica, qua vindicias Origenis in doctrina de diuinitate christi publice disquirendas proponit* ille auctor. Me præside defensa est dissertatio hæc Ienæ MDCCXXVII. Sunt plura scripta, quæ ad Origenem, vitam, res, dogmata eius spectant; prætereo autem illa, quum partim antea ista a me enarrata sunt; partim ad argumentum, a me explanandum, haud pertinent.

ATHANASIVM

quem quum maxime GVIL. WHISTONVS tamquam hominem non solum grauioribus erroribus contaminatum; sed etiam malitiosum ac fraudulentum adcusasset, non defuerunt, qui eum ab iniuriis ac calumniis his defenderent. WHISTONVS impetum in Athanasium eiusque bonam famam fecerat in *præfatione historica, christianismo primæuo resuscitato præmissa*, Londini MDCCXI. 8. ** Restitit ei ac caussam Athanasii egit STYAN THIRLBY in responsione ad *Guilielmi Whistoni* XVII. *fundamenta suspicionum, aduersus*

* *acta eruditor.* MDCC. p. 471. BERNARDI *nouuelles de la republiqu. des lettres* MDCC. *septembr.* p. 285.
** exstat in eiusdem *parergis historico-theologic.* p. 139.
*** sunt in TILLADET *dissertations sur diuers matieres, tom.* I. p. I.
* *memoires de Treuoux* MDCCXL. *decembr.* p. 2353.
** *actor. erudit. supplement. tom.* V. *section.* V. p. 206.

ſus Athanaſium in hiſtorica præfatione motarum, Cantabrigiæ MDCCXII. 8. * Oppoſuit WHISTONVS: *Athanaſium, de impoſtura conuictum, in epiſtola ad Thirlbyum*, Londini MDCCXII. 8. ** quæ ſingula vtriusque partis ſcripta anglice compoſita atque edita ſunt.

BASILIVM *magnum*

Diſſertatio, qua expenditur celebris locus ſancti Baſilii magni de proceſſione ſpiritus ſancti a patre filioque, Pariſiis MDCCXXI. fol. Locus, de quo diſputatur, num germanus ille ſit; nec ne? legendus eſt in principio libri tertii BASILII *contra Eunomium*. Quum is in codicibus manu exaratis haud exſtat; nec in vlla fere editione habetur, nata eſt ex eo dubitatio de fide illius atque auctoritate.***

Lettre a l'auteur de l'article 99. des memoires de Treuoux decembr. 1721. *ſur vn paſſage de ſaint Baſile ſur la proceſſion du ſaint eſprit.* *

GREGORIVM *Nazianzenum*,

ad quem pertinent ſcholiaſtæ græci in varia illius ſcripta inque horum numero ſunt:

NONNVS, cuius exſtant *expoſitiones hiſtoriarum*, quarum Nazianzenus vtraque in Iulianum inuectiua meminit. Græce editæ ſunt a RICHARDO MONTACVTIO, Etonæ MDCCX. 4. latine autem tantum ex Iacobi Billii verſione leguntur in editione Nazianzeni Pariſienſi ac Lipſienſi.**

MAXIMVS, monachus et abbas, confeſſor medio ſeculo ſeptimo clarus, qui in *ambigua; ſiue locos difficiles plurium Nazianzeni orationum ac quorumdam carminum fuſiorem explanationem* ſcripſit, ad Ioannem, archiepiſcopum Cyzicenum. Magna illius pars latine verſa eſt a *Io. Scoto Erigena* ac cum *Scoti* huius libris quinque de *diuiſione naturæ* prodiit Oxoniæ MDCLXXXI. fol.

* *ibidem* MDCCXIII. p. 169.

** *ibidem* MDCCXIV. p. 504.

*** *memoires de Treuoux* MDCCXXI. *decembr.* p. 2308. *ſamlung von alten vnd neuen theolog. ſachen*, 1721. p. 783.

* in *continuation des memoires de litterature tom.* X. p. 391.

** *tom.* II. p. 499.

ELIAS *Cretensis*, qui *commentarios* in quasdam Nazianzeni orationes composuit, latine tantum a Billio editos.

NICETAS, seculo vndecimo clarus, qui itidem *commentarium* in nonnullas Nazianzeni orationes scripsit, ac praeter hunc, *scholia* in quaedam Nazianzeni carmina, quae Billius latine vulgauit.

PSELLVS, qui loca quaedam orationis XLI. XLII. illustrauit. Quae animaduertit, ea habentur latine in editionibus Nazianzeni Parisiensi ac Lipsiensi.

BASILIVS Caesareensis iunior, cuius ἐξηγήσεις et ὑπομνηματισμοὶ in Nazianzeni orationes XLV. laudantur. In variis bibliothecis exstant horum commentariorum codices manuscripti.

THEODORVS BALSAMO, cuius scholio Nazianzeni carmen de *libris biblicis* illustratum exstat.*

LEONTIVS *Byzantinus*, cuius scholia ex ore Theodori abbatis et philosophi ad excerpta e Nazianzeno de trinitate manuscripta sunt in bibliotheca caesarea.

NICEPHORVS BLEMMIDAS, iam adducendus ob expositionem Nazianzeni carminum, quae memoratur.

GEORGIVS *Acropolita*, qui in quasdam Nazianzeni sententias commentatus esse, traditur.

EVMOLPVS PHILE, cuius expositio in quatuor orationes Gregorii Nazianzeni exstat.

NICOLAVS DOXOPATER, cuius mentio fieri debet, ob scholia graeca manuscripta in Nazianzeni carmina iambica. Sunt alia generis huius scripta, quae partim lucem viderunt; partim nondum edita, in bibliothecis adseruantur. Sed ab illis recensendis merito abstineo. **

Lettre du P. Louuard, contenant quelques remarques sur les oeuvres de saint Gregoire de Nazianze. Epistola haec Louuardi, monachi Benedictini, data d. XIII. martii MDCCIV. agit de noua Nazianzeni editione, quam ille ornandam susceperat. ***

GRE-

* in BEVEREGII *synodico tom.* II. p. 178.

** vberiorem adcuratioremque horum scholiastarum syllabum exhibet FABRICIVS *bibliothec. graec. volumin.* VII. p. 538

*** legenda est epistola haec in BERNARDI *nouuelles de la republiqu. des lettres*, MDCCLV. *octobr.* p. 382.

GREGORIVM *Nyssenum*

I. B. CARACCIOLI *commentarii atque animaduersiones in Gregorii, episcopi Nyssæ, epistolas septem*, quas ille primus latine vertit atque edidit, Florentiæ MDCCXXXI. fol. *

EPIPHANIVM

ALBERT. MENON. VERPOORTENNI *dissertatio de veneratione beatæ virginis Mariæ ad Epiphanium.* **

MACARIVM

IO. SALOM. SEMLERI *specimen animaduersionum in aliquot opuscula græca Macarii*, Halæ MDCCXLVI. 4.

IO. CHRYSOSTOMVM

Dissertatio de iudiciis criticorum et nuperi interpretis gallici super loca sancti Chrysostomi homilia III. *in epistolam ad Ebræos*, Parisiis MDCXCI. 4. ***

ISIDORVM *Pelusiotam*

PETRI POSSINI *Isidorianæ collationes, quibus sancti Isidori Pelusiotæ epistolæ omnes, hactenus editæ, cum multis antiquis optimæ notæ manuscriptis codicibus comparantur et inde circiter bis mille locis supplentur et emendantur. Ex bibliotheca Barberina*, Romæ MDCLXX. 8. Discrepantes scripturas collegit *Franciscus Arcudius* ac Francisci cardinalis Barberini liberalitate incitatus, vniuersos quinque Isidori epistolarum libros cum manuscriptis contulit, sex antiquis codicibus vsus. Collationes illas Isidorianas a Carolo Morono, præfecto bibliothecæ Barberinæ, secum communicatas e marginibus Parisiensis editionis, quibus illas Arcudius adscripserat, enodauit *Possinus* ac volumine singulari, quod recensui, in lucem emisit. *

MINVCIVM FELICEM

ANONYMI *animaduersiones in Minucium Felicem.* **

* *acta eruditor.* MDCCXXXIX. *part.* II. p. 337.
** *hæres.* LXXIX. *num.* VII. Est illa in eiusdem *fascicul. dissertation* p. 201.
*** *acta eruditorum* MDCXCII. p. 521.
* FABRICIVS *bibliothec. græc. volum.* IX. p. 225.
** in *miscellan. obseruation in auctor. veter. et recent. volum.* I. *tom.* I. p. 23. *volum.* II. *tom.* I. p. 54. *tom.* III. 408. *volum.* VIII. *tom.* I. p. 19. *tom.* II. p. 177. *tom.* III. p. 322.

CHRISTOPH. AVGVST. HEVMANNI *emendationes in Minucium Felicem.* *

FRIDERIC. OTTON. MENCKENII ἐπίκρισις *modesta eorum, quæ ad Minucium Felicem a celeberrimo Heumanno obseruata sunt.* **

TERTVLLIANVM

IACOBI PAMELII *argumenta et adnotationes in Tertulliani opera, quibus adiectæ sunt adnotationes diuersorum. Omnia textui editionis Nicolai Rigaltii respondentia,* Parisiis MDCXXXV. fol.

IACOBI GRETSERI *vindicatio locorum quorumdam Tertullianicorum a Francisci Iunii caluinistæ deprauationibus.* ***

ANONYMI *obseruationes in Tertullianum et Cyprianum.* *

CHRISTOPH. AVGVSTI HEVMANNI *epistolæ, quibus emendantur atque illustrantur caput primum et secundum apologetici Tertulliani.* **

EIVSDEM *obseruationes criticæ ad posteriora apologetici Tertullianei capita.* ***

EIVSDEM *emendatio libri Tertullianei de præscriptionibus aduersus hæreticos.* *

IOANN. HARDVINI *passage de Tertullien corrigé et expliqué.* **

ANONYMI *obseruationes in Tertullianum de oratione.* ***

ANONYMI *obseruation touchant le traite de l'oraison de Tertullien.* *

ANO-

* *miscellan. Lipsiens. nou. volumin.* V. *part.* 3. p. 476.

** *ibidem volum.* V. *part.* 4. p. 729.

*** in GRETSERI *operum tom.* V. *part.* 2. p. 305. edit. Ratisbon. MDCCXXXV. fol.

* *miscellan. obseruation. in auctor. volum.* III. *tom.* I. p. 45.

** eius *poecil. tom.* I. p. 25. et 197.

*** *miscellan. Groningan. tom.* II. *fascicul.* 3. p. 470.

* *acta eruditor.* MDCCXV. p. 299. et eorum *supplement. tom.* VI. *sect.* 5. p. 196.

** locus hic exstat in TERTVLLIANI libro de *præscriptionibus aduersus hæreticos cap.* XLIX. interpretatio autem Harduini est in *memoires de Treuoux* MDCCXXIV. *mai.* p. 842.

*** in *miscellan. obseruationib. in auctor. veteres et recent. volum.* III. *tom.* II. p. 208.

* in *memoires de Treuoux* MDCCXIX. p. 1202. et *iournal des sauans* MDCCXIX. *decembr.* p. 663.

ANONYMI *explication des mots :* caligata militia *apud Tertullianum de idololatria.* *

LAVRENTII MAGALLOTTI *lettera sopra vn passo di Tertulliano.* **

MATTHIAE ZIMMERMANNI dissertatio in Tertulliani dictum : *fiunt, non nascuntur christiani,* Lipsiæ MDCLXII. 4.

ERNESTI SALOMON. CYPRIANI *diatribe academica, qua expenditur illud Tertulliani : hæreticorum patriarchæ philosophi*, Helmstadii MDCXCIX.

ADAM. RECHENBERGII dissertatio *an hæreticorum patriarchæ philosophi? ex illo Tertulliani aduersus Hermogenem cap.* VIII. Lipsiæ MDCCV.

CYPRIANVM

THOMAE IAMESII *Cyprianus rediuiuus, hoc est, elenchus eorum, quæ in opusculo Cypriani de vnitate ecclesiæ sunt vel addita; vel detracta; vel lapsu typographi; vel alio quouis modo supposita*, Londini MDC. 4. vbi legendus est ANDREAS RIVETVS. ***

STEPHANI BALVZII *lettres au P. Tournemine sur vne nouuelle edition de saint Cyprien, que mr. Baluze prépare :* *

Lettre d'vn sauant aux auteurs des memoires de Treuoux, pour reclamer vn passage important de saint Cyprien prêt a être enleué par des celebres editeurs. Spectant litteræ hæ ad satis notum locum in CYPRIANI libro de *vnitate ecclesiæ* de *primatu Petri :* de *cathedra Petri, super quam fundata sit ecclesia.* **

IO. PEARSONII *annales Cyprianici*, præmissi CYPRIANI *operibus*, a FELLO editis, et HENRICI DODWELLI *dissertationes Cyprianicæ*, Oxoniæ MDCLXXXIV. 8. quæ duo scripta quamuis non sine caussa ad locum hunc referri possint; omitto tamen nunc ista, quoniam iam supra ea re-

* *nouu. recueil de pieces fugitiu. de l'abbe* ARCHIMBAVD.
** in *lettere scientif. ed erudite del conte Magalotti* p. 192.
*** *libr.* II. *critic sacr. cap.* 14. *tom.* II. *oper. theol.* p. 1095.
* *memoires de Treuoux* MDCCXIV. *septembr.* p. 1539. MDCCXV. *mart* p. 484 *iournal des sauans* MDCCXVI. *ianuar.* p. 90. *febr.* p. 231
** *memoires de Treuoux* MDCCXVI. *octobr.* p. 1877.

censui, quum commemorationem auctorum de vitis rebusque patrum ecclesiæ feci.

ARNOBIVM

IO. MEVRSII *criticus Arnobianus*, septem libris Lugdun. Batauorum MDXCVIII. 8. et cum *hypercritico Minuciano*, ibidem MDXCIX. 8. PETRVS SCRIVERIVS *critico* huic *Arnobiano* opposuisse *anticriticum* memoratur. *

CLAVDII SALMASII *commentarius in Arnobium*, qui inchoatus quidem; minus autem ad finem perductus est. Quæ reliquerat Salmasius, prima nimirum istius folia; siue disquisitionem de nominibus antiquorum Romanorum, quam vberioribus in Arnobium notis præmissurum fuisse, relatum legimus, ex bibliotheca Gudiana nactus est FABRICIVS ac postea ad vsum publicum transtulit. **

LACTANTIVM

FRANCISCI VANEGAE *prolegomena in L. Cælium Lactantium Firmianum et ceteros auctores, qui scripserunt aduersus gentes disputationes, apologeticos sermones; item commentaria ad librum primum Lactantii et ad librum de falsa religione vsque ad caput* XXII. *et ad librum de origine erroris vsque ad caput* V. *variasque lectiones* ad diuersos alios libros. Consuluit plures huius auctoris manuscriptos codices, qui in bibliotheca regia Scurialensi adseruantur. ***

GEORG. CASPAR. KIRCHMAIERI dissertationes in Lactantium, quæ sunt: *Lactantius de vero dei cultu illustratus*, Vitembergæ MDCXCI. *Lactantius de falsa sapientia, philologica censura illustratus*, ibidem MDCXCVII. *ad Lactantii cap.* III. *de falsa sapientia, difficiliora aliquot paralipomena, adnotamentis illustrata*, ibidem MDCXCVII.

Variantes lectiones, a Io. Mich. Heusingero descriptæ e codice manuscripto Gothano Lactantii. Accedunt animaduersiones et Heusingeri et Heumanni. *

ANO-

* BAILLETVS de *antiscriptorib. tom.* II. p. 299.
** in HIPPOLYTI *operum volum.* II. p. 122. adde ipsius *bibliothec. latin. volum.* III. p. 390.
*** ANTONII *bibliothec. hispan. nou. tom.* I. p. 376.
* *parerg. Goetting. tom.* I. *libr.* 3. p. 189.

ANONYMI *obseruationes in Lactantii epitomen diuinarum institutionum.* *

LVDOVICI BVLTEAV *defense des sentimens de Lactance sur le suiet de l'vsure, contre la censure d'vn ministre de la religion pretendüe reformeé*, Parisiis MDCLXXI. 12. **

ANONYMI *obseruationes in dissertationem de mortibus persequutorum.* ***

IO. DIETERICI WINCKLERI *philologemata Lactantiana sacra, variis locis tum sacri codicis illustrandis; tum Lactantii explicandis corrigendisque inseruientia*, Brunsuigæ MDCCLIV. 8. cuius libri iam supra mentio facta est.

Apparatus ad nouam L. Cœlii Firmiani Lactantii operum editionem, vna cum præfatione generali et duabus dissertationibus præcipuis in specimen ceterarum, Romæ MDCCLI. 4. Auctor est EDVARDVS A SANCTO XAVERIO. *

AMBROSIVM

Milleloquium, summam totius doctrinæ illius Ambrosii sub mille titulis; seu generalibus capitibus, ordine alphabetico digestis, complectens, auctore BARTHOLOMAEO, *Vrbinate episcopo*, MDLVI. fol.

SVLPICIVM SEVERVM

CHRISTIANI SCHOTANI *bibliotheca historiæ sacræ veteris testamenti; seu exercitationes historicæ in sacram scripturam et Iosephum, per modum commentarii in historiam sacram Sulpicii Seueri*, Franequeræ MDCLXII. fol. duobus tomis.

ANONYMI *epistola de noua Seueri Sulpicii editione adornanda, vna cum dissertatione, in qua Seuerus Sulpicius eiusque scripta ab errore millenariorum vindicantur. Accedunt variantes aliquot lectiones, ex antiquissimis codicibus Veronens. et aliis manuscriptis depromtæ.* **

S 5 HIE-

* *miscellan. obseruation. in auctor. veter. et recentior. volum.* IV. *tom.* I. p. 20. *tom.* III. p. 409.

** PEZII *bibliothec. Benedictino-Mauriana* p. 60.

*** *miscellan. obseruat. in auctor. volum.* IV. *tom.* I. p. 31.

* *acta eruditor.* MDCCLVIII. p. 118.

** in *raccolta d' opusculi scientif. e filolog. tom.* XVIII. p. 69.

HIERONYMVM

HIERONYMI *epistola ad Magnum oratorem, emendata et illustrata a* CHRISTOPHOR. AVGVST. HEVMANNO.*

Obseruations sur la nouuelle edition des ouurages de saint Ierome, faite a Verone. **

PETRI MAGAGNOTTI *historica animaduersio in epistolam Hieronymi ad Eustochium de custodienda virginitate.* ***

Dissertation critique du P. de Vitry sur la XXXVIII. *lettre de saint Ierome.* *

IO. CLERICI *quaestiones Hieronymianae, in quibus expenditur Hieronymi nupera editio Parisina multaque, ad criticam sacram et profanam pertinentia, agitantur,* Amstelodami MDCC. 8. Duo praecipue rerum sunt capita, quae in *quaestionibus* his enarrantur. Primum enim Clericus exponit de Martianaei editione operum Hieronymi ac iudicat, quid de illa sit statuendum: deinde de Hieronymo ipso, virtutibus eius ac vitiis, disserit: **

Dissertation sur vn passage du second liure de saint Ierome contre Iouinien, alteré dans toutes les editions et qui est retabli, Parisiis MDCCVI. 12. *** et iterum eodem anno, cum responsione ad ea, quae Coustantius obiecerat. *

AVGVSTINVM

FLORI MAGISTRI *commentarius in omnes Paulli epistolas, ex Augustini scriptis contextus,* de cuius auctore dissensio est eruditorum virorum. Alii adscribunt illum BEDAE, in cuius operibus is quoque locum obtinuit. Alii auctorem esse PETRVM, abbatem Tripolitanum, suspicantur, in quibus est BARONIVS. ** Ab vtraque sententia disce-

* in eiusdem *poecile tom.* II. p. 336.

** in *explicat. de diuers monumens, qui ont rapport a la religion des peuples anciens.* p. 374.

*** in *nouelle della republ. delle lettere dell' an.* MDCCXXX. p. 59.

* *memoires de Treuoux* MDCCXVII. *iun.* p. 993. MDCCXVIII. p. 973.

** *acta erudit.* MDCCI. p. 31.

*** *memoires de Treuoux* MDCCVII. *mart.* p. 430.

* *ibidem* MDCCVII. *septembre* p. 1591.

** *annalib. ad ann. christ.* DLXII.

difcedit IO. MABILLONIVS, qui probare adnititur, a Floro magiftro collectum effe commentarium hunc. *

AVGVSTINI *milleloquium veritatis, olim a Fr. Bartholomæo, Vrbinate epifcopo, digeftum; nunc vero plurimis eiusdem fancti fententiis locupletatum, opera* IOAN. COLLIERII, Parifiis MDCXLV. fol. duobus tomis. Antea opus hoc Lugduni MDLV. fol. lucem adfpexit.

IO. LVDOVICI VIVIS *commentarii in Auguftini libros de ciuitate dei*, qui multum laudati ac fæpius in lucem editi funt. Prodierunt primum Bafileæ MDXXII. apud Frobenium: deinde Parifiis MDLV. Antuerpiæ apud Plantinum fol. Lugduni 8. aliisque locis ac temporibus.**

IO. GASTII *commentarii in vniuerfa biblia, ex Auguftini operibus collecti*, Bafileæ MDXLII. fol. duobus tomis.

HIERONYMI *Torrenfis confeffio Auguftiniana quatuor libris, ex omnibus eius operibus collecta*, Dillingæ MDLXVII. MDXCVI. fol. vbi fcripta quædam Auguftino tribuuntur, quæ eius non funt.

LAMBERTI DANAEI notæ atque acceffiones ad AVGVSTINI librum de *hærefibus*, Geneuæ MDLXXVI. MDLXXVIII. MDLXXX. MDXC. 8. item cura GEBHARDI THEODORI MEIERI, Helmftadii MDCLXXIII. 4. quæ editio vitiofa eft: cum VINCENTII *Lerinenfis commonitorio*, Cantabrigiæ MDCLXXXVII. 12. ***

LAVRENTII COZZAE *commentarii hiftorico-dogmatici in librum Auguftini de hærefibus*, Romæ MDCCVII. fol. quem librum autem, quantum fcio, auctor minus ad finem perduxit; nec ftudium veritatis monftrauit. *

Differtation fur le texte d'vn paffage de faint Auguftin dans fon XLIV. *traite fur faint Iean.* **

Differ-

* *veter. analect.* p. 18. edition. MDCCXXIII.

** ANTONII *bibliothec. hifpan. nou. tom.* I. p. 555.

*** editio DANAEI exftat quoque in eiusdem *opufcul. theolog.* p. 897. Geneuæ MDLXXXIII. fol.

* *acta eruditor.* MDCCVIII. p. 489.

** in *recueil de pieces d'hiftoir. et de litterat. tom.* III. p. 162.

Dissertation critique sur vn endroit de la CLXXIX. *lettre de saint Augustin.* *

IO. BENEDICTI CARPZOVII *disputatio ad librum Augustini de catechizandis rudibus*, Lipsiæ MDCLXXXVIII. **

LAVRENTII MAGALOTTI *lettera sopra vn passo di sancto Agostino.* ***

CASIMIRI OVDINI *dissertation. de editionibus Augustini caput* VII. *de defloratoribus; vel commentatoribus operum Augustini, tam antiquis; quam recentibus præcipuis.* *

SALVIANVM

Coniecture du P. Oudin iesuite sur quelques endroits de Saluien. **

GREGORIVM *magnum*

NICOLAI HVGONIS MENARDI *notæ et obseruationes in Gregorii magni librum sacramentorum*, Parisiis MDCXLII. 4. quæ postea iterum litteris descriptæ atque in GREGORII *magni operum*, quæ monachi Benedictini e congregatione sancti Mauri euulgarunt, *tomum tertium* translatæ sunt. ***

* *memoires de Treuoux* MDCCXVI. *nouembr.* p. 2095.
** quæ est in eiusdem *dissertationibus academicis* p. 857.
*** in *lettere scientifich. ed erudite de Magalotti* p. 231.
* *commentar. de scriptorib. eccles. tom.* I. p. 990.
** *memoires de Treuoux* MDCCX. *septembr.* p. 1641.
*** PEZII *bibliothec. Benedictino-Mauriana* p. 4.



CAPVT

CAPVT VII.
DE PATRVM ECCLESIAE ERVDITIONE, MAXIME PROFANA AC HVMANA.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Patrum ecclesiæ eruditio diuiditur in profanam ac sacram §. I. II. III.

Ac postquam disquisitio facta, qualis illa fuerit §. IV.

Speciatim differitur de singularibus litterarum profanarum disciplinis, in quibus patres ingenia sua exercuerunt: de grammatica §. V. *Rhetorica* §. VI. *Poesi* §. VII. *Historia atque antiquitatum studio* §. VIII. IX. *Philosophia, speciatim de logica, doctrina morali, physica* §. X. XI.

Quæ adhuc exposui, eorum duo præcipue sunt capita spectantque ad alterum scripta de vitis ac rebus patrum ecclesiæ; ad alterum autem eorumdem monimenta horumque editiones, corruptiones, interpretationes, libri adulterini, vna cum iis, quæ interierunt. Scripta hæc monstrant nobis eruditionem istorum, de qua vt nunc differam, ordinis ratio postulat.

§. II.

Eruditio horum doctorum scriptorumque fuit vel *profana*; vel *sacra*. Illa, quæ et *humana* dici potest, litteris absoluitur, hominum studio inuentis, perpolitis ac progressu temporum in maiorem ac meliorem locum euectis: litteris illis, quæ partim humaniores ac politiores adpellantur, vti sunt: grammatica, rhetorica, poësis, historia cum antiquitatibus, philologia; partim disciplinas philosophicas vna cum mathesi complectuntur.

§. III.

Per eruditionem *sacram* intelligimus illam, quæ versatur in rebus, non a natura patefactis ac humana facultate cognoscendis; sed diuinitus manifestis ac sanctissimo codice comprehensis. Notitia harum rerum nomen habet *theologiæ reuelatæ* ac variis constat disciplinis. In numero illarum sunt: *theologia exegetica*, *dog-*

matica,

matica, polemica, moralis, symbolica, catechetica, homiletica, vna cum *historia ecclesiastica.* Varia hæc theologiæ reuelatæ genera recenseri ac numerari quidem solent; minus autem adcurate ac plures species, quam par est, constituuntur.

§. IV.

Vtriusque eruditionis huius rationem si recte atque adcurate per omnes partes introspicere ac diiudicare velimus, necesse est, vt distincte expendamus, cum quanta; tum qualis illa fuerit: vt ad tempora, quibus patres ecclesiæ vixerunt ac scripserunt, adtendamus atque ex illorum conditione eruditionem æstimemus: * vt hanc ob rem haud mirum sit, recentiores eruditos in variis artibus ac scientiis superiores esse antiquioribus: ** vt in laudationibus pariter ac vituperationibus id deuitemus, quod nimium est: *** vt quæ apud istos falsa sunt ac vitiosa, ea non tam perstringamus; sed quemadmodum amoris atque æquitatis lex præscribit, excusemus: * vt patres alii ob excellentius ingenium ac maiorem eruditionis adparatum aliis iure praeferantur. **

* Quodsi de eruditione patrum ecclesiæ vere cogitare ac iudicare velimus, non talem rationem illius nobis formare debemus, qualem recentiore ætate eruditio præ se fert. Qui sane antiquiorum doctorum ac scriptorum monimenta, ad nos translata ac conseruata, euoluit ac perpendit, quæ ab istis sint tradita: quarum artium ac litterarum dederint documenta: quam docendi methodum adhibuerint: quo vsi sint ordine: quæ aliis emendanda reliquerint, qui cuncta hæc diligenter expendit ac comparationem veterum cum recentioribus facit, facile perspiciet ille, magnam esse discrepantiam vtriusque ætatis auctorum: recentiores eruditione vetustiores omnino antecedere. Quæ quum ita sunt, sequitur, vt de tali eruditione a nobis sit cogitandum, quando de litteris veterum christianorum doctorum disputamus, qualis horum patrum ætate floruit.

** Recte iudicat LAMINDVS PRITANIVS; siue quem sub nomine hoc latere, constat, LVDOVIC. ANTONIVS MVRA-

MVRATORIVS dicitque: *multa sunt, quae in libris sancti Augustini ceterorumque patrum exquiri possunt, grammatica videlicet, rhetorica, didactica, logica, physica, eruditio, linguarum peritia, critica, chronologia, et aliae id genus disciplinae, quae nunc excoluntur magna animi contentione, a litteratis hominibus. In his omnibus non negamus, immo sincerissime fatemur, reperiri posse et reuera offendi multos nonnumquam patrum defectus, et si etiam velis, postremam quandoque imperitiam. Adcurata critices scientia in plerisque desideratur; seueram eloquentiam in nonnullis frustra quaeras. Si Origenem, Hieronymum et Epiphanium excipias, vix alium inter ipsos habebis hebraicae linguae guarum. Declamant interdum: alibi parum recte ratiocinantur: apocryphis quandoque vtuntur aliaque peccant, quae temporibus istis, ac in tanto lumine scientiarum et artium in homine philologo aut non feras; aut saltem non laudes.* * Consentit cum IO. CLERICO, qui inter alia hac de re ita disserit: *possumus laudare doctrinam veterum, si ita libeat; at pro modulo illius aeui; non ita, vt multum recentiorum eruditioni praeferatur, quemadmodum solet a multis fieri. Possumus ignoscere delectui rerum parum seuero, ratiocinationibus minus firmis, ordini confusiori, stylo non satis castigato, nec perspicuo; at haec praeferre iis, quae contrariis ornamentis ingenii, iudicii, eloquentiae praedita sunt, minime sustinemus.* **

*** Fieri id omnino debet, si quod verum est, sectari ac profiteri volumus. Inter veteres HIERONYMVS patribus ecclesiae plus, quam par est, tribuit. Recenset plurimos illos doctores atque addit: *in quibus nescius, quid primum admirari debeas, eruditionem seculi; aut scientiam scripturarum?* *** Quae verba quum GEORGIVS CALIXTVS adduxit, ad illustranda illa animaduertit: *et sane verbis Hieronymi fidem faciunt, quae e multis pauca hodie supersunt Iustini, Tatiani, Theophili Antiocheni, Clementis Alexandrini, Eusebii, Tertulliani, Arnobii et plurium; qui prae-*

* de *ingeniorum moderatione in religionis negotio, libr.* III. *cap.* 16. p. 565.

** *epistol. critic.* IV. *artis critic. volum.* III. p. 104.

*** *epistol.* LXXXIII.

*præter alia, quæ multiiuga eruditione subnixi, præstitere, ex scriptoribus et historia gentilium cum antiquitatem et certitudinem religionis orthodoxæ; tum nouitatem vanitatemque ethnicæ e communi omnibus rationis luce argumentis subinde ductis, et quæ in contrarium adferri poterant, refutatis, non minus diserte, quam docte, ostenderunt.** Ita hæc dictis, non obscure significauit, se esse quoque inter illos, qui patres ordinis sacri nimio honore adficiunt. Patebit id præcipue ex certaminibus, quibus Calixtum etiam de auctoritate patrum disceptasse, constat, quemadmodum infra monstrabimus.

* Quæ in scriptis patrum iure reprehendi atque emendari possunt, ea varii quidem generis sunt, commode tamen in tres classes diuidenda sunt. Prima pertinent ad *dogmata sacra*. quæ vel minus recte; vel non satis adcurate tradita sunt, inque eorum scriptis falsa omnino atque a veritate aliena habentur, quemadmodum infra monstrabo. Secunda præbent se in *methodo;* siue modo proponendi, in quo negligentes fuerunt; nec id curarunt, vt ordini naturali studerent: res enarrandas, quid illæ sint, sedulo definirent atque explicarent: probationis caussa semper argumenta, debita probandi vi prædita, adferrent: regulas recte ratiocinandi diligenter sequerentur: a rationibus oratoriis abstinerent: contraria diuersaque distincte proponerent, quæ omnia neglecta sunt ex ignorantia philosophiæ, inprimis maiori studio artis oratoriæ; quam logicæ. Tertia denique referri possunt ad *stilum*, quo latini patres non omnes facili ac perspicuo vsi sunt; sed interdum scribendi genus adhibuerunt obscurum; alienis vocibus deprauatum: turgidum nimis. Exemplum præbet TERTVLLIANVS, de cuius stilo LACTANTIVS scribit: *Septimius quoque Tertullianus fuit omni genere litterarum peritus; sed in eloquendo parum facilis et minus comtus et multum obscurus fuit.***

** Nonnullos inter ecclesiæ patres aliis eruditione atque ingeniis præstitisse: in scriptorum superstitiosorum libris versa-

* *adparatu theologic.* p. 35.

** *libr.* V. *instit. cap.* I.

verſatos eſſe: ex lectione illorum comparaſſe ſibi notitiam hiſtoriarum atque antiquitatis ac per id maiorem laudem ſibi adquiſiuiſſe, exempla patrum, cum græcorum; tum latinorum abunde comprobant. Ex græcis præcipue commemorandi ſunt:

I.) IVSTINVS *martyr*, qui in omni diſciplina philoſophorum verſatus eſt ac ſcholas frequentauit primum Stoici, mox peripatetici: deinde Pythagorici ac denique Platonici præceptoris, ipſeque ſatis iuſtructus, dogmata chriſtiana ore ac ſcripto aduerſus iudæos ac homines paganos feliciter defendit: II.) TATIANVS, cuius vnicam *orationem ad Græcos* ſi quis legerit, facile ille intelliget, patres quosdam non rudes fuiſſe hiſtoriarum atque antiquitatum, ſi præſertim legere libet, quæ NICOLAVS LE NOVRRY* hanc in rem adnotauit: de artium et ſcientiarum inuentoribus: de quorundam philoſophorum vitiis et opinionibus, a Tatiano commemoratis: de quibusdam aliis philoſophis peripateticis et grammaticis, quorum teſtimoniis ætatem Homeri probat Tatianus: de quibusdam ſcriptoribus chaldaicis, Phœnicibus et Aegyptiis ad probandam Moſis antiquitatem, a Tatiano adductis: de pluribus aliis ſcriptoribus et quibusdam illuſtribus viris, quorum mentionem Tatianus fecit; item de deorum fabulis et Metrodoro ac de ſtatuis, quas Tatianus ſe Romæ vidiſſe, teſtatur deque denique de rege argiuorum chronologia: III.) THEOPHILVS *Antiochenus*, vir multum eruditus, litteris maxime addictus, qui librorum helluonem ſe præbuit atque inter hos noctes ſolidas libenter conſumſit, vti ipſe tradit: IV.) CLEMENS *Alexandrinus*, qui iure in patribus doctiſſimis numeratur. Multa eaque præclara teſtimonia de eo edita ſunt: HIERONYMVS ſcribit:** *feruntur eius inſignia volumina, plenaque eruditionis et eloquentiæ, tam de ſcriptis diuinis; quam de ſecularis litteraturæ inſtrumento;* alio autem loco: *** *quid in illis indoctum? immo quid non e media philoſophia eſt.* Eumdem Clementem hunc THEO-

DORE-

* *adparat. ad biblioth. max. patrum tom.* I. p. 531.
** de *ſcriptorib. eccleſiaſtic. cap.* XXXVIII.
*** *epiſtol. ad Magnum.*

DORETVS * adpellat *virum ſanctum et qui abundantia doctrinæ omnibus antecelluit.* V.) EVSEBIVS, vir non mediocriter doctus, ſingularem induſtriam ad indagandas antiquitates eccleſiaſticas adhibuit hancque ob cauſſam doctorum monimenta diligentiſſime conquiſiuit: bibliothecas ſolerter perluſtrauit, præſertim nobiliſſimam illam, quam Pamphilus Cæſareæ magno ſtudio collegerat. Eorum, quæ doctorem chriſtianum ornant, haud quidquam neglexit ac quamuis a nonnullis in ordinem Arianorum adſcriberetur; alii tamen eum defenderunt ipſique fieri iniuriam, monſtrarunt, iis argumentis vſi, quæ non contemnendam probandi vim præ ſe ferunt: VI.) BASILIVS *magnus*, qui multa variaque eruditione ac doctrina valuit. Comparauerat ſibi notitiam linguarum, philoſophiæ, eloquentiæ, ex qua inter veteres chriſtianos doctores ſummam laudem traxit. Teſtantur hanc in rem multa, quæ reliquit, ingenii monimenta. Laudant eruditionem hanc ſcriptores. A SVIDA dicitur: *πάσης παιδείας εἰς ἄκρον ἐληλακώς, in omni doctrinæ genere ſummus.* ** Ipſe LIBANIVS, rhetorum ſeculo iſto princeps et a religione noſtra alienus, acceptis a Baſilio litteris, νενικήμεθα, exclamauit. Rogatus de effati huius ratione, reſpondit: *in elegantium epiſtolarum certamine victus quidem ſum; at Baſilius eſt, qui vicit; is autem amicus noſter eſt et eam ob cauſſam gaudeo.* *** De ſcribendi genere, quo vſus eſt, PHOTIVS * hanc tulit ſententiam: *præſtantiſſimus eſt in libris omnibus. Pura enim dictione, ſignificante propria et omnino ciuili ac panegyrica, ſi quis alius, vti nouit ſenſuumque ordine ac puritate et nemini ſecundus adparet. Iam perſuadendi quoque vim ac iucunditatem cum perſpicuitate amat atque ita eius fluit oratio, quaſi vltro, tamquam e fonte riuulus, ſcaturiret:* VII.) GREGORIVS *Nyſſenus*, Baſilii magni frater, minor ætate; ingenio autem, litteris ac doctrina propemodum æqualis.

Ab

* *libr.* I. *hæreticar. fabular. cap.* 6.

** *lexic. tom.* I. p. 420. edit. KVSTERI.

*** *epiſtola ad Baſilium*, quæ eſt inter huius epiſtolas CXLV. *tom.* III. *oper.* p. 176.

* *bibliothec. codic.* CXLI. p. 318.

Ab antiquis adpellatur ob eruditionem ἐλλογιμώταἶος καὶ πάσης παιδείας ἀνάπλεως, ob ſtili amœnitatem perſpicuitatemque γλυκύταἶος, λαμπρὸς καὶ. ἡδονῆς ὡσὶν ἀποςάἶων, ob auctoritatem, quam meritis ſuis ſibi acquiſiuit, ὁ ἶῶν παἶέρων πατὴρ et ὁ τῶν Νυσσαέων φωςὴρ, ἀνὴρ μετὰ τὸν ἀδελφὸν δεύτερος ἔν ἶε λόγοις καὶ τρόποις: * VIII.) THEODORETVS, eruditiſſimis patribus adnumerandus, qui præclarum ingenium, a natura datum, omni cura ac ſtudio perpoliuit ſuaque ætate laudem magnæ ac variæ doctrinæ conſequutus eſt.

Ad græcos iam enumeratos patres, eruditione reliquis ſuperiores, ex latinorum ordine adiungendi ſunt: I.) TERTVLLIANVS, quem litteris earumque ſcientia multum valuiſſe, ingenii monimenta, quæ reliquit, ſatis teſtantur, inprimis *apologeticus: ad Scapulam:* libri de *corona militis, de pallio* aliique. Iure laudant eum ob eruditionem ſcriptores. HIERONYMVS adpellat illum *acris et vehementis ingenii* virum ** et alio loco *** ſcribit: *quid Tertulliano eruditius? quid acutius?* quando autem VINCENTIVS *Lerinenſis* de eo iudicat: * *ſicut ille*, Origenes, *apud græcos; ita hic apud latinos noſtrorum omnium facile princeps iudicandus eſt. Quid enim hoc viro doctius, quid in diuinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philoſophiam et cunctas philoſophorum ſectas, auctores adſertoresque ſectarum, omnesque eorum diſciplinas, omnem hiſtoriarum ac ſtudiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus eſt. Ingenio vero nonne tam graui ac vehementi excelluit, vt ſibi nihil pene ad expugnandum propoſuerit, quod non aut acumine irruperit; aut pondere eliſerit? Iam porro orationis ſuæ laudes quis exſequi valeat, quæ tanta neſcio qua rationum neceſſitate conſerta eſt, vt ad conſenſum ſui, quos ſuadere non potuerit, impellat; cuius quot pene verba, tot ſententiæ ſunt; quot ſenſus, tot victoriæ*, id quod nimium eſt, in Tertulliano admiſiſſe; nec iuſtum tenuiſſe

 modum,

* FABRICIVS *bibliothec. græc. volumin.* VIII. p. 143.

** de *ſcriptoribus eccleſiaſtic. cap.* LIII.

*** *epiſtol. ad Magnum* p. 328.

* *commonitor. cap.* XXIV. p. 345.

modum, videtur: II.) ARNOBIVS, cuius libri *aduersus gentes* quamuis vitiis haud careant; minus tamen sunt contemnendi; sed quæ emendanda esse videntur, excusari debere, quisque æquus iudex pronuntiabit, vbi expendere velit temporis rationem, quo Arnobius libros hos composuerit, quum vix in catechumenorum ordinem adscriptus esset: immo opus hoc ob eloquentiam atque eruditionem laudandum esse: III.) MINVCIVS FELIX, qui itidem in dialogo, *Octauius* inscripto, satis probauit, eum litterarum atque antiquitatis haud rudem fuisse; nec facultate caruisse, eleganter scribendi. Laudat stilum eius IO. FRIDERIC. GRONOVIVS; * peccat autem, vt videtur, eo, quod nimium est. Verba eius sunt: *Minucius Felix dialogum contra paganos scripsit, lactea sermonis vbertate Lactantio nihil cedentem: mirabili vbique perspicuitate, etiam in acute dictis: nihil argutiarum obscuritate molestarum: nihil intempestiua eruditionis ostentatione insolens; aut arcessitum: nihil verborum nouitate; aut transferendi improbitate; aut compositionis scabitudine durum, horrens, abruptum.* IV.) LACTANTIVS, qui præditus fuit varia eruditione, inprimis eloquentia, qua inter omnes veteres christianos doctores princeps exstitit. Præcipua religionis nostræ capita eleganter explanauit. Feliciter Ciceronianum dicendi genus imitatus est et exemplo suo monstrauit, castam et politam dictionem ad argumenta sacra enarranda adhiberi posse. HIERONYMVS ** adpellat eum *fluuium eloquentiæ Tullianæ.* Vsus quidem est interdum vocibus, non satis latinis; habet autem excusationem ætatis pariter, qua vixit; ac rerum, de quibus exposuit: V.) HIERONYMVS, qui ambitione impulsus, ipse de multa variaque eruditione sua ita gloriatur: *ego philosophus, rhetor, grammaticus, dialecticus, ebræus, græcus, latinus, trilinguis.* *** Vanum quidem est effatum hoc, vbi id in se spectamus; negari tamen non potest, Hieronymum singularibus studiis, laboribus, vigiliis, sumtibus, tantam eruditionem sibi comparasse,

---

* *obseruat. in scriptor. ecclesiastic. cap.* VII. p. 71.
** *epistol.* XIII. *ad Paullinum.*
*** *apolog.* III. *aduers. Rufin. tom.* IV. *oper. part.* 2.

paraſſe, vt inter eruditiſſimos patres iure locum tueatur. Plura hac de re, præſertim de peritia linguæ ebraicæ, quæ apud Hieronymum fuit, poſtea dicam; nunc autem legantur, quæ diſputarunt: IO. CLERICVS in *quæſtionibus Hieronymianis*, antea a me iam memoratis, vbi ipſi valde mediocria videntur, quæ ab aliis in Hieronymo laudari ſolent, et IO. MARTIANAEVS, * qui agit de eruditione Hieronymi in rebus ebraicis, et alio loco ** exſtat eius defenſio eruditionis Hieronymianæ, antea edita Pariſiis MDCC. 8. Nonnullos alios generis huius patres prætermitto; quæ autem nunc de eruditione eorum generatim diſſerui, ad ea illuſtranda atque vberius enarranda conſuli poſſunt:

MARTINI CHEMNITII *oratio de lectione patrum; ſiue doctorum eccleſiaſticorum, præmiſſa explicationi locorum communium*: ***

GEORGII CALIXTI *adparatus theologicus et fragmentum hiſtoriæ eccleſiæ occidentalis*, vbi inter alia probat, priſcos eccleſiæ patres et doctores litteris ac diſciplinis inſtructos fuiſſe earumque in theologicis vſum agnouiſſe: *

IO. CLERICI *epiſtolæ criticæ et eccleſiaſticæ epiſt.* IV. ** qua exſtat iudicium de libro DALLAEI de *vſu patrum* defenſum, quaue Clericus ex inſtituto de patrum eruditione; vel potius contra eam, diſputat ſpeciatimque ſtatuit, patres plerosque linguarum tantum vernacularum peritos fuiſſe: Origenem et Hieronymum parum cognitione ſua linguarum vſos eſſe:

IO. FRANCISC. BVDDEI expoſitio de *theologia patriſtica*, maxime de eruditione patrum: de eorumdem peritia ebrææ græcæque linguæ, eloquentia, philoſophia, lo-

 gica

* *tom.* II. *oper. Hieronym.* p. 290.

** *ibidem tom.* III. p. 1137.

*** quæ eius *locis theologicis* præmiſſa eſt.

* p. 35.

** *volumin.* III. *artis critic.* quo *epiſtolæ* hæ *criticæ* continentur, p. 97.

gica ac reliquis eius partibus; item de theologia patriſtica eiusque origine ac fatis vsque ad eccleſiæ emendationem.*

GOTTLOBII FRIDERICI GVDII *commentatio hiſtorico-litteraria de pretio, quod humanioribus litteris ſtatuerunt patres.***

IO. DIETERICI WINCKLERI *præfatio ad philologemata Lactantiana ſacra, variis locis tum ſacri codicis illuſtrandis; tum Lactantii explicandis corrigendisque inſeruientia*, vbi auctor varia collegit, quæ ad litteras atque ad eruditionem patrum pertinent.

§. V.

Satis hæc dicta ſint de patrum eruditione generatim. Progredior nunc ad ſingulares litterarum diſciplinas, in quibus iſti ingenia ſua exercuerunt ac primum locum inter illas tribuo *grammaticæ*; ſiue arti, quæ viam ad ſermonem recte formandum monſtrat ac ſi voce hac late vti velimus, linguæ diſcendæ inſeruit et ad iſtam neceſſaria ſubſidia recenſet.

Patres eccleſiæ non multam operam linguis peregrinis dederunt ac plerique vernacularum tantum periti fuerunt. Inter græcos pariter ac latinos pauci erant, qui linguam ebræam colebant; nec inter latinos multi adcuratiorem notitiam linguæ græcæ habebant, quam ignorantiam non leue impedimentum feliciori interpretationi ſacrarum ſcripturarum inieciſſe, quisque facile intelliget. Duo præcipue ſunt inter antiquiores hos chriſtianos doctores, qui hac in re laudem ſibi compararunt, quum in ſtudiis linguæ ebrææ verſati ſunt: alter græcus isque ORIGENES; alter latinus; ſiue HIERONYMVS. Qualis tamen quantaque dictæ linguæ ſcientia in vtroque fuerit, de eo diſputatur ſententiæque doctiſſimorum virorum inter ſe diſcrepant. De peritia linguæ ebrææ, qua ORIGENES præditus fuit, veteres ſcriptores teſtantur eamque licet non omnes; nonnulli tamen, laudant, in quorum numero ſunt: EVSEBIVS,

* in *iſagoge ad theologiam vniuerſam libr.* II. *cap.* 3. p. 534.

** quæ eſt in *miſcellaneis Lipſienſ. nou. volumin.* VIII. *part.* I. p. 224.

BIVS, * VINCENTIVS *Lerinensis* ** atque alii. *** Inprimis audiendus est HIERONYMVS, qui scribit: * *quis ignorat et quod tantum in scripturis diuinis habuerit studii, vt etiam ebræam linguam contra ætatis gentisque suæ naturam edisceret* et alio loco ** refert, Græciam totam in illo miratam esse, quod *in paucis; non dicam mensibus; sed diebus ita ebrææ linguæ vicisset difficultates, vt in discendis canendisque psalmis cum matre contenderet.* Inter recentiores PETRVS DANIEL HVETIVS statuit, cognitionem linguæ ebrææ non tam eximiam in Origene fuisse, ac multi sibi persuadeant atque his vtitur verbis: *quodsi* Origenes *plus sese in ebraicis exercuisset maioremque linguæ huius fuisset peritiam consequutus, nihil ei ad perfectam sacræ legis cognitionem defuisset; sed tantum decerpsit ex ea gloria, quantum ex loquelæ huius studio detraxit. Dicam enim vere: vel ebraismi parum scientes sunt; vel in lectione Origenianorum operum perfunctorie versati, qui eximium quid ipsi vel in sanctæ linguæ; vel in earum, quæ ex hoc fonte profectæ sunt, dialectorum peritia tribuerunt.* *** Sequitur eum IO. CLERICVS * ac pronuntiat, certis indiciis ostendi posse, Origenem *ita loqui, quasi ebraicos characteres legere nesciuisset,* pergitque: *dicendum nimirum, bonum virum in conficiendis hexaplis vertendisque nominibus hebraicis, iudæi cuiuspiam opera vsum fuisse eiusque gentis homines interdum consuluisse: dein edidisse, quæ ab iis accepisset, ita vt imperitis Græculis primum; deinceps etiam peritiori Hieronymo; sed non satis attento, fucum fecisse videatur.* Consentiunt et alii. Si tamen reputamus, antiquiori tempore studia litterarum ebræarum penitus fere neglecta esse ac perpaucos inter christianos doctores exstitisse, qui ad ista se adplicarent; Origenem autem non mediocrem industriam ad illa adhibuisse eiusque documenta reliquisse non contemnenda, caussam

 omni-

* *libr.* VI. *histor. eccles. cap.* 16.
** *commonitor.* p. 301.
*** FABRICIVS *biblioth. græc. volum.* V. p. 224.
* de *viris illustribus cap.* LIV.
** *epistol.* XXV. *ad Paullam.*
*** *Origenian. libr.* II. *cap.* I. §. 2. p. 26.
* *quæstionib. Hieronym. quæst.* II. §. 4. p. 32.

omnino habemus, Origenem ob ſcientiam linguæ ebrææ laudandi hancque ipſam magni æſtimandi. Rem non per ſe et ſimpliciter; ſed pro ætatis, qua floruit, conditione diiudicare decet. Præter Origenem, inter patres, notitia linguæ ebrææ inſtructos, locum ſibi fecit HIERONYMVS, de cuius eruditione, præſertim peritia linguæ ebraicæ, disputatum eſt, ita vt vtraque pars de recta via deflexiſſe videatur. In laudanda iſta nonnulli ſunt nimii remque exaggerando contendunt, eum maximam ſcientiam diſciplinarum, quibus diuinior pariter ac humana doctrina abſoluitur, præſertim litterarum ebraicarum adſequutum eſſe. PROSPER * adpellauit eum *mundi magiſtrum* et ita de eo cecinit:

Ebræo ſimul et Graio latinoque venuſtus
eloquio, morum exemplum mundique magiſter.

ERASMO iudice, fuit omnium chriſtianorum ſine controuerſia longe cum doctiſſimus; tum facundiſſimus et theologorum princeps. ** Ob multa monimenta, quæ reliquit, IONAS *Aurelianenſis* vocauit eum *bibliothecam matris eccleſiæ.* *** Inprimis IO. MARTIANAEVS ſuarum partium eſſe exiſtimauit, vt Hieronymi eruditionem multis magnisque laudibus efferret et a ſiniſtris auctorum ſententiis vindicaret. * Alii Hieronymi eruditionem nimis extenuant. Ad eos adiunxit ſe recentiore ætate IO. CLERICVS hacque de re cum IO. MARTIANAEO dimicauit. Omnia, quæ ab aliis in Hieronymo laudari ſolent, ipſi valde mediocria videntur: *ſi ſeponas*, inquit, *multam græcorum et præſertim latinorum lectionem, coniunctam cum facultate acriter declamandi; aut declamatorie ſcribendi, pro eius æui palato cetera omnia ſunt mediocria. Non modo ebraicæ; ſed et græcæ linguæ modica cognitione fuit tinctus. Theologiam ceterasque diſciplinas deguſtauerat potius; quam exhauſerat. In inuentione quidem nihil propemodum habet exqui-*

* *carmin. de ingratis.*
** *libr.* v. *epiſtol.* 19.
*** *libr.* III. *de cultu imagin.* contra Claudium, Taurinenſis eccleſiæ epiſcopum, *orthodoxograph.* p. 1574.
* cuius ſcripta, quæ huc ſpectant, poſtea memorabo.

quisiti: in ordine nihil ferme adcurati; in ratiocinatione vero et collectione consectariorum plus multo pompae rhetoricae atque exaggerationis inuenias; quam roboris et iudicii. * Alio loco ** animaduertit, viros doctos deprehendisse, Hieronymum perquam modice in lingua graeca exercitatum fuisse, quando cum graecis archetypis translationes eius adcuratius conferre coeperint. In discrepantia hac scriptorum de eruditione Hieronymi, quum illam nimis vel laudant, vel extenuant, recte illi agunt, qui vtramque extremitatem deuitant et mediam sibi eligunt viam. Exploratum satis est, Hieronymum linguarum ebraeae, chaldaeae, graecae et latinae minime rudem fuisse. Colligendum id est ex multis et perpetuis studiis, quae litteris his per omnem vitam consecrauit: ex magistris et praeceptoribus, quibus est vsus: ex ingenii monimentis, quae nobis reliquit. Nec negandum est, eum sua eruditione, praesertim scientia linguarum orientis, reliquos latinos sacri ordinis patres superasse, quod satis luculenter adparet, vbi illius horumque scripta inter se conferantur. Ac quamuis non eum doctrinae gradum adsequutus fuerit, ad quem recentiore ac nostra aetate eruditissimi viri peruenerunt; aut quis, idoneis subsidiis virtutibusque instructus, peruenire potest; attamen et quisque aequus rei iudex fatebitur, Hieronymum pro temporis, quo vixit, conditione, tantum in linguarum studiis profecisse, quantum pauci recentiorum profecturi fuissent, si eadem aetate vixissent.

Quando HIERONYMVS *** varias litterarum disciplinas enarrat, quibus Origenes ingenium suum excoluit, grammaticam quoque in illis numerat dicitque: *dialecticam quoque et geometriam et arithmeticam, musicam, grammaticam et rhetoricam, omniumque philosophorum sectas ita didicit, vt studiosos quoque secularium litterarum sectatores haberet, et interpretaretur eis quotidie, concursusque ad eum miri fierent: quos ille propterea recipiebat, vt sub occasione secularis litteraturae in fide christi eos institueret.*

* *quaestion. Hieronym.* p. 6.
** *ibid.* p. 44.
*** de *scriptoribus ecclesiastic. cap.* LIV.

ret. Sub AVGVSTINI nomine prodiit liber *de grammatica* atque in *opera* eiusdem translatus est; * eum autem esse adulterinum, doctissimi viri animaduertunt atque argumenta, non contemnenda, adferunt. Legendi sunt:

IO. MARTIANAEVS, qui commentatus est singulari studio de *eruditione Hieronymi in rebus ebraicis*, ** atque in *eruditionis Hieronymianae defensione* aduersus Io. Clericum, *** qui Hieronymum eiusque eruditionem, praesertim ebraeam, summis laudibus ornauit hacque de re, quemadmodum a me iam dictum est, cum Clerico in certamen venit.

IO. CLERICVS, qui edidit iam antea adductas: *quaestiones Hieronymianas, in quibus expenditur Hieronymi nupera editio Parisina multaque ad criticam sacram et profanam pertinentia agitantur*, Amstelodami MDCC. 8. * Fatetur, Hieronymi scripta vsus praebere, cum communes omnibus antiquis monimentis, quales sint historia dogmatum ac rerum illa aetate gestarum ac ratio, sacras litteras interpretandi, tempore isto vsitata; tum singulares ac proprios, qui ad tria haec potissimum capita referri possint. Liceat primum, ex Hieronymi scriptis colligere fragmenta multo plura, quam ex vllo alio antiquiorum interpretum graecorum veteris testamenti, quorum translationes iniuria temporum socordiaque hominum perierunt. Deinde addit, ex iisdem intelligendas esse multas traditiones iudaicas; vel opiniones iudaeorum illius aeui de significatione vocum ebraicarum: sententias plurimorum locorum scripturae: varias item nonnullas lectiones, dignas, quae expendantur. Cognoscimus denique ex sententia eius, quodnam fuerit singulare ipsius Hieronymi iudicium de variis vocabulis ebraicis ac scripturae locis; tum etiam de rebus ac scriptoribus aliis, de quibus fert sententiam. Adiungi potest eiusdem CLERICI *dissertatio de argumento theologico, ab inuidia ducto.* **

IO.

* exstat ille *tom.* I. *operum* p. 599. edition. Benedict. Antuerp.

** quae commentatio est in HIERONYMI *operum tom.* II. p. 290. quae ipse in lucem emisit.

*** exstat *ibidem tom.* III. p. 1137.

* *acta eruditor.* MDCCI. p. 31.

** quae eiusdem *logicae* subiecta est, §. XXII.

IO. FRANCISCVS BVDDEVS, qui in *iſagoge ad theologiam vniuerſam* de Origene ac Hieronymo eorumque eruditione ebræa ſatis copioſe diſſerit.*

IO. GOTTLOB. CARPZOVIVS in *critica ſacra*, vbi diſputat, num et quanta peritia linguæ ebrææ Hieronymo ſit tribuenda.**

IO. ALBERTVS FABRICIVS in *bibliotheca latina*, quando de HIERONYMI *operibus*, a MARTIANAEO editis, diſſerit ac refert, editionem hanc a RICHARDO SIMONE ac IO. CLERICO reprehenſam fuiſſe.***

Quod ad latinam linguam adtinet, illius nitor atque elegantia apud veteres chriſtianos patres negligi cœpit. Pauci fuerunt, qui cultiori ſtilo vterentur, ſi excipias Lactantium et poſt eum quodam modo Minucium Felicem, Arnobium, Hieronymum, Sulpicium Seuerum. Obſeruatione omnino dignum eſt, poëtas etiam poſteriorum temporum ornatiores eſſe, quam ſolutæ orationis auctores. Monſtrant hoc exempla Sidonii Apollinaris ac Paullini Nolani, quorum carmina ſunt nitida ac perpolita: epiſtolæ parum elegantes, quia ſoluta oratione ſcriptæ. Tradiderunt dogmata ac myſteria chriſtiana, antea ignota, quæ neceſſitatem imponebant, formulas ac vocabula, ante tempora chriſtianorum in Latio inaudita, ſaltem alio ſenſu et notione vſitata, inuehendi. Nata ex eo eſt latinitas eccleſiaſtica, quam alii ſectati ſunt parcius, priſcæ elegantiæ in ſacris quoque argumentis ſtudioſi, quorum iam antea mentionem feci; alii diligentius atque in eo laudem ſibi comparatam exiſtimarunt, ſi vnice nouo illo et ſacro ſtilo vterentur, quo in cenſu Cyprianus et magis Paullinus Nolanus habentur. AVGVSTINVS * dicit: *quamquam tanta eſt vis conſuetudinis etiam ad diſcendum, vt qui in ſcripturis ſanctis quodammodo nutriti educatique ſunt, magis alias loquutiones mirentur, easque minus latinas putent, quam illas, quas in ſcripturis didicerunt; neque in latinæ linguæ auctoribus reperiuntur.* Videantur hac de re:

CARO-

* *libr.* II. *cap.* 3. §. 4. p. 549.

** p. 667.

*** *bibliothec. latin. volumin.* III. p. 453.

* *libr.* II. *de doctrina chriſtiana cap.* 14. *tom.* III. *oper.* p. 21.

CAROLVS DV FRESNE *præfatione*, quam *gloſſario ad ſcriptores mediæ et infimæ latinitatis* præmiſit. *

CHRISTOPHOR. CELLARIVS *diſſertatione de fatis latinæ linguæ*, quam Halæ MDCCI. defendit. **

§. VI.

Inprimis antiquiorum chriſtianorum doctores; ſiue patres diligenter verſati ſunt in *rhetorica* huiusque præcepta non ſolum aliis tradiderunt; ſed et ipſi frequenter orationes recitarunt, ciuiles pariter, inprimis ſermones panegyricos, ac ſacras; ſiue homilias. Multorum tamen, maxime eorum, qui in ſumma laude famaque oratorum erant, eloquentia vitioſa erat ac reprehenſione digna, ſiue ad res, de quibus diſſeruerunt; ſiue ad modum dicendi animum aduertimus.

Rhetoricam docuerunt: apud Siccam Veneream, mediterraneam Africæ vrbem, Arnobius: Nicomediæ Lactantius: Mediolani Auguſtinus atque alii, quos itidem magiſtros rhetoricæ fuiſſe conſtat. Eloquentiæ cauſſa itinera fecerunt atque ipſi celebres rhetorum ſcholas frequentarunt. Gregorius Nazianzenus adiit Athenas, vt ingenium ſuum litteris eloquentiæ excoleret. Baſilius magnus Conſtantinopoli Libanio præceptore vſus eſt. Reliqua exempla rei ſatis notæ dimitto. Multæ orationes ab his atque aliis eccleſiæ patribus conſcriptæ ſunt, recitatæ etiam atque ad nos delatæ. Aliæ ſunt *ciuiles*, inprimis ſermones panegyrici, memoriæ martyrum ac virorum, ſanctimoniæ laude florentium, conſecrati atque ita compoſiti, vt illorum virtutes, pie ſapienterque dicta ac facta, laudentur atque exempla eorum ad imitandum ante oculos ponantur. Aliæ ſunt orationes *ſacræ*, quæ *homiliæ* adpellari ſolent, cum patrum græcorum; tum latinorum. Inter græcos homilias reliquerunt: ORIGENES, EPHRAEMVS *Syrus*, BASILIVS *magnus*, GREGORIVS *Nyſſenus*, GREGORIVS *Nazianzenus*, MACARIVS ſenior, IO. CHRYSOSTOMVS, ASTE-

RIVS,

* p. 58.

** locum obtinuit in volumine eiusdem *diſſertationum academicarum*, quod ipſe in lucem emiſi, p. 455.

RIVS, CYRILLVS *Alexandrinus*, BASILIVS *Seleucienſis*. Ex latinorum numero adiungendi ſunt: AVGVSTINVS, MAXIMVS, PETRVS CHRYSOLOGVS, LEO *magnus*, CAESARIVS, GREGORIVS *magnus*.

Oratores ſacri primum recitarunt conciones, quæ liberioribus ſermonibus conſtabant: quæ erant breuiores ac pietatem ſimplicitatemque ſpirabant; poſtea tamen, maxime ſeculo quarto ac quinto, eloquentiam non ſatis moderatam; ſed turgidam ac declamatoriam ſectati ſunt. Vitiorum, quæ ſermones eorum contaminabant, varia erant genera. Alia ſpectant ad res ipſas, de quibus diſſerebant. Quando enim de argumentis diuinis ſacrisque, quæ ſimplicem planamque orationem poſtulant, in ſcholis ſcriptisque exponebant, nimio artis rhetoricæ ſtudio dediti, crebras verborum figuras, colores et alia oratorum ornamenta adhibuerunt ac multa dixerunt ὑπερβολικῶς. Monſtrant id monimenta CHRYSOSTOMI, HILARII, AMBROSII atque aliorum, in quibus multæ habentur hyperbolæ; nec ipſe HIERONYMVS, * ſcripta eius ab artium dialecticæ ac rhetoricæ peritis legenda eſſe, diſſimulat. Quum cæleſtis doctrinæ cauſſam perorarent atque aduerſariis reſiſterent, oratoria adferebant argumenta, in quibus vis quidem ineſt ad delectationem opinionemque faciendam; minus vero ad firmam ſolidamque probationem, quam in rem exempla habemus apud TERTVLLIANVM, CYPRIANVM, MINVCIVM FELICEM, LACTANTIVM atque alios. Nata ex eo eſt obſcuritas ac difficultas, ea intelligendi, quæ ab iſtis ſcripta ſunt. Fatetur hoc ipſe DIONYSIVS PETAVIVS,** quamquam *multa ſunt*, inquit, *a ſanctiſſimis patribus, præſertimque a Chryſoſtomo in homiliis aſperſa, quæ ſi ad exactæ veritatis regulam accommodare volueris, boni ſenſus inania videbuntur. Quippe declamatorio illo more ad imperitam fere multitudinem, exaggerandi cauſſa, et ſubito quodam impetu dicendi ac calore profuſa feruntur plerumque licentius. Vnde ex aliorum comparatione locorum, vel con-*

* *epiſtol.* L. *ad Pammachium tom.* II. p. 135.

** *animaduerſionib. ad Epiphanium hæres.* LIX. *tom.* II. *oper.* p. 244.

conciliorum potius, ac patrum, temperanda, et in gyrum veritatis reuocanda sunt. Idem late edisserit IO. DALLAEVS * atque ostendit, *non facile esse, patrum scripta intelligere, tum propter linguas et idiotismos, quibus vtuntur; tum propter rerum explicandarum variis rhetoricæ et dialecticæ artificiis obscuratam et impeditam rationem; tum quod plerasque voces alio, quam qui nunc in vsu est, sensu vsurpent.* Legendi et sunt: IO. CLERICVS ** et IO. BARBEYRACIVS. *** Improbat quidem HIERONYMVS * declamatorium hoc dicendi genus scribitque ad Nepotianum: *ne a me quæras pueriles declamationes, sententiarum flosculos, verborum lenocinia, et per fines capitulorum singulorum acuta quædam breuiterque conclusa, quæ plausus et clamores excitent audientium;* non penitus tamen illud deuitat: immo sophisticam etiam eloquentiam diserte laudat et quod temere sibi sumit, exemplo apostoli Paulli tueri conatur. Alia vitia sermonis, quo patres vtebantur, posita maxime erant in ipso dicendi genere.

Non satis cauti ac prouidi quum ex rhetorum scholis dicendi formulas adhiberent ac declamatores imitarentur, veritatem non solum ipsam obscuram reddiderunt; sed etiam ad prauas opiniones atque errores, qui non leuiores turbas apud christianos fecerunt, viam pararunt. Comprobant hoc exempla, satis luculenta. Alta atque exaggerata oratio, qua per apostrophen sacram cœnam adloquebantur, peruersæ opinioni de sacrificio missæ, qua pontificis romani adseclæ capti sunt, occasionem præbuit. Sufficiat DIONYSII AREOPAGITAE ** testimonium adduxisse, qui ad cælestem euchariſtiam hæc verba facit: *o diuinissima et sacra ceremonia! ostende nobis perspicue obductam*

---

* de *vsu patrum libr.* I. *cap.* 4. p. 120.

** in *historia studiorum rhetoricorum, quibus difficillimum cognitu factum est, quid cogitarint de multis rebus celeberrimi scriptores,* quæ est in eius *arte critica, volumin.* I. p. 337.

*** *præfation.* interpretationis gallicæ PVFENDORFII *iuris natur. et gentium* §. IX. p. 40.

* *epistol.* XXXIV. *tom.* IV. *oper. part.* 2. p. 259.

** de *hierarchia cap.* III. adde: BVDDEI *dissertationem de origine missæ pontificiæ* p. 33. *syntagmat. dissertat. theolog.*

ductam tibi per ſigna obſcuritatem et ſingulari lumine mentis noſtræ oculos imple, ad quem locum PACHYMERES ita commentatur: *ceremoniam hanc adloquitur, ac ſi animata ſit et non abs re, vt Gregorius theologus: o ſanctum et magnum paſcha! et eiusmodi ſacra ceremonia dominus noſter ieſus chriſtus, ad quem ſermonem habet.* Rem quoque probant atque illuſtrant iam antea memoratæ orationes panegyricæ, quarum occaſione inuocandi ſanctos homines in auxilium conſuetudo, in eccleſia romana maxime celebris, per Baſilium, Gregorium Nyſſenum, Gregorium Nazianzenum ad annum poſt recuperatam ſalutem communem CCCLXX. in publicos ſanctiores cœtus inuehi cœpit. Non in ſimplici martyrum commemoratione adquieſcendum eſſe, putarunt; ſed declamatoriis verborum ſententiarumque floribus et rhetoricis apoſtrophis et per proſopopœiam ſermones panegyricos ita ornarunt, vt opinio de implorandis piorum præſidiis, quæ Origenis ætate priuata erat, veluti communis doctrina confirmata atque ita orationis figura ad precum formam conuerſa fuerit. Exempla teſtimoniaque rei huius habentur apud BASILIVM, GREGORIVM *Nyſſenum*, GREGORIVM *Nazianzenum* atque alios, in quibus ſtudioſe colligendis verſatus eſt MARTINVS CHEMNITIVS.*

§. VII.

Inter litteras, quibus patres ſacri ingenia ſua exercuerunt, locum quoque habuit *poëſis* multique in ordine illorum arti huic non mediocrem operam nauarunt. Comprobant hoc multa eorum monimenta poëtica, quæ ab interitu vindicata et ad nos delata ſunt. Litteris ea conſignarunt patres ac ſcriptores eccleſiaſtici cum græci; tum latini hique numero plures; quam iſti.

Inter patres *græcos* laudem poëſeos chriſtianæ conſequuti ſunt:

TRIPHYLLIVS, Ledrorum in Cypro epiſcopus, qui præceptoris ſui *Spiridonis*, Trimythuntis in Cypro epiſcopi, *vitam et miracula* verſibus iambicis conſcripſit.

APOL-

* *examin. concil. Tridentin. part.* III. *loc.* 4. *cap.* 3. p. 877.

APOLLINARIS, iunior, lector ac tandem episcopus Laodicenus, ex cuius multis scriptis, ab ipso compositis, sola conseruata est *psalmorum Dauidicorum metaphrasis*, heroicis versibus contexta. Tribuitur quoque a doctis quibusdam viris Apollinari huic, vel patri eius, tamquam auctori, *tragœdia*, inter GREGORII *Nazianzeni opera* sæpius euulgata atque inscripta: *χριστὸς πάσχων*, *christus patiens*; alii autem ob codicum manuscriptorum auctoritatem malunt illam ad Gregorium Nazianzenum referre, licet fateantur, minorem in ea elegantiam minusque iudicium et acumen, quam in aliis Gregorii poëmatibus, vt videatur, inesse.

GREGORIVS *Nazianzenus*, princeps inter poëtas christianos græcos, qui multa egregia carmina conscripsit, partim coniunctim in eiusdem *operibus* græce ac latine cum scholiis IACOB. BILLII, partim separatim variis in locis edita. Quæ adhuc in bibliothecis delituerant; nec prodierant in conspectum publicum, eorum multa sane lucem postea adspexerunt, in quorum numero sunt: GREGORII *Nazianzeni, theologi carmina cygnea inedita*, quæ IACOB. TOLLIVS cum notis iuris publici fecit: * eiusdem *carmina, siue epigrammata*, CCXXVIII. cum notis LVD. ANTON. MVRATORII. **

SYNESIVS, Cyrenæus, Ptolomaidis episcopus, qui eloquentiæ ac poëseos laude floruit ac *hymnos* decem, lyrico carminis genere, reliquit, sæpius editos non solum in eius *operibus*; sed etiam separatim, vel sine; vel cum interpretatione latina.

BASILIVS *Seleuciensis*, Seleuciæ in Isauria episcopus, in cuius scriptis numeratur *vita Theclæ*, sermone ligato composita; quæ autem interiit. Ab ea plane diuersa sunt: *acta et miracula sanctæ apostoli et protomartyris Theclæ*, quæ Basilio huic haud tribui possunt, licet nomen eius præferant.

NON-

* *insignib. itinerarii italici* p. 1. sqq.
** *anecdot. græc.* p. 1. sqq.

NONNVS *Panopolites* Aegyptius, cuius duo monimenta poëtica memoranda ſunt. Exſtant illius *Dionyſiaca;* ſiue de *rebus Bacchi*, carmine heroico librisque XLVIII. quos ab eo, religioni paganorum hominum adhuc addicto, ſcriptos eſſe, nonnulli ſuſpicantur; alii autem animaduertunt, fieri omnino potuiſſe, vt ille, poſtquam chriſtianam religionem amplexus fuerit, ingenii animique cauſſa argumentum ethnicum exornandum ſuſciperet, quemadmodum quotidie in theatris noſtris peragi videamus. Præter *Dionyſiaca* hæc, a Nonno accepimus *metaphraſin epicam euangelii ſancti Ioannis*, ſæpius in lucem emiſſam, latine redditam notisque illuſtratam.

AMPHILOCHIVS, Iconii in Lycaonia epiſcopus, cuius ad nos peruenerunt: *iambi ad Seleucum*, qui præcepta morum ac doctrinæ et librorum ſacræ ſcripturæ enumerationem complectuntur. Prodierunt iſti cum coniunctim cum reliquis Amphilochii ſcriptis; tum ſeparatim, non ſolum cura IOACHIMI ZEHNERI cum metaphraſi latina iambica; ſed etiam ſtudio NICOLAI RITTERSHVSII, ſub titulo: *Amphilochii, epiſcopi Iconii, de recta ſtudiorum ac vitæ ratione, epiſtola ad Seleucum, verſibus iambicis* CCCXXXVI. *quaſi quarto poſt natum chriſtum ſeculo ſcripta: Conradi Rittershuſii notis illuſtrata: tertium edita, curante et recenſente Nicolao Rittershuſio*, Altorfii MDCXLIV. 8. Verſus hos IACOBVS BILLIVS ad Gregorium Nazianzenum referre mauult; coniectura autem, quam facit, leuior eſt.

Fuerunt quoque non pauci inter *latinos* eccleſiæ patres, qui poëſi chriſtiana ſe commendarent ac monimenta illius ad poſteros transferrent. In hoc ſcribendi genere non ſine laude verſati ſunt, qui nunc ſequuntur:

TERTVLLIANVS, cuius *opera poëtica* edidit ANDREAS RIVINVS ac poſt *Pamelium*, *Iunium*, *Barthium* breues notas addidit, Gothæ MDCLI. 8. * Exſtat quoque carmen eius de *Iona et Niniue* cum animaduerſionibus IVRETI, BARTHII, GRONOVII ad calcem PAVLLINI PETRICORII,

* TERTVLLIANI *libri* carmine conſcripti locum obtinuerunt in MAITTAIRII *corpor. poëtar. latinor. tom.* II. p. 1525.

CORII, editi a CHRISTIAN. DAVMIO, Lipsiæ MDCLXXXI. 8. Varia carmina ipsi a nonnullis tribuuntur, vti: *genesis*, *Sodoma*, libri quinque *aduersus Marcionem*: de *iudicio dei ad senatorem*: carmen, quod iam memoraui, de *Iona et Niniue*; quæ autem alii scriptis Tertulliani adulterinis adnumerant; aut de quibusdam saltem statuunt, rem esse dubiam, a Tertulliano ea esse conscripta.

CAECILIVS CYPRIANVS, presbyter ac postea episcopus Carthaginiensis, ad quem tamquam auctorem itidem varia carmina referuntur, *genesis*, *Sodoma*, *ad senatorem apostatam*; quæ autem omnino Cypriani esse, doctissimi viri negant. Ab aliis tribuuntur ista Tertulliano, id quod iam antea memoraui. Sub nomine eius exstat quoque apud GEORGIVM FABRICIVM * *lignum vitæ*, carmen ab aliis de *cruce*, a PAMELIO de *paschate domini* inscriptum.

C. VETTIVS AQVILINVS IVVENCVS, presbyter Hispanus, qui scripsit *historiæ euangelicæ* libros IV. Matthæum sequutus, versu hexametro, sæpius editos ac doctissimorum virorum notis illustratos.

LACTANTIVS, cuius nomen etiam varia carmina præ se habent; iure autem monimentis adulterinis adnumerantur. Sunt ista: carmen de *Phoenice*, a superstitioso homine, vt creditur, compositum: carmen de *paschate*, quod VENANTII FORTVNATI esse, doctorum virorum sententia est: carmen de *passione domini*, quo de adoratione crucis agitur; item *symposium*, quod CHRISTOPHOR. AVGVST. HEVMANNVS edidit ac tamquam verum Lactantii monimentum defendit, sub titulo: *symposium; siue centum epigrammata tristicha ænigmatica, quæ vero suo auctori post longissimi temporis decursum reddidit, a librariorum mendis ope codicum manuscriptorum repurgauit suisque et Ios. Castalionis, Casp. Barthii, Frider. Besselii aliorumque notis illustrauit Chr. Aug. Heumannus, cuius et adiecta est dissertatiuncula contra Nicolaum Nourrium, librum de mortibus persequutorum Lactantio abiudicantem, itemque symbola critica ad Lactantium*, Hanoueræ MDCCXXII. 8. Memoratur quoque

* *poëtar. veter. ecclesiasticor. oper.* p. 302.

que LACTANTII carmen de *itinere eius ex Africa Nicomediam vsque;* minus autem ab interitu se vindicare potuit.

HILARIVS, *Pictauiensis* episcopus, sub cuius nomine prodiit quidem *genesis;* siue hexaemeron ad Leonem papam, carmine epico; illud autem non ab hoc; sed ab alio Hilario iuniore, eoque præsule Arelatensi compositum esse, eruditi viri non sine caussa statuerunt. Ac quamuis carmen hoc in editionibus quibusdam HILARII *Pictauiensis operum* locum obtinuerit; omissum tamen id postea est atque a monachis Benedictinis in Hilarii Pictauiensis editione, Parisiis MDCXCIII. fol. vulgata, inter adulterina episcopi illius scripta relatum. Lucem vidit carmen hoc separatim, sub nomine Hilarii Pictauiensis ac cum notis IO. WEITZII, Francofurti MDCXXV. 8.

FABIVS MARIVS VICTORINVS, Afer, cuius industriæ debemus: carmen de *fratribus Maccabæis, interfectis ab Antonio Epiphane,* quod nonnulli Hilario Arelatensi; vel alii tribuunt. Editi quoque sunt sub nomine eius *hymni* tres de *trinitate,* cum notis ANDR. RIVINI.*

DAMASVS, episcopus romanus, qui multa carmina reliquit. Plura collegit ac notis illustrauit ANDREAS RIVINVS in volumine, cuius inscriptio est: *Damasi carmina sacra, numquam typis hactenus simul euulgata, nunc e roman. marmoribus, priscis christianorum monimentis manuque partim exaratis; partim editis codicibus congesta et notis illustrata,* Lipsiæ MDCLII. 8. Diligentiam eius longe superauit MARTIVS MILESIVS SARAZANIVS, qui postquam Damasi carmina collegerat atque in ea aliaque Damasi opuscula animaduersiones scripserat, omnia ista iuris publici fecit FEDERICVS VBALDINVS e bibliotheca Barberina, Romæ MDCXXXVIII. 4. iterumque illa litteris descripta sunt, Parisiis MDCLXXII. 8.

AMBROSIVS, episcopus Mediolanensis, cuius exstant *hymni.* Varii sunt isti, qui sub nomine illius in lucem exierunt; de iis autem, qui ad Ambrosium, tamquam auctorem, pertinent, discrepant scriptorum sententiæ nunc-

 que

* inter *sanctas reliquias duorum Victorinorum,* a dicto RIVINO editas, Gothæ MDCLIII. 8. p. 208.

que plures; nunc pauciores numerantur. Commemoratione inprimis digni habentur hymni ſeptem de *opere creationis.*

PRVDENTIVS, cuius libri ſemper in honore ac laude fuerunt ſeque varietate carminis atque elegantia commendarunt. Quales illi ſint, ſatis conſtat. Editionum ac commentariorum numerus non paruus eſt.

PAVLLINVS, *Nolanus* epiſcopus, cuius nomen varia poëmata præ ſe habent; quæ autem ei falſo tribuuntur, vti ſunt: *carmen euchariſticum de vita ſua*, quod alterius Paullini eſſe, monſtratum eſt argumentis non contemnendis ac de *vita ſancti Martini* libri VI. carmine heroico, ſcripti ad Perpetuum, Turonenſem antiſtitem, quos a Paullino Petricorio compoſitos eſſe, nunc viri eruditi ſtatuunt. Sunt tamen alia carmina, ad nos delata, quorum Paullinus Nolanus auctor eſt.

DRACONTIVS, gente Hiſpanus ac dignitate presbyter, vti ſcriptores tradunt. Duo opuſcula reliquit. Alterum eſt carmen heroicum in *hexaëmeron;* alterum *elegia ad Theodoſium imperatorem.* Vtrumque prodiit cura IACOBI SIRMONDI, Pariſiis MDCXIX. 8.

CAELIVS SEDVLIVS, presbyter Scotus, cuius varia poëmata conſeruata et ad nos delata ſunt, *carmen*, nimirum *paſchale;* ſiue de *chriſti miraculis: veteris et noui teſtamenti collatio*, carmine elegiaco ſcripta: *pæan alphabeticus de chriſto*, iambico carmine conſcriptus, vbi chriſti res geſtæ breuiter narrantur.

CLAVDIVS MARIVS VICTOR; vel VICTORINVS, Maſſilienſis rhetor ac poëta, cuius ad nos peruenerunt: libri tres *carminum; ſeu commentariorum in geneſin, a principio* libri huius vsque ad obitum Abrahami; item *epiſtola ad Salomonem abbatem de peruerſis ſuæ ætatis moribus*, heroico carmine ſcripta.

HILARIVS, *Arelatenſis* epiſcopus, memorandus hoc loco ob carmen heroicum de *geneſeos hiſtoria* ad Leonem papam, quod inter HILARII Pictauienſis *opera* reperiri ſolet:

PROSPER *Aquitanicus*, homo quidem, vt videtur, laicus, pontificis Leonis notarius, non penitus tamen a me

omit-

omittendus, quum inter antiquiores poëtas ſacros locum obtinuerit. Exſtat eius carmen heroicum de *ingratis*, aduerſus Pelagianos, compoſitum, quum Auguſtinus adhuc in numero mortalium eſſet. Aliud carmen heroicum idque de *prouidentia diuina* itidem nomen eius præ ſe habet; iudicarunt autem merito doctiſſimi viri, tantum abeſſe, vt illud a Proſpero ſit conſcriptum, vt ad Pelagianum hominem, tamquam auctorem, referri debeat.

BENEDICTVS PAVLLINVS PETRICORIVS, laudandus loco hoc ob opus ſuum de *vita ſancti Martini*, ſex libris carmineque heroico ita deſcripta, vt quæ SVLPICIVS SEVERVS de Martino hoc ſermone ſoluto narrauit, ea oratione ligata expreſſa ſint. Plerorumque quidem longior opinio fuit, Paullinum Nolanum libros hos ſcripſiſſe, iidemque ſub Paullini huius nomine lucem adſpexerunt; nunc autem tribuuntur iſti Paullino Petricorio. Separatim illi in conſpectum publicum prodierunt cura CCRISTIANI DAVMII, ita inſcripti: BENEDICTI PAVLLINI PETRICORII *poëmata et alia quædam ſacræ antiquitatis fragmenta, cum Franciſc. Iureti commentariis, Caſpar. Barthii animaduerſionibus, Io. Frider. Gronouii notis edita a* CHRISTIANO DAVMIO, Lipſiæ MDCLXXXVI. 8.

SIDONIVS APOLLINARIS, qui multa carmina ad poſteros transmiſit, non ſeparatim, quantum ſcio, edita; ſed coniunctim cum reliquis eius ſcriptis, *epiſtolarum* libris adiunctis.

CLAVDIANVS MAMERTVS, presbyter Viennenſis, cuius varia carmina recenſentur; de omnibus autem non plane conſtat, ea eſſe ingenii eius fetus. Locum in illis habet: *carmen contra varios errores; ſeu contra varios poëtas: hymnus de paſſione domini*, qui Venantio Fortunato tributus eſt; minus autem recte vereque. Plura ſunt argumenta, quæ opinioni huic repugnant. Idem Claudianus hic hymnos, pſalmos ac lectiones, ſingulis anni feſtis diebus congruentes in vſum eccleſiæ Viennenſis ordine digeſſiſſe, traditur.

ALCIMVS ECDICIVS AVITVS, cuius exſtant: de *mundi origine*: de *peccati origine*: de *ſententia dei*: de *di-*

luuio deque transitu maris rubri libri V. versu hexametro, ac libellus de *laude virginitatis*, heroico carmine compositus ad Fuscinam sororem.

ORIENTIVS, episcopus Eliberitanus, qui scripsit *commonitorium fidelium*, carmine heroico. Quum id adhuc editum fuisset mutilum ac totus liber secundus omissus, tandem EDMVNDVS MARTENE * integrum *commonitorii* huius opus idque duorum librorum ex peruetusto codice ecclesiæ sancti Martini Turonensis, ab annis circiter DCCC. exarato, edidit atque eiusdem Orientii carmina de *natiuitate domini*, de *trinitate*, de *nominibus domini* et de *orationibus* addidit. Editionem hanc Marteneanam de integro recensuit, variis locis castigauit, virorum doctorum animaduersionibus copiosisque prolegomenis ornauit HENRICVS LEONARDVS SCHVRZFLEISCHIVS, Vitembergæ MDCCVI. 4.

ARATOR, patria Ligur, foro aulaque relictis, subdiaconus romanus, qui scripsit carmine heroico *historiam apostolicam*, ex Luca expressam et duobus libris comprehensam; præter hanc autem reliquit carmen elegiacum ad *Parthenium*, sororis Ennodii filium, a quo ad poësin sacram inprimis incitatus fuerat, a IACOBO SIRMONDO** editum.

VENANTIVS HONORIVS CLEMENTIANVS FORTVNATVS, in vrbe Pictauiensi primum presbyter, deinde episcopus. Multa carmina reliquit seque excellenti ingenio valuisse, luculenter monstrauit. Peruenerunt ad nos: *poëmatum libri* II. quibus præmissa est epistola dedicationis ad Gregorium Turonensem: de *vita sancti Martini libri* IV. carmine heroico, ad eumdem Gregorium: *carmen ad Artachin*. Præter hæc, Fortunato nonnulla alia carmina adscribuntur, quæ in Tertulliani, Cypriani et aliorum operibus habentur.

Quæ iam enumeraui, monimenta poëtica patrum ecclesiæ sæpe diuersa ratione litteris descripta sunt lucemque viderunt

---

* in limine nouæ collectionis *veterum monumentorum*, Rothomagi MDCC.

** ad calcem *notarum in Ennodium* et *tomo* I. *operum* p. 1911.

derunt cum ſeparatim; tum coniunctim, vel cum aliis auctorum ſuorum ſcriptis; vel in corporibus veterum poëtarum chriſtianorum, vti dicuntur, quæ diuerſo modo compoſita atque edita ſunt. Spectant huc:

ALDI MANVTII *chriſtiani poëtæ*, Venetiis MDII. 4. vbi iunctim locum obtinuerunt carmina Sedulii, Iuuenci, Aratoris, Lactantii, Cypriani, Damaſi. Præfatio ſcripta eſt ad Danielem Clarium, Parmenſem, in vrbe Rhacuſa bonas litteras publice profitentem. Prudentio nullus locus datus eſt. *

ANDREAE RIVINI collectio, cuius titulus eſt: COELII LACTANTII FIRMIANI, MEROBAVDIS, *Hiſpani ſcholaſtici, incerti, Conſtantini æuo auctoris*, RVSTICI ELPIDII *exquæſtoris, de chriſti ieſu beneficiis et laudibus eius aliquot chriſtianæ reliquiæ, vt et huiusdem Elpidii et Amœni enchiridion, vtriusque teſtamenti hiſtoriarum ſummam cum per triſticha; tum per tetraſticha complexum. Singula notis illuſtrata*, Lipſiæ MDCLII. 8.

GEORGII FABRICII *poëtarum veterum eccleſiaſticorum opera chriſtiana et operum reliquiæ atque fragmenta: theſaurus catholicæ et orthodoxæ eccleſiæ et antiquitatis religioſæ, ad vtilitatem iuuentutis ſcholaſticæ collectus, emendatus, digeſtus et commentario quoque expoſitus*, Baſileæ MDLXIV. 4. Qui prætermiſſi ſunt, eos enarrat IO. ALBERT. FABRICIVS ** atque inter hos refert: Commodianum, Paullinum Petricorium, Orientium, Ennodium atque alios. Temporis, quo in volumine hoc collecti ſcriptores vixerunt, nulla habita eſt ratio. Merito hoc vna cum quibusdam aliis reprehenditur. ***

MICHAEL. MAITTAIRII *opera et fragmenta veterum poëtarum latinorum*, Londini MDCCXIII. fol. duobus voluminibus, quæ eam ob cauſſam iam adduco, quoniam opus hoc non ſolum profanos; ſed etiam eccleſiaſticos poë-

 tas

* collectionem hanc recenſet FABRICIVS *bibliothec. latin. volum.* III. p. 293.

** *bibliothec. latin.* p. 712.

*** operis huius notitiam ſuppeditat FABRICIVS *bibliothec. latin.* p. 696.

tas complectitur, Tertullianum, Cyprianum, Iuuencum, Hilarium, Marium Victorinum, Ambrosium, Damasum, Prudentium, Sedulium, Alcimum Auitum atque alios. Memoratur etiam corpus poëtarum ecclesiasticorum latinorum, Basileae MDXLI. editum. Ad poëtas graecos spectant: *Poëtae graeci christiani, vna cum Homericis centonibus, ex sanctorum patrum operibus collecti et vtraque lingua seorsim editi*, Parisiis MDCIX. 8.

De ipsis poëtis his consuli possunt, qui generatim de poëtis graecis ac latinis commentati sunt, inque his: LILIVS GREGORIVS GYRALDVS in *dialogis de historia poëtarum tam graecorum, quam latinorum:* GER. IO. VOSSIVS *libris de veterum poëtarum temporibus, graecorum et latinorum:* OLAVS BORRICHIVS *dissertationibus academicis de poëtis*, Francofurti MDCLXXXIII. 4. Inprimis videantur, quae nonnulli auctores speciatim de poëtis christianis ac sacris scripta reliquerunt. In his sunt:

CHRISTIANVS DAVMIVS in *syllabo poëtarum christianorum veterum*, quem PAVLLINO PETRICORIO, ab ipso edito, praemisit: in *praefatione ad Hieronymi, theologi graeci, philoponiam:*

HENRIC. MVHLIVS dissertation. de *poëtis episcopis*, Kilonii MDCXCIX. in quibus locum obtinuerunt: Triphyllius, Apollinarius, Damasus, Gregorius Nazianzenus, Pontius Paullinus, Synesius, Hilarius Pictauiensis, Sedulius, Claudianus Mamertus, Alcimus Auitus, Orientius, Venantius Fortunatus:

ANDR. CHRISTIAN. ESCHENBACHIVS dissertatione de *poëtis christianis sacris, graecis et latinis*, Altorfii MDCLXXXV. *

§. VIII.

Nec inter patres ac scriptores veteris ecclesiae defuerunt, qui studia sua *historiae* consecrarent ac monimenta illius componerent. In primis operam posuerunt in historia ecclesiastica eamque non solum vniuerse enarrarunt; sed in singularibus quoque illius ar-

ac

* in eiusdem *dissertationib. academic.* p. 69.

gumentis versati sunt ac scripserunt de vitis martyrum ac sanctorum, de hæresibus, de conciliis similisque generis rebus. Delata quoque ad nos sunt ætatis huius scripta, quæ probant, nec historiam litterariam penitus neglectam fuisse.

Non omnia antiquiora historiæ ecclesiasticæ posterioris fœderis monimenta conseruata sunt. Quorumdam fragmenta tantum habemus horumque in numero sunt: HEGESIPPI ὑπομνήματα τῶν ἐκκλησιαστικῶν πράξεων, siue *commentariorum actorum ecclesiasticorum libri quinque*, quibus res, a christi morte vsque ad ætatem suam; siue ad seculum secundum in ciuitate christiana gestas, commemorauerat; perierunt autem isti, præter partes quasdam de martyrio Iacobi, fratris domini: de persequutione propinquorum seruatoris nostri: de Simeonis, Cleophæ filii, martyrio, ab EVSEBIO in *historia ecclesiastica* conseruatas. Præter hæc spectant huc: HESYCHII *historia ecclesiastica*, ex qua locus de Theodoro Mopsuesteno exstat: PHILONIS philosophi *historia ecclesiastica*, ex qua MICHAEL GLYCAS * nonnulla adfert: PHILIPPVS SIDETES, cuius *historiæ christianæ* insigne fragmentum de scholæ Alexandrinæ successione HENRIC. DODWELLVS ** edidit atque illustrauit; quum autem historiæ huius initium factum est ab orbe condito eaque ad ætatem auctoris; siue ad seculum quintum perducta, monimentis, quæ ad solam historiam ecclesiasticam noui testamenti pertinent, illa haud adnumeranda est. Aliorum scripta eiusdem historiæ græca penitus sunt deperdita, vti IOANNIS, presbyteri Aegeatis, *historia ecclesiastica*, a depositione Nestorii et Theodosii iunioris temporibus libris decem: BASILII Cilicis *historia ecclesiastica* libris tribus, de quibus itidem veteres testantur. Sed dimitto hos ac pergo ad eos, quorum monimenta historiæ ecclesiasticæ noui fœderis ab antiquitate nobis integra relicta fuerunt. Sunt illi vel *græci*; vel *latini*. In numero illorum; siue *græcorum*, exstant:

* *annal.* p. 282.

** ad calcem *dissertationum in Irenæum*, Oxoniæ MDCLXXXIX. 8.

EVSEBIVS Cæſareenſis, qui inter ſcriptores hos merito princeps eſt. Ad poſteros ille transmiſit *hiſtoriæ eccleſiaſticæ libros* X. iisque primus iuſtum volumen vniuerſæ hiſtoriæ huius compoſuit, ab initio chriſtianismi vsque ad Licinium, a Conſtantino magno ſuperatum atque exſtinctum pacemque eccleſiæ redditam. Enarrat diligenter rerum, in eccleſia geſtarum, ſeriem: apoſtolorum atque aliorum illuſtrium doctorum ſucceſſiones, doctrinam euangelicam, martyria, perſequutiones, hæreticorum prauas ſententias.

SOCRATES, qui *libros* VII. *hiſtoriæ eccleſiaſticæ* reliquit, ab anno chriſti CCCVI. vsque ad annum CCCCXXXIX. Is præ aliis ob iudicium ac diligentiam laudatur.

HERMIAS SOZOMENVS, qui ſcripſit *libros* IX. *hiſtoriæ eccleſiaſticæ* eosque auſpicatus eſt ab anno ſeruatoris CCCXXIII. et æque ac Socrates, vsque ad annum chriſti CCCCXXXIX. perduxit. Fidem eius nonnulli dubiam reddunt; alii autem candorem in illo laudant et ipſe certe veritatis ſtudium præ ſe fert.

THEODORETVS, cuius *libri* V. *hiſtoriæ eccleſiaſticæ* ad nos peruenerunt. Narrationis ſuæ initium fecit ab hæreſi Ariana atque ad mortem Theodori Mopſueſteni; ſiue ad annum chriſtianum CCCCXXVII. progreſſus eſt, ita vt quæ a Socrate ac Sozomeno omiſſa fuerant, ea ſuppleret.

PHILOSTORGIVS, cuius opus *hiſtoriæ eccleſiaſticæ*, ab anno chriſti CCC. vsque ad annum CCCCXXV. duodecim libris diſtinctum, iniuria temporum quidem periit; ſupereſt tamen illius epitome, a *Photio* excerpta et ab iis, quæ in eiusdem *bibliotheca* de opere hoc habentur, diuerſa. Auctoritas libri huius non magna eſt. Quamuis in eo tradantur, quæ lectione digna ſunt; Philoſtorgius tamen Arii, ſpeciatim Eunomianorum ſectæ addictus fuit horumque cauſſam ſtudioſe egit; nec vllam occaſionem prætermiſit, veræ doctrinæ defenſores pariter ac ſemiarianos perſtringendi.

EVAGRIVS *ſcholaſticus*, qui *libros* VI. *hiſtoriæ eccleſiaſticæ* reliquit. In illis incipit, vbi Socrates et Theodoretus deſierunt, a ſynodo videlicet Epheſina, in qua Neſtorius damna-

damnatus eſt; ſiue ab anno chriſtiano CCCCXXXI. ac progreditur ad annum DXCIV. Inter ea, quæ narrat, res habentur commentitiæ ac fabuloſæ.

THEODORVS *lector*, qui *compendium hiſtoriæ eccleſiaſticæ tripartitæ* ex libris Socratis, Sozomeni ac Theodoreti, a vigeſimo anno Conſtantini magni vsque ad obitum Conſtantii compoſuit; nondum autem id lucem vidit; ſed tantum manu exaratum in quibusdam bibliothecis adſeruatur. Scripſit et duos libros *hiſtoriæ eccleſiaſticæ* a temporibus, in quibus Socrates deſierat, ad principatum Iuſtini ſenioris, quorum excerpta; ſiue collectanea ſuperſunt, poſtquam Nicephorus Calliſtus iſta amanuenſi ſuo dictauit. Græce prodierunt cum Euſebii et aliorum hiſtoria eccleſiaſtica: græce ac latine itidem cum reliquorum ſcriptorum hiſtoriis.

Antiquiores hiſtoriæ eccleſiaſticæ auctores iique *latini* ſunt:

RVFINVS, cuius exſtat *hiſtoria eccleſiaſtica*, in libros XI. diuiſa. Nouem eorum priores complectuntur latinam interpretationem EVSEBII *hiſtoriæ eccleſiaſticæ*; in qua tamen componenda Rufinus tanta vſus eſt libertate, vt alia atque in his integrum fere decimum librum Euſebii omitteret: alia adderet atque interpolaret. Duo poſteriores ab ipſo Rufino ſcripti ſunt iisque hiſtoria vsque ad mortem Theodoſii ſenioris perducta eſt; ea autem ratione, vt multa narrentur, quæ incerta ſunt ac parum credibilia, atque oſtendant, Rufinum iudicio ac fide Euſebio inferiorem eſſe. Libri hi ſæpius in lucem prodierunt.

EPIPHANIVS *ſcholaſticus*, qui Socratis, Sozomeni ac Theodoreti hiſtorias eccleſiaſticas latine reddidit atque ex illis vnum hiſtoriæ volumen compoſuit, in XII. libros diuiſum. Redacti illi poſtea ſunt in epitomen; ſiue compendium ac nomen *hiſtoriæ tripartitæ* acceperunt.

CASSIODORVS, cui memorata *hiſtoria tripartita* locum fecit inter hos ſcriptores; qualem operam autem ad illam iſte adhibuerit, non plane exploratum eſt: nec quidquam pro certo adfirmari poteſt. Aliorum ſententia eſt, *hiſtoriam* hanc a Caſſiodoro ex ſcriptoribus tribus græcis, Socrate, Sozomeno ac Theodoreto, ab Epiphanio ſcholaſtico

ſtico latine verſis, collectam atque in compendium redactam fuiſſe. Alii non ſine probabilitate ſuſpicantur, non Caſſiodorum; ſed Epiphanium epitomen hanc feciſſe ac Caſſiodorum tantum ſuaſorem laboris ſuſcepti exſtitiſſe.

GREGORIVS *Turonenſis*, qui *hiſtoriæ eccleſiaſticæ Francorum* libros decem, ab antiquiſſimis temporibus vsque ad annum chriſti DXCII. reliquit. In illis Francorum quidem præcipue res eccleſiaſticæ commemorantur; antequam tamen auctor ad eas exponendas accedit, de iis quoque breuiter diſſerit, quæ ab orbe condito geſta ſunt. Sæpius in lucem exiit opus hoc, non ſolum ſeparatim; ſed etiam coniunctim cum aliis libris. Iam enarratis ſcriptoribus adiungi ſolet SVLPICIVS SEVERVS, cuius *libri duo hiſtoriæ ſacræ* ad nos translati ſunt. Conſignauit ibi litteris res gentis iſraeliticæ non ſolum ciuiles; ſed etiam ſacras ac partem hiſtoriæ eccleſiaſticæ noui teſtamenti adiunxit, ab orbe quidem condito vsque ad exitum ſeculi quarti poſt natum chriſtum. Non expers eſt *hiſtoria* hæc vitiorum.

Qui ſingularia argumenta hiſtoriæ eccleſiaſticæ percenſerent iisque lucem adferrent, itidem inter doctores ac ſcriptores hos antiquiores fuerunt. Operam ſuam poſuerunt in rebus *martyrum* enarrandis, quorum exiſtimatio ac veneratio quum inſignis eſſet apud veteres chriſtianos, hi ſedulo curarunt, vt memoria illorum perpetua eſſet et ad poſteros propagaretur. Id quod vt fieret, varia ratione, recordationem eorum conſeruandi, vſi ſunt atque inter alia in ſcriptis de rebus iſtorum componendis ſtudia ſua collocarunt. Inter græcos EVSEBIVS librum ſcripſit περὶ τῶν ἐν Παλαιστίνῃ μαρτυρησάντων, *de martyribus Palæſtinæ*, iis, qui in vexatione Diocletiani et Maximini ab anno chriſti CCCIII. ad annum CCCX. ſanguine ſuo de veritate doctrinæ chriſtianæ teſtati ſunt. Præter hunc, EVSEBIVM compoſuiſſe τῶν ἀρχαίων μαρτυρίων συναγωγὴν, *antiquorum martyriorum collectionem*, ipſe tradit. * At vero haud quidquam illius ſupereſſe videtur, niſi reliquias nonnullas, in vitis quibusdam patrum, menologiis Græcorum ſimilibus-

* *hiſtor. eccleſiaſtic. libr.* IV. *cap.* 15. p. 136. *libr.* V. *prooem.* p. 153. *cap.* 21. p. 189.

busque monimentis. Ex Latinorum ordine referendus huc eſt HIERONYMVS, cuius nomen vetuſtiſſimum martyrologium præ ſe fert, editum primum a LVCA DACHERIO: * deinde cum ampliſſimo commentario atque eruditis exercitationibus a FRANCISCO MARIA FLORENTINIO ſub titulo: *vetuſtius occidentalis eccleſiæ martyrologium, Hieronymo a Caſſiodoro, Beda, Walfrido, Notkero aliisque ſcriptoribus tributum*, ceter. Luccæ MDCLXVIII. fol. Illud ad Hieronymum, tamquam auctorem, referendum eſſe, alii adfirmant; alii autem, rationibus non contemnendis inſtructi, negant. ** Referri et huc poteſt libellus de *mortibus perſequutorum*, de cuius auctore diſputatur quidem; communis tamen ſententia eſt, eum eſſe Lactantium. Lucem ille præbet hiſtoriæ de perſequutionibus veterum chriſtianorum deque martyribus, vbi iſte inprimis cum doctorum variorum notis legatur, quas PAVLLVS BAVLDRI collegit ac cum libello hoc coniunctim edidit, Vltraiecti MDCXCII. 8. Nec aliena plane eſt a loco hoc VICTORIS *Vitenſis hiſtoria perſequutionis Vandalicæ*, cum commentario hiſtorico de perſequutionis huius ortu, progreſſu et fine, ſtudio THEODORICI RVINARTI edita, Venetiis MDCCXXXII. 4. Vſi ſunt præterea veteres et aliis modis, memoriam martyrum conſeruandi. Litteris mandarunt eorum *acta* ac propagarunt ad poſteritatem, vti exſtant: *epiſtola eccleſiæ Smyrnenſis de martyrio ſancti Polycarpi epiſcopi: epiſtola eccleſiarum Viennenſis et Lugdunenſis de martyrio ſancti Pothini epiſcopi et aliorum plurimorum: epiſtola Dionyſii Alexandrini epiſcopi ad Fabium Antiochenum epiſcopum de martyrio Metræ, Apolloniæ et aliorum plurimorum martyrum Alexandrinorum*; item: *vita et paſſio Cypriani, epiſcopi Carthaginenſis et martyris*, ſcripta a Pontio, eius diacono: *paſſio ſanctorum Mauricii ac ſociorum eius martyrum*,

* *ſpicileg. tom.* IV. p. 617. edition. Pariſiens. MDCLXI. 4. *tomo* II. autem p. I. edition. Pariſ. MDCCXXIII. fol.

** ita ſentiunt: VALESIVS *diſſertation. de martyrologio romano, quod edidit Rosweidus*, addita EVSEBII *hiſtoriæ eccleſiaſticæ* p. 792. edition. Cantabrig. MDCCXX. fol. et DACHERIVS in *monito*, quod martyrologio huic *dicto loco* præmiſit.

tyrum, auctore EVCHERIO, episcopo Lugdunensi: *passio sancti Theodori Ancyrani et septem virginum martyrum.* Alii *carmina* conscripserunt ac martyrum memoriae consecrarunt, in quibus princeps est *Prudentius.* Hymni eius de variis martyribus eorumque cruciatibus ad nos delati sunt, de *martyrio*, nominatim Emeterii et Chelidonii, Calagurritanorum martyrum: Laurentii, Eulaliae, decem et octo martyrum Caesaraugustanorum, Vincentii: in honorem porro martyrum Fructuosi: episcopi Tarraconensis, et Augurii et Eulogii diaconorum: Quirini, episcopi ecclesiae Siscianae: Cassiani Forocorneliensis: sancti Romani: Hippolyti, presbyteri romani: apostolorum Petri et Paulli: Cypriani, episcopi Carthaginiensis, Agnetis, virginis. Sunt hymni hi in PRVDENTII *libro* περὶ ςεφάνων, *de coronis*, nimirum martyrum. Addi potest ASTERII, Amasiae episcopi, *enarratio in martyrium praeclarissimae martyris Euphemiae.* Ad eorumdem martyrum memoriam retinendam et recitatae sunt *orationes* ac conseruatae. In BASILII *magni operibus* exstant homiliae, in martyrum honorem habitae, in martyrem nimirum Iulittam: in Barlaamum martyrem: in Gordium martyrem: in quadraginta sanctos martyres: in Mamantem martyrem. Sermones eiusdem generis reliquit GREGORIVS *Nyssenus*, in sanctos XL. martyres Sebastenos, quos duabus homiliis laudibus effert et in magnum martyrem Theodorum, militum praefectum sub Maximino, ac praeter hunc, GREGORIVS *Nazianzenus* memorandus est ob duas orationes, quae ab ipso conscriptae sunt et ad nos peruenerunt: alteram *in laudem sancti Cypriani martyris:* alteram in *laudem martyrum* et *aduersus Arianos.* In primis a CHRYSOSTOMO multae orationes martyribus ac memoriae illorum dicatae atque ad nos delatae sunt. Exstant sermones eius de sanctis Iuuentino et Maximo: de sancto Romano martyre orationes duae: de sancto Luciano martyre: de sancto Iuliano martyre, quae oratio Antiochiae habita est: de sancto Babyla martyre, sermo itidem Antiochiae recitatus: encomium martyrum Aegyptiorum: de sancto Phoca martyre: de sancta Thecla virgine et protomartyre: de sancto Barlaam martyre: de sanctis martyri-

bus totius orbis. Præclara hæc monimenta luculenter teſtantur de ſtudio, quod patres eccleſiæ in eo poſuerunt, vt notitiam de rebus martyrum ad poſteritatem transferrent. Præcipua eorum collegit ac coniunctim vulgauit THEODORICVS RVINARTVS in *actis primorum martyrum ſinceris et ſelectis, ex libris cum editis; tum manuſcriptis collectis, erutis; vel emendatis notisque et obſeruationibus illuſtratis.* Opus hoc primum in lucem exiit Pariſiis MDCLXXXIX. 4.* deinde ab ipſo auctore emendatum atque auctum Amſtelodami MDCCXIII. fol.** ad quam editionem curam adhibuit PETRVS POIRETVS,*** ac Veronæ MDCCXXXI. fol.* Gallice id prodiit ſub titulo: *les veritables actes des martyrs, recueilles, reuus et corrigez ſur pluſieurs anciens manuſcrits,* interprete DROVET DE MAVPERTVY, Pariſiis MDCCVIII. 8. duobus tomis. **

Veteres chriſtiani eorumque doctores non ſolum martyrum; ſed etiam aliorum *ſanctorum hominum* vitis rebusque deſcribendis operam dederunt; vel curarunt, vt quæ alii litteris mandauerant, ea colligerent et in volumina redigerent. Ad huiusmodi vitas enarrandas inter eccleſiæ patres ſtudia contulerunt: ATHANASIVS, BASILIVS *magnus*, HIERONYMVS, THEODORETVS atque alii. Exſtant ſatisque notæ ſunt *vitæ patrum*, quas nonnulli HIERONYMO; quidam EVAGRIO Antiocheno; vel EVAGRIO Pontico tribuunt; attamen ſine argumentis, ad probandum idoneis, resque ipſa ita comparata eſt, vt haud quidquam pro

* *hiſtoire des ouurag. des ſauans* MDCXC. *octobr.* p. 47. *actor. erudítor. ſupplement. tom.* I. p. 593.

** *iournal des ſauans* MDCCXIV. *febr.* p. 123. *actor. eruditor. ſupplement. tom.* VI. p. 157.

*** quid Poiretus in editione hac præſtiterit, ex *addendis ad commentariolum de vita et ſcriptis Poireti*, quæ in fine *præfationis generalis*, eius *poſthumis*, Amſtelodami MDCCXXI. 4. præmiſſæ, exſtant, videndum eſt.

* *nouor. actor. ſupplement. tom.* II. p. 337. *ſammlung von alten vnd neuen theolog. ſachen*, 1733. p. III.

** *memoires de Treuoux* MDCCVIII. *iun.* p. 934. *iournal des ſauans* MDCCVIII. *april.* p. III. *vnſchuldige nachrichten*, 1708. p. 502. *noua litteraria hamburgenſ.* MDCCVIII. p. 444.

pro certo adfirmari possit. Id constat, vitas has semper in honore atque existimatione fuisse hancque ob rem sæpe litterarum formis expressas, in alias linguas translatas, emendatas ac locupletatas esse. Referri et huc potest PALLADII *historia Lausiaca*; *seu de sanctorum patrum vitis ad Lausum, cubiculi præfectum*, hanc ob rem *Lausiaca* dicta, vna cum variorum vitis singularibus interque hos sancti *Martini*, de cuius vita SVLPICIVS SEVERVS librum reliquit ac quam PAVLLINVS PETRICORIVS, omissis quibusdam, ligata oratione; minus autem eleganter expressit.

Plures eiusmodi vitas omitto ac memoro patres scriptoresque ecclesiæ, qui operam speciatim in eo posuerunt, vt *historiam litterariam* explanarent. In illis maxime celebris est HIERONYMVS libro de *viris illustribus*, qui sæpe prodiit atque a viris doctissimis illustratus est. Exemplum eius sequuti sunt alii antiquiore ætate, GENNADIVS *Massiliensis*, ISIDORVS *Hispalensis*, quorum aliorumque scripta coniunctim edidit IO. ALBERTVS FABRICIVS in *bibliotheca ecclesiastica*, opere, supra a me commemorato. Adiungi possunt vitæ patrum ecclesiæ, a veteribus scriptoribus compositæ. Græcorum doctorum vitæ ac res ab antiquioribus diligenter descriptæ sunt. Exstant: GREGORII *thaumaturgi* in *Origenem prosphonetica et panegyrica oratio*: EVSEBII ac PAMPHILI martyris *apologia pro Origene*: RVFINI scriptum de *deprauatione librorum præcipue Origenis*: GREGORII *Nysseni oratio de vita sancti Gregorii thaumaturgi*: GREGORII *Nazianzeni oratio de laudibus Athanasii*: GREGORII *Nysseni vita atque encomium sancti patris, Ephræmi Syri*: GREGORII *Nazianzeni oratio* XX. *quæ dicta est in Basilii funere*: eiusdem *epigrammata in Basilium, cum anonymi græca prosaria expositione*: GREGORII *Nysseni oratio funebris, qua fratris sui Basilii magni laudes et memoriam concelebrat*: EPHRAEMI *Syri encomium in sanctum ac magnum Basilium*: *vita et miracula sancti Basilii*, cui commentationi locus inter AMPHILOCHII scripta adsignatus est: GREGORII *presbyteri vita sancti patris nostri Gregorii, theologi, episcopi Nazianzi.* Antiquitati itidem orationes atque alia scripra debemus, quæ Chrysostomi memoriæ consecrata sunt resque eius illustrant.

Lo-

Locum in illis tenent: PALLADII de *vita ſancti Ioannis Chryſoſtomi dialogus:* PROCLI *Conſtantinopolitani homilia in ſanctum Chryſoſtomum; ſiue laudatio eius:* GEORGII *Alexandrini vita ſancti Ioannis Chryſoſtomi.* De reliquis taceo. Generis huius monimenta et de latinis patribus habemus horumque vt quædam adducamus, exſtant: PONTII *vita et paſſio Cypriani:* GREGORII *Nazianzeni oratio in laudem ſancti Cypriani martyris:* AVGVSTINI *ſermones in natali Cypriani martyris.* De Ambroſio prodiit PAVLLINI, diuerſi a Nolano, *vita ſancti Ambroſii, Mediolanenſis epiſcopi:* de Hieronymo *vita Hieronymi,* quæ ad GENNADIVM, tamquam auctorem, referri ſolet: *tres epiſtolæ,* ad Hieronymum resque eius ſpectantes: prima ſub nomine EVSEBII de morte Hieronymi ad Damaſum: ſecunda ſub AVGVSTINI nomine, ad Cyrillum, epiſcopum Hieroſolymitanum, de magnificentiis beati Hieronymi, ac tertia, CYRILLO *Hieroſolymitano* adtributa, ad Auguſtinum de miraculis Hieronymi, quæ epiſtolæ exiguam fidem præ ſe habent. De Auguſtino legantur: ipſius AVGVSTINI libri cum *confeſſionum;* tum *retractationum,* quibus hiſtoriam ſcriptorum ſuorum illuſtrauit: POSSIDII *vita* atque *indiculus ſcriptorum Auguſtini.*

Cuncta hæc ſatis oſtendunt, antiquorum chriſtianorum doctores ac ſcriptores in hiſtoriarum ſtudiis diligenter verſatos eſſe. Idem et probant, quæ iſti de *hæreticis,* eorum erroribus, defenſoribus atque aduerſariis narrarunt. Spectant huc:

Capita illa *poſtrema* TERTVLLIANI libri de *præſcriptione hæreticorum,* quibus quinque ac viginti hæreſes enumerantur. Eorum auctorem eſſe Tertullianum, doctiſſimi viri negant; nec quum ita ſentiunt, a veritate aberrare videntur.

PHILASTRIVS libro de *hæreſibus,* qui non magnæ eſt auctoritatis. Refert Philaſtrius dogmata inter hæreſes, quæ vel non falſa ſunt; vel erroribus pernicioſis ac hæreticorum propriis haud adnumeranda.

EPIPHANIVS, qui opus compoſuit de *hæreſibus* atque inſcripſit illud πανάριον, ſiue *capſulam medicam,* quoniam non ſolum hæreticorum ſententias recenſuit; verum etiam

confutauit et vt ipse vocem hanc interpretatus est, saluberrima remedia aduersus illorum venena commendauit. Ita praebet se cum historicum; tum disputatorem. Adcusatur non sine caussa nimiae credulitatis et per hanc fides eius exigua est.

AVGVSTINVS libro de *haeresibus ad Quod vult deum*, quo LXXXVIII. haereses a Simonianis vsque ad Pelagianos enarrantur. Adiungi illi solent, tamquam adpendix, haereses praedestinatiana, Nestoriana, Eutychiana et Timotheana, quae GENNADIO *Massiliensi* tribuuntur atque ex libris eius octo aduersus *omnes haereses* tantum superesse creduntur; attamen in quibusdam editionibus haeresis praedestinatiana omittitur.

AVCTOR *praedestinati*, quod opus tribus libris constat. Eorum *primo* nonaginta haereses a Simone mago vsque ad praedestinatos recensentur: *secundo* liber sub Augustini nomine confictus, exhibetur, quo sententia praedestinatianorum, dei praedestinatione peccata committi, defenditur ac *tertius* complectitur confutationem sententiae huius. De auctore *praedestinati* huius coniecturae doctissimorum virorum variae sunt; nec licet, certi quid statuere. Iam memoratis scriptoribus adnumerari solent: IRENAEVS ac THEODORETVS, quum ille libros quinque *aduersus haereses* hicque itidem libros quinque *haereticarum fabularum* reliquerit; omitto autem eos, quoniam non tam in historicis; quam polemicis scriptoribus numerandi sunt. Praetereo quoque *indiculum de haeresibus*, qui sub HIERONYMI nomine prodiit. Hieronymum enim auctorem illius haud esse, supra omnem dubitationem positum est.

Sunt alia scripta, quae de patrum sacri ordinis eruditione ac diligentia historica testantur. In illis locum non inferiorem tuentur EVSEBII monimenta. Primus inter veteres geographiae biblicae lucem adtulit, quum librum *περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ*, *de nominibus locorum et vrbium in sacra scriptura*, composuit eoque recensuit nomina dictorum locorum ordine litterarum: eorumdem situm ac quomodo aetate eius adpellarentur, explicuit. Non expers est vitiorum opus hoc. Alia omissa: alia, quum Eusebius linguae ebraeae ignarus esset ac versio-

nem

nem ſeptuaginta interpretum ſequeretur, vitioſe poſita ſunt. Monimentum hoc HIERONYMVS in ſermonem latinum transtulit; ita tamen, vt multa detraheret, adderet, mutaret. Idem EVSEBIVS *chronicon* reliquit, cuius duæ ſunt partes. In prima illarum, cuius inſcriptio eſt: χρονικοὶ κανόνες παντοδαπῆς ἱστορίας, hodie valde mutila, omnium pene gentium, Chaldæorum, Aſſyriorum, Medarum, Perſarum, Ebræorum, Aegyptiorum aliorumque origines et res maxime memorabiles ab orbe condito proſequutus eſt; in ſecunda autem, quæ κανὼν χρονικὸς adpellatur, cuncta ad temporum ordinem diſpoſuit atque initium ab epocha Abrahami fecit. Vtramque ad annum chriſti CCCXXV. perduxit. HIERONYMVS *chronicon* hoc reddidit latine; ea tamen vſus libertate, vt alia omitteret: alia adderet; præterea autem opus ipſum ad annum chriſti CCCLXXVIII. continuauit. Monſtrat opus hoc, patres non ſolum ſacræ atque eccleſiaſticæ; ſed ciuilis quoque hiſtoriæ peritos fuiſſe, ad quam notitiam probandam et alia monimenta, tamquam teſtes, aduocari poſſunt. Patet hoc quodam modo ex iam dicti EVSEBII libris de *vita Conſtantini*, in qua componenda ea tamen vſus eſt ſcribendi ratione, vt ſe magis oratorem; quam hiſtoricum interdum præberet. Addo PALLADIVM ob librum de *gentibus Indiæ et Brachmanibus*, qui ipſi tribuitur; alii autem, ſi non diſerte negant; dubitant tamen, eum libelli huius auctorem eſſe.

§. IX.

Vocabulum *hiſtoriæ* ſi late ſumatur, *antiquitates* quoque illa complectitur, veterum quippe ritus, receptas agendi rationes moresque varii diuerſique generis, ſiue illæ ſint ſacræ; ſiue ciuiles ac politicæ; ſiue domeſticæ, ſpeciatim militares, litterariæ aliæque. Antiquitatum huiusmodi minus rudes fuiſſe veteres eccleſiæ patres ac doctores, ſcripta illorum monſtrant.

Diligenter antiquorum chriſtianorum doctores in monimentis ſcriptorum ſuperſtitioſorum legendis verſati ſunt atque ex illis præter alias litterarum diſciplinas notitiam quoque antiquitatum profanarum hauſerunt. Quum acer-

rimus christiani nominis hostis Iulianus animaduerteret ac probe intelligeret, christi sectatores, litteris addictos, ex libris paganorum auctorum acquirere sibi eruditionem atque adiumenta sumere, cum antiquitatem ac veritatem sanctissimae religionis; tum nouitatem vanitatemque gentilis doctrinae monstrandi, nullam acerbiorem putauit fore vexationem; neque expeditiorem viam ad sacra vera euertenda, quam si a litterarum studiis atque a lectione profanorum auctorum christiani arcerentur. Quod promulgauit, edictum memorat RVFINVS his verbis: *Iulianus studia auctorum gentilium christianos adire prohibens, ludos litterarum illis solis, qui deos deasque venerarentur, patere decernit.* * Adsentitur SOCRATES dicitque: *lege cauebat, ne christiani litteris instituerentur,* ** ac SOZOMENVS: *neque vt pueri christianorum in poetis ac reliquis commentatoribus ethnicis instituerentur; nec vt ad praeceptores horum accederent, concessit,* *** quod et THEODORETVS, * AMMIANVS MARCELLINVS ** ac plures tradunt. *** Iulianus tamen ad metam haud peruenire potuit. Floruerunt litterarum studia christianique auctores ea quoque scripta reliquerunt, quae ad antiquitates referri debent cum ad sacras atque ecclesiasticas; tum ad profanas, quarum illae ex ipsis patrum libris; hae autem ex monimentis superstitiosorum auctorum intelligendae sunt. Inter veteres christianae ecclesiae doctores lucem hac in re inprimis praeferunt scriptores apologetici; siue illi, qui antiquiores christianos eorumque dogmata a calumniis atque iniuriis hostium defenderunt. In illis iisque graecis locum obtinent: IVSTINVS *martyr* duabus *apologiis, adhortatione ad Graecos, dialogo cum Tryphone iudaeo* aliisque scriptis: TATIANVS in *oratione ad Graecos:* ATHENAGORAS in *apologia;* siue *legatione pro chri-*

* *libr.* I. *histor. ecclesiastic. cap.* 32.
** *libr.* III. *histor. ecclesiastic. cap.* 12.
*** *libr.* V. *histor. ecclesiastic. cap.* 18.
* *libr.* III. *histor. ecclesiastic. cap.* 8.
** *libr.* XXV. p. 503.
*** praeter alios, vide: LVDWIGII dissertationem de *edicto Iuliani contra philosophos christianos,* Halae MDCCII.

christianis: THEOPHILVS *Antiochenus* libris tribus *ad Autolycum:* HERMIAS in *irrisione gentilium:* CLEMENS *Alexandrinus*, cuius προτρεπτικὸς λόγος huc ſpectat: ORIGENES libris *contra Celſum.* Ex latinorum ordine accedunt: TERTVLLIANVS in *apologetico aduerſus gentes:* libris *ad nationes, ad Scapulam, aduerſus Marcionem:* MINVCIVS FELIX in *Octauio:* CYPRIANVS libris *ad Demetrianum, ad Quirinum aduerſus iudaeos*, de *idolorum vanitate* atque aliis: ARNOBIVS *aduerſus gentes:* LACTANTIVS libris *inſtitutionum diuinarum:* IVLIVS FIRMICVS libello de *errore profanarum religionum.* Plura de ſcriptis his infra diſſerendi, habebo occaſionem. Non mediocrem vtilitatem illa adferre ad antiquitates eccleſiaſticas enarrandas; immo has ſine iſtis non ſemper adcurate explanari poſſe, quisque, rei peritus, fatebitur. Monſtrat hoc: *compendium antiquitatum eccleſiaſticarum, ex ſcriptoribus apologeticis eorumdemque commentatoribus compoſitum*, quod cura mea in lucem prodiit, Lipſiae MDCCXXXIII. 8. Non ſolum tamen ex ſolis libris apologeticis notitia harum antiquitatum haurienda eſt; ſed etiam alii patrum eccleſiae libri ſunt, qui itidem viam ad veteres ritus cognoſcendos parant. Quorum nonnulla exempla vt adferamus, adduci poſſunt: TERTVLLIANI libri de *corona militis:* de *pallio:* de *velandis virginibus;* item THEODORETI atque aliorum ſcripta.

Paganorum ſcriptorum monimenta lecta fuiſſe litterarum cauſſa, ab hominibus chriſtianae profeſſionis, a me dictum eſt. Addo nunc, patres non omnes idem ſenſiſſe de profanorum librorum lectione. Nonnulli probant, defendunt, commendant illam, TERTVLLIANVS,* ORIGENES,** GREGORIVS *Nazianzenus*,*** HIERONYMVS * ac multi alii. Fuerunt, qui his repugnarent ac putarent, chriſtianis a lectione librorum gentilium abſtinendum eſſe. In *conſtitutionibus apoſtolicis* diſerte ſanci-

X 3 tum

* de *idololatria cap.* X.

** *philocal. cap.* XIII. adde EVSEBIVM *libr.* VI. *hiſtor. eccleſiaſtic. cap.* 18. 19.

*** *oration.* XX.

* *epiſtola* LXXXIV. *ad Magnum oratorem.*

tum legimus: *ab omnibus gentilium libris abstine. Quid enim tibi cum alienis sermonibus, vel legibus, vel falsis prophetis, quae quidem et homines leues auertunt a fide? Quid etenim tibi deest in lege dei, vt ad illas gentium fabulas adpellas animum?* * ad quam sententiam itidem nonnulli veteris ecclesiae doctores accesserunt eamdemque probarunt. Exstiterunt etiam, qui in mediam viam ingressi statuerent, profanos auctores legendos esse, ea ratione, vt debita cautio adhibeatur nosque quae ibi bona sunt atque vtilia, amplectamur; quae autem mala ac noxia, deuitemus. Ita recte sentit CLEMENS *Alexandrinus.* ** Plura hac de re disserunt ex veteribus:

BASILIVS *magnus* dissertatione πρὸς τοὺς νέους, ὅπως ἂν ἐξ ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων, *ad adolescentes de gentilium libris, cum fructu legendis*, quae saepius cum latina interpretatione, variis lectionibus notisque, vel separatim; vel coniunctim cum quibusdam aliis opusculis edita est, atque inter reliquos, a HVGONE GROTIO, Parisiis MDCXXIII. 4. IOANNE POTTERO, Oxoniae MDCXCIV. 8. IO. HENRICO MAIO filio, Francofurti MDCCXIV. 4.

AVGVSTINVS, qui opere de *doctrina christiana* *** multa hac de re recte atque egregie monet. Ex recentioribus adiungi possunt:

CHRISTIANVS KORTHOLTVS in *pagano obtrectatore*, * vbi plura patrum loca adfert:

IO. BAPTIST. COTELERIVS *notis ad constitutiones apostolicas*, ** quo loco patrum sententiae atque effata de profanorum auctorum libris legendis deque ab iis exspectanda vtilitate diligenter enarrantur:

IO. FRANCISCVS BVDDEVS, qui *exercitationem iuris naturalis de cultura ingenii* scripsit eaque idem argumentum copiose explanauit. ***

§. X.

* *libr.* I. *cap.* 6.
** *libr.* I. *stromat* p. 377. *libr.* V. *stromat.* p. 733. *edition.* POTTERI.
*** *libro* II. *cap.* 40.
* *libr.* I. *cap.* II. p. 171.
** *libr.* I. *cap.* 6. *patr. apostolicor. volum.* I. p. 206.
*** *cap.* III. §. 8 Publice defensa est *exercitatio* haec Halae MDCXCIX. ac postea locum obtinuit in eiusdem *selectis iuris naturae et gentium* p. 293.

§. X.

De *philoſophia* patrum eccleſiæ ſi quæramus, ſtudia eorum erga iſtam diuerſa fuerunt, quum alii iſtam reiicerent ac vituperarent; alii autem laudarent atque adprobarent. Philoſophandi ratio, quam ſequebantur, non tam ſectaria; quam eclectica erat, vti dicitur. Quamuis enim Platonis philoſophia apud multos in non mediocri honore eſſet; non omnes tamen ſectabantur Platonem; nec qui ei addicti erant, ab aliorum philoſophorum dogmatibus ac ſententiis plane abhorrebant.

Inter eccleſiæ patres, philoſophiæ vituperatores, primus locus TERTVLLIANO tribuitur. Habentur apud eum, quæ acerbe in philoſophiam dicta ſunt, notusque præcipue eſt locus, quo hæreſes inter alia et hanc ob cauſſam reiicit, quod ſint fructus ac fetus ſecularis ſapientiæ ac humanæ philoſophiæ: hæreſes ſunt *doctrinæ*, inquit, *hominum et dæmoniorum, prurientibus auribus natæ de ingenio ſapientiæ ſecularis, quam dominus ſtultitiam vocans, ſtulta mundi in confuſionem etiam philoſophiæ ipſius elegit. Ea eſt enim materia ſapientiæ ſecularis, temeraria interpres diuinæ naturæ et diſpoſitionis. Ipſæ denique hæreſes a philoſophia ſubornantur. Inde aeones, et formæ neſcio quæ, et trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis deus melior de tranquillitate: a Stoicis venerat. Et vt anima interire dicatur, ab Epicureis obſeruatur. Et vt carnis reſtitutio negetur, de vna omnium philoſophorum ſchola ſumitur. Et vbi materia cum deo æquatur, Zenonis diſciplina eſt. Et vbi aliquid de igneo deo allegatur, Heraclitus interuenit. Eadem materia apud hæreticos et philoſophos volutatur, iidem retractatus implicantur. Vnde malum, et quare? et vnde homo et quomodo? et quod proxime Valentinus propoſuit, vnde deus? Scilicet de enthymeſi, et ectromate. Miſerum Ariſtotelem! qui illis dialecticam inſtituit, artificem ſtruendi et deſtruendi, verſipellem in ſententiis, coactam in coniecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, moleſtam etiam ſibi ipſi, omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit. Hinc illæ fabulæ et genealogiæ interminabiles, et quæſtiones infructuoſæ,*

et sermones serpentes velut cancer, a quibus nos apostolus refrenans, nominatim philosophiam contestatur caueri oportere, scribens ad Colossenses: videte, ne quis vos circumueniat per philosophiam. * Alio loco ** adpellat philosophos *haereticorum patriarchas*, ac plura generis huius effata apud eum sunt, quibus se de philosophia haud benigne sentire, significat. *** Non consensio est inter eruditos viros de mente Tertulliani, quidnam ille per philosophiam intellexerit: num philosophiam ipsam, in se spectatam; an illam tantum, quae philosophorum vitiis corrupta ac contaminata sit, reprehenderit. Alii illud; alii hoc adfirmant; aut suspicantur ac quamuis sententiam eius certe adsequi haud liceat; probabilius tamen esse existimo, quum Tertullianus memorata dicta conceperit atque expresserit, illum cogitasse de verbis Paulli: *videte, ne quis sit, qui vos philosophia fallaciaque vana praedetur, Colossens.* II, 8. nec a vera apostoli sententia discessisse; prauam autem philosophandi rationem a Paullo indicari, ex adiecta κενῇ ἀπάτῃ satis adparet. Tertulliano alii tamquam hostes philosophiae adiunguntur: HERMIAS ob διασυρμὸν τῶν ἔξω φιλοσόφων, *irrisionem gentilium philosophorum:* TATIANVS ob *orationem ad Graecos*, qua etiam Graecorum philosophiam prorsus contemnit atque explodit: etiam HIERONYMVS, quippe qui TERTVLLIANI dictum: *philosophi haereticorum patriarchae* haud obscure adprobauerit, quando scribat: * *pulcre quidam nostrorum ait: philosophi patriarchae haereticorum, ecclesiae puritatem peruersa maculauere doctrina.*

Fuerunt tamen inter veteres hos doctores, qui de philosophia aliter sentirent illamque non reiicerent; sed laudarent ac commendarent. Quae haec comprobant, testimonia in eorum monimentis conseruata sunt. IVSTINVS *martyr* his laudibus eam ornat: ἔστι γὰρ τῷ ὄντι φιλοσοφία

* de *praescriptione haereticorum cap.* VII. p. 232.
** *aduersus Hermogenem cap.* VIII. p. 269.
*** PAMELIVS exhibet illa coniunctim *adnotationib. ad Tertullian. libr. de praescript. haeretic. cap.* VII. p. 285
* *epistol.* XLIII. *ad Ctesiphontem, tom.* IV. *oper. part.* 2. p. 474 edition. MARTIANAEI.

φία μέγιςον κτῆμα, καὶ τιμιώτατον θεῷ, ὥτε προσάγει καὶ συνίςησιν ἡμᾶς μόνη. καὶ ὅσιοι ὡς ἀληθῶς ἦτοί εἰσιν, οἱ φιλοσοφία τὸν νῦν προσεσχηκότες, *est namque reuera philoſophia maximum bonum et deo gratiſſimum, quippe quæ ſola nos ad illum adducat eique commendet. Atque ii demum vere ſunt felices, qui mentem philoſophia excolunt.* * Inprimis CLEMENS *Alexandrinus* ſtudium in eo poſuit, vt philoſophiam commendaret. Inter alia, hoc effatum ſcriptum reliquit: φιλοσοφητέον ἦν καὶ ταῖς γυναιξὶν, ἐμφερῶς τοῖς ἀνδράσι, κἂν βελτίους οἱ ἄρρενες, τὰ πρῶτα ἐν πᾶσι φερόμενοι τυγχάνωσιν, ἐκτὸς εἰ μὴ καταμαλακισθεῖεν, *eſt ergo philoſophandum mulieribus ſimiliter ac viris, etiamſi præſtantiores maſculi primas in omnibus partes ferant, niſi euaſerint molles et effeminati.* ** Laudat deinde verba EPICVRI, ad Menoeceum ſcribentis, latine tantum adferenda. Sunt iſta: *nec ſi ſit aliquis iuuenis, differat philoſophari; neque ſi ſit ſenex, defatigetur philoſophando; nam nec eſt aliquis immaturus; neque nimis prouectæ et exhauſtæ ætatis, ad adipiſcendam animi ſanitatem. Qui autem dicit, nondum eſſe; vel præteriiſſe tempus philoſophandi, ſimilis eſt ei, qui dicit, ad beatitudinem vel nondum adeſſe tempus; vel tempus prætèriiſſe. Quare et iuniori philoſophandum eſt et ſeni; huic quidem, vt ſeneſcens iuueneſcat bonis, per gratiam eorum, quæ facta fuerint; illi autem, vt ſit ſimul iuuenis, et ſenex per futurorum metus vacuitatem.* *** Alia ſimilia dicta apud eumdem CLEMENTEM habentur, quorum nonnulla ita pronuntiauit, vt videatur, plus, quam decet, philoſophiæ tribuiſſe et vna cum quibusdam aliis philoſophiam pro religione reuelata, ſpeciatim chriſtiana, ſumſiſſe. * Quæcumque rei huius ſit ratio, id ſatis patet, patres hos nec perſpicue; nec diſtincte explicare, quid per philoſophiam

 intel-

* *dialogo cum Tryphone iudæo* p. 218.
** *libr.* IV. *ſtromat.* p. 592. edition. POTTERI.
*** *dicto loco.* p. 595.
* vocabulum *philoſophiæ* etiam de religione chriſtiana vſurpatum fuiſſe, conſtat. Legantur: KORTHOLTVS de *philoſophia barbarica:* IONSIVS de *ſcriptoribus hiſtor. philoſophic.* p. 227. SVICERVS *theſaur. eccleſiaſtic. tom.* II. p. 1437. SALMASIVS ad *Tertullianum* de *pallio* p. 66.

intelligant. Praeter iam memoratos, alii animos erga philosophiam benigniores declararunt. AVGVSTINVS dicit:* *doctrinae omnes gentilium non solum simulata et superstitiosa figmenta grauesque sarcinas superuacanei laboris habent, quae vnusquisque nostrum duce christo de societate gentilium exiens debet abominari et vitare; sed etiam liberales disciplinas vsu veritatis aptiores, et quaedam morum praecepta vtilissima continent; deque ipso vno deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos, quod eorum tamquam aurum et argentum, quod non ipsi instituerunt; sed de quibusdam quasi metallis diuinae prouidentiae, quae vbique infusa est, eruerunt, et quo peruerse et iniuriose ad obsequia daemonum abutuntur, cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre christianus ad vsum iustum praedicandi euangelii.* MINVCIVS FELIX scribit: ** *exposui opiniones omnium ferme philosophorum, quibus illustrior gloria est, deum vnum multis licet designasse nominibus: vt quiuis arbitretur, aut nunc christianos philosophos esse, aut philosophos fuisse iam tunc christianos.*

Ad philosophandi modum, quem patres ecclesiastici sequuti sunt, animum aduertere si velimus, plerique in ea versantur sententia, illos Platonem adsectatos esse. Nec plane hoc negari potest. Multis sane, si non plerisque, Platonis philosophia se commendauit. Certe id constat de Iustino martyre, Clemente Alexandrino, Origene, Augustino atque aliis. Immo nonnulli horum adseclarum tanto studio Platonem prosequuti sunt, vt dicerent, *omnes domini nostri iesu christi sententias, quas mirari et praedicare cogebantur, de Platonis libris eum didicisse*, vt AVGVSTINVS loquitur, illosque simul confutat. *** Caussa, cur patres Platoni eiusque honori fauerent, in eo posita erat, quod sibi persuadebant, Platonem ea tradere, quae cum Mosis pariter ac christianae religionis scitis consentirent. Immo quum putarent, Platonem ea, quae christianorum religioni consentanea docuerit, lumine naturae ac rationis haud cognoscere potuisse, in sententiam ingressi sunt, Platonem

* de *ciu. dei libr.* II. *cap.* 40.
** in *Octau. cap.* XX. p. 183.
*** *libr.* II. *de doctrina christian. cap.* 28.

tonem ab Ebræis ſua accepiſſe; aut omnino Moſis libros legiſſe. Qui ita ſtatuunt, aberrant a veritate; nec hi ſolum; ſed illi quoque, qui theologiæ myſticæ eiusque corruptæ originem ex philoſophia patrum Platonica deriuant. Quamuis enim haud negandum ſit, ſententias quasdam ac loquendi formulas, ex ſchola Platonis a patribus acceptas; nec caute vſurpatas, corruptioni theologiæ myſticæ occaſionem præbuiſſe; ipſa tamen prauitas dictæ theologiæ iſtis haud tribuenda eſt.

Omnia hæc, quæ nunc dicta ſunt, inprimis de patrum amore erga Platonem eiusque philoſophiam, nondum probant, eccleſiaſticos patres in philoſophis ſectariis, non eclecticis, quemadmodum adpellantur, numerandos eſſe. Suppetunt potius rationes, ob quas doctores illi maiori iure habendi ſint philoſophi eclectici, quum iſti nulli philoſophorum ita addicti fuerint, vt totum eius ſyſtema amplecterentur ceterosque omnes reiicerent. Sunt in illis, qui diſerte profitentur, ſe eclecticam philoſophandi rationem probare. Dignum eſt CLEMENTIS *Alexandrini* teſtimonium, quod a me adferatur; attamen breuitatis cauſſa latine tantum: *philoſophiam autem,* inquit, * *non dico Stoicam; nec Platonicam; aut Epicuream et Ariſtotelicam; ſed quæcumque ab his ſectis recte dicta ſunt; quæ docent iuſtitiam cum pia ſcientia, hoc totum ſelectum, dico philoſophiam.* Ex latinis addo LACTANTIVM, ** cuius verba ſunt: *facile eſt autem docere, pene vniuerſam veritatem per philoſophorum ſectas eſſe diuiſam. Non enim philoſophiam ſic nos euertimus, vt academici ſolent, quibus ad omnia reſpondere, propoſitum eſt: quod eſt potius calumniari et illudere. Sed docemus, nullam ſectam fuiſſe tam deuiam, nec philoſophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero.* Similia tradunt IVSTINVS *martyr,* *** GREGORIVS *thaumaturgus* * atque alii. Ad hæc, eodem circiter tempore, quo patres philoſophiam cum religione chriſtiana con-

* *libr.* I. *ſtromat.* p. 338. edition. POTTERI.

** *libr.* VII. *inſtitution. diuinar. cap.* 7.

*** *dialog. cum Tryphone* p. 218.

* *orat. panegyr. in Origen.*

coniungere coeperunt, eclectica philoſophandi ratio, auctore Potamone Alexandrino, orta eſt. Ita tamen eclectici erant, vt alteram ſectam alteri præferrent: maxime ab Ariſtotelica et Epicurea philoſophia abhorrerent eamque deteſtabilium errorum adcuſarent. Plerisque Plato præcipue placuit; Ariſtoteles autem diſplicuit; hunc tamen Lactantius laudauit. Ex philoſophorum paganorum ſcriptis ea ſumebant, quæ vel refutanda, vel vt teſtimonia ad veritatem confirmandam illuſtrandamque aduocanda eſſe, putabant.

Scripta philoſophici argumenti ad nos peruenerunt, quæ a patribus atque auctoribus eccleſiaſticis compoſita ſunt. Exſtant:

GREGORII *Nyſſeni* ſermo de *anima* cum notis *Federici Morelli*; eum autem non Nyſſeni; ſed caput ſecundum et tertium NEMESII de *natura hominis* eſſe, eruditi viri animaduerterunt. Quodammodo et huc referri poteſt NYSSENI diſputatio cum gentili philoſopho *contra fatum*, quæ adiunctam ſibi habet *Zini* interpretationem.

AVGVSTINI *contra academicos* libri tres: de *immortalitate animæ* liber, quo illam multis argumentis probat atque aduerſarios refellit: de *quantitate animæ* liber, vbi duplex quantitatis genus eſſe tradit, alterum in mole ac loci ſpatio: alterum in potentia ac virtute poſitum atque oſtendit, non illam; ſed hanc tantum animæ, vtpote quæ omnis corporis expers ſit, tribuendam eſſe; item *categoriæ decem, ex Ariſtotele decerptæ*. Scripſit et alia, quæ inprimis ad controuerſiam de origine animæ, num creetur illa a deo ex nihilo, ſpectant. Noſtra ætate illius *epiſtola ſecunda ad Optatum, epiſcopum Mileuitanum, de natura et origine animæ*, ex bibliotheca abbatiæ Gottwicenſis nunc primum edita eſt, Viennæ MDCCXXXIII. fol.

CLAVDIANVS MAMERTVS, cuius libri tres de *ſtatu animæ* ad Sidonium Apollinarem, conſeruati et ad nos delati, magnam laudem ſibi adquiſiuerunt. Lucem illi viderunt cum coniunctim in *bibliothecis patrum*; tum ſeparatim cum notis *Barthii*, Cygneæ MDCLV. 8.

AENAEAE GAZAEI et ZACHARIAE *Mitylenæi* libri de *immortalitate animæ et mortalitate vniuerſi*, qui cum animaduer-

aduerſionibus *Caſpar. Barthii* iunctim prodierunt Lipſiæ MDCLIII. 4. ſæpius autem ſeparatim in lucem emiſſi ſunt. Iam enarratis ſcriptoribus iungendus eſſe videtur IVSTINVS *martyr* ob ἀνατροπὴν δογμάτων τινῶν Ἀριστοτελικῶν, *euerſionem quorumdam dogmatum Ariſtotelicorum*, qui libellus ipſi, tamquam auctori, a plerisque tribuitur. Non deſunt tamen, qui negant, vel certe dubitant, Iuſtinum *euerſionem* hanc ſcripſiſſe. Libellus ipſe non magnum momentum habet; nec eamdem cum reliquis Iuſtini monimentis dignitatem tuetur.

Quæ iam dicta ſunt de philoſophia patrum eccleſiæ, ad ea illuſtranda atque vberius explananda doctiſſimi viri in ſcriptis ſuis adiumenta præbent, quum vel ſingulari ſtudio; vel oblata occaſione de eodem argumento expoſuerunt. Ipſæ commentationes, quas conſcripſerunt, partim generatim de patrum philoſophia; partim ſpeciatim de eorum philoſophia Platonica deque ſingulari antiquiori doctore agunt. Quales illi ſint, monſtrat eorum, qui nunc narrari debent, tabula:

ERNESTI SALOMON. CYPRIANI *diatribe academica, qua expenditur Tertulliani: hæreticorum patriarchæ philoſophi*, Helmſtadii MDCXCIX.

ADAMI RECHENBERGII diſſertatio: *an hæreticorum patriarchæ philoſophi? ex illo Tertulliani aduerſus Hermogenem, ad illuſtrandum ſancti Paulli Coloſſ.* II, 8. *monitum*, Lipſiæ MDCCV.

IACOBI BRVCKERI *hiſtoria critica philoſophiæ*, * vbi inter patres eccleſiæ eosque philoſophos numerantur: Iuſtinus martyr, Tatianus, Theophilus, Athenagoras, Hermias, Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Pantænus, Origenes, Arnobius, Lactantius, Euſebius, Didymus, Auguſtinus, Syneſius, Dionyſius Areopagita, Claudianus Mamertus, Boethius, Aenæas Gazæus, Zacharias ſcholaſticus, Io. Philoponus, Nemeſius. Quæ antea dixerat,

* *tom.* III. p. 269. 366. vbi auctor exponit de philoſophia veterum chriſtianorum, præcipue eccleſiæ doctorum in genere et ſpecie conſiderata.

rat, ea poſtea auxit atque ampliora reddidit in *hiſtoriæ criticæ philoſophiæ adpendice.* *

IO. FRANCISCI BVDDEI *iſagoge hiſtorico-theologica ad theologiam vniuerſam ſingulasque eius partes,* ** qui enarrat, quid patres de philoſophia cenſuerint: quam ſequuti ſint philoſophandi rationem.

PAGANINI GAVDENTII *opuſcula tria: de errore ſectariorum, huius temporis labyrintheo: conatus in geneſin diuinam nouus: de philoſophicis opinionibus veterum eccleſiæ patrum,* Piſis MDCXLIV. 4. In vltimo opuſculo multæ philoſophicæ opiniones patrum recenſentur atque ad varias quæſtiones, quæ huc pertinent, reſpondetur. Sunt in illis: cur Tertullianus euerterit philoſophiam? num ſuperſtitioſi philoſophi quædam a Moſe acceperint: quatenus Tertullianus dixerit, omne, quod eſt, eſſe corpus: quæ fuerit ſententia Lactantii, adſerentis, deum ſe ipſum feciſſe? cur veteres patres parciſſime ſcripſerint de angelica natura? cur Tertullianus putarit, angelos eſſe corporeos? quæ diſſidia fuerint apud patres de origine animæ? quatenus Origenes, quando agitur de mundo et anima, vel ſequatur; vel deſerat Stoicos et Platonem? ac plures aliæ.

GOTTFRIDI OLEARII diſſertatio de *philoſophia eclectica,* *** cuius eam ob cauſſam mentionem facio, quia non ſolum monſtratur, philoſophiam eclecticam eodem circiter tempore, quo patres philoſophiam cum religione chriſtiana coniungere cœperunt, auctore Potamone Alexandrino ortam eſſe; ſed etiam de chriſtianis, eclecticam philoſophiam ſequentibus, agitur * ac poſtquam Clemens Alexandrinus atque Origenes eclecticis adnumerati ſunt, hæc adduntur: *poſt Origenem non eius diſcipulos tantum; ſed plerosque patres omnes eclecticam hancce philoſophandi rationem amplexos videas.*

Quæ

* *hiſtoriæ criticæ philoſophiæ adpendice* p. 534.

** *libr.* II. *cap.* 3. §. 5. p. 552.

*** quam adiunxit STANLEII *hiſtoriæ philoſophiæ*, ab ipſo ex anglico ſermone in latinum conuerſæ ac Lipſiæ MDCCXI. 4. editæ, p. 1205.

* *cap.* IV. p. 1216.

Quæ ad locum hunc referri poſſunt, alia ſcripta ſpeciatim ad patrum philoſophiam Platonicam ſpectant. In illis ſunt:

PAGANINI GAVDENTII liber de *dogmatum Origenis cum dogmatis Platonis comparatione*, Florentiæ MDCXXXIX. 4. ſubiunctis *ſalebris Tertullianeis* et *vita chriſtianorum ante tempora Conſtantini magni.*

EHREGOTT DAN. COLBERGII *platoniſch hermetiſch chriſtenthum*, Lipſiæ MDCXC. MDCCX. 8. qui liber teſtatur quidem de auctoris eruditione ac diligentia; cum iudicio autem legendus eſt. Eo enim, quod nimium eſt, peccat ac ſæpe a veritate diſcedit, quod omnes fanaticorum errores ex Platone eiusque philoſophia deriuat ac ſpeciatim patres eccleſiæ multorum Platonismorum ſine cauſſa adcuſat: immo inter falſa Platonis dogmata refert, quæ ex ſcriptura ſacra probanda ſunt.

CHRISTIANI FRIDERICI BVCHERI *menſes pietiſtici, die tiefe des ſatans in dem hermetiſch-zoroaſtriſch-pythagoriſch-cabbaliſtiſchen chriſtenthum der pietiſten vorſtellend*, Vitembergæ MDCCV. 8. qui Colbergium ſequitur atque itidem de Platonicis dogmatibus, tamquam fonte fanaticarum opinionum, ſpeciatim patrum eccleſiæ, differit.

LIVII GALANTIS *chriſtianæ theologiæ cum Platonica comparatio*, libris XX. Bononiæ MDCXXVII. fol. cuius operis liber primus complectitur Platonis vitam ac laudes, quibus præcipue veteris eccleſiæ doctores eum ornarunt, vna cum iis, quæ iidem in ipſo damnarunt ac rationibus, quibus defenſio fieri poſſit. Hanc ob cauſſam librum hunc adduxi. Idem argumentum de Platonis conſenſu cum ſcriptura ſacra alii perſequuti ſunt, quos IO. ALBERTVS FABRICIVS enumerat.*

Le Platonisme deuoilé, ou eſſai touchant le verbe Platonicien, diuiſé en deux parties, Coloniæ; ſiue potius Amſtelodami MDCC. 8. et anglice eodem anno 4. Auctor nomen ſuum omiſit; is autem SOVVERAINIVS eſſe dicitur, miniſter eccleſiæ reformatorum, ſpeciatim Arminii doctrinæ addictus. Impudenter is ſibi ſumſit probare, antiquioris eccle-

* *bibliothec. græc. volumin.* II. p. 39.

ecclesiæ doctores dogma de trinitate ex philosophia Platonica accepisse atque ad christianos transtulisse. *

IO. CLERICI *epistolæ criticæ et ecclesiasticæ*, quibus de Platone ac trinitate disputat, ea ratione, vt haud obscure significet, se a Souuerainio non longe dissentire. **

BALTVS *defense des saints peres, accusez de Platonisme*, Parisiis MDCCXI. 4. Opposuit auctor *defensionem* hanc Souuerainio; præcipue autem Clerico. Recte adfirmat, dogmata, religionis christianæ propria atque ex solo codice sacro intelligenda, vti est illud de sanctissima trinitate, patres minus ex philosophia Platonica hausisse. At vero quando adnititur, patres ab omni Platonismi adcusatione absoluere, in defensione hac modum neglexisse ac patribus plus, quam decebat, tribuisse videtur. ***

IMMANVEL. ERNEST. HAHNII commentatio de *Platonismo theologiæ veterum ecclesiæ doctorum, nominatim Iustini martyris et Clementis Alexandrini, corruptore*, Vitembergæ MDCCXXXIII.

IO. LAVRENT. MOSHEMII dissertatio de *turbata per recentiores Platonicos ecclesia*, Helmstadii MDCCXXV. Speciatim de Iustino martyre, Athenagora, Clemente Alexandrino ac Lactantio addi possunt:

IOACHIMI IVSTI RAV *diatribe historico-philosophica de philosophia sanctorum patrum, Iustini martyris et Athenagoræ*, Ienæ MDCCXXXIII.

IO.

* *histoire des ouurages des sauans* MDCC. p. 97. BERNARD *nouuell. de la republiqu. des lettres.* MDCC. *iul.* p. 99. *vnschuld. nachr.* 1702. p. 78. *nachricht von den stollischen büchern*, *part.* XIII. p. 459. *nachricht von einer hallischen biblioth. vol.* III. p. 533. *einleitung in die religionsstreitigk. ausser vnserer kirche*, *part.* IV. p. 308. adde LILIENTHALII *theol. biblioth. tom.* I. p. 938 sq. REIMMANNI *catalog. biblioth. theol.* p. 669. MYLII *bibliothec. anonymor.* p. 624. et VOGTII *catalog. libror. rarior.* p. 537. Librum hunc confutarunt: BALTVS in *defense des saints peres, accusez de platonisme*, Paris. MDCCXI. 4. MAYERVS dissertatione de λόγῳ, NEVMANNVS de *trinitate, platonismi vere et falso suspecta*: SIBERVS in *martyribus, diuinitatis christi testibus.*

** inprimis *epistol.* VII. et VIII. p. 177.

*** *memoires de Treuoux* MDCCXI. *april.* p. 582. *iournal des sauans* MDCCXI. *febr.* p. 191. *mart.* p. 243.

IO. TRIBBECHOVII tres *dissertationes de Clemente Alexandrino*, quarum prima illius *vitam et scripta*: secunda *philosophiae definitionem ac diuisionem* et tertia *philosophiae finem, media et vsum* ad ductum istius exhibet, Halae MDCCVI. quarum dissertationum iam supra mentionem feci.

IOACHIMI IVSTI RAV *diatribe historico-philosophica de philosophia Lucii Caecilii Lactantii Firmiani*, Ienae MDCCXXXIII. 8. quo libello disputat auctor cum generatim de philosophia Lactantii ac probat, fuisse eum eclecticum; tum speciatim: de eius philosophia rationali et morali: de illius physica, theologia naturali: iure naturae et gentium deque iis, quae ad historiam philosophicam pertinent. Addita est *diatribe critico-theologica, complectens historiam veterem et recentiorem vocis ecclesiasticae* ὁμοούσιος.

NICOLAI LE NOVRRY *dissertationes de Clementis Alexandrini operibus, dissertat.* II. *cap.* 15. quo loco disserit auctor de Clementis philosophia ac quaestionem explanat: num Clemens Alexandrinus primus christianis philosophiae studia commendauerit.*

§. XI.

Quodsi ad philosophiae partes, speciatim ad *logicam* animum aduertimus, patres neque exemplis; neque praeceptis probarunt, se arti huic multam operam dedisse eiusque omnino peritos se praebuisse. Nec in reliquis philosophiae disciplinis, maxime in *physica*, hi veterum christianorum doctores praeclara adiumenta nobis promittunt, vtpote cui studia sua haud consecrarunt. Idem quodam modo dicendum est de *philosophia morali*, cuius nullum saltem compendium; aut systema reliquerunt.

Memorantur patres ecclesiae, qui ingenia sua arte logica excoluerunt laudemque horum studiorum sibi compararant. De Origene HIERONYMVS haec scripta reliquit: *dialecticam quoque et geometriam et arithmeticam, musi-*

* *adparat. ad bibliothec. maximam patrum tom.* I. p. 1104.

muſicam, grammaticam et rhetoricam omniumque philoſophorum ſectas ita didicit, vt ſtudioſos quoque ſecularium litterarum ſectatores haberet. * Idem HIERONYMVS in litteris, de quarum ſcientia ipſe gloriatur, dialecticam quoque numerat dicitque: *ego philoſophus, rhetor, grammaticus, dialecticus, ebræus, græcus, latinus, trilinguis.* ** Tradit is etiam, ſe vertiſſe latine commentarios ALEXANDRI *Aphrodiſienſis* in Ariſtotelis ſcripta logica, cuius verba et adfert RVFINVS, contra Hieronymum diſputans, hoc modo: *fruſtra ergo Alexandri verti commentarios, ne quidquam me doctus magiſter per εισαγωγὴν duxit in logicam.* *** Laudatur præterea, vt magnus logicæ magiſter a quibusdam Auguſtinus, nominatim inter recentiores a BARTHOLOMAEO KECKERMANNO his verbis: *is vt omnium poſt apoſtolorum tempora theologorum præſtantiſſimus habetur, ita logicus etiam, nemo enim vnquam magnus theologus, cui logica non eſt magna, fuit præſtans profecto et excellens. Vix viginti annorum iuuenis Ariſtotelis categorias expoſuit publice; nec vnquam tota ſua vita logicam deſiit magnifacere. Hinc paſſim multa logica præcepta inſpergit, paſſim logicam laudibus prædicat ſummis.* * At omnia hæc non ſufficiunt ad laudem tuendam, qua nonnulli memoratos patres eccleſiæ, inprimis Auguſtinum, ornant. Repugnant ſcripta eorum, quæ ad nos delata ſunt. Monſtrant illa haud obſcure, patres hos in arte cogitandi parum exercitatos fuiſſe, ſiue illi doceant; ſiue diſputent atque aduerſarios confutent. Res, de quibus diſſerunt, non perſpicue ſemper atque adcurate explicant: non ordinate, non diſtincte diſponunt. Si quid probandum eſt, negligunt non raro argumenta, quæ ſunt vera vimque omnino confirmandi habent. Aduerſus hoſtes infirmas: immo ieiunas ratiocinationes adhibent: argumenta adferunt, quæ non theologorum ac philoſophorum; ſed oratorum propria ſunt, quæ præceptis logicæ arti-

* de *viris illuſtribus cap.* LIV. p. 129.

** *apolog.* III. *aduerſ. Rufinum, tom.* IV. *oper. part.* 2. p. 443.

*** confer FABRICII *bibliothec. græc. volum.* IV. p. 76.

* *præcognitor. logicor. tractat.* II. *cap.* 2. §. 24. *tom.* I. *ſyſtemat.* p. 15.

artique rite concludendi, repugnant. Exempla nobis ſuppetunt, quæ hoc illuſtrant confirmantque. PHOTIVS * notat hoc in Irenæo. Quum enim dixiſſet, præter *libros* eius *quinque aduerſus hæreſes*, plura et varia ſcripta et epiſtolas circumferri, illum ſpuriis rationibus vti, iudicat, quæ verba ad mitiorem ſententiam trahere atque Irenæum defendere; ſaltem excuſare RENATVS MASSVETVS ** adnititur; minus autem bene feliciterque cauſſam Irenæi agit. Non infirma tantum argumenta, vt MASSVETVS aliis perſuadere conatur; ſed νόθους λογισμοὺς, *ſpurias rationes* Photius Irenæo obiicit, qua de re plura diſputant: IO. FRANC. BVDDEVS *** ac DAN. MAICHELIVS.* Vitioſæ argumentationes et apud alios eccleſiæ patres habentur. Probauit id de Iuſtino martyre NICOL. HIERONYMVS GVNDLINGIVS ac commentatus eſt de *Iuſtini martyris næuis, in ratiocinando commiſſis.* ** Aperte quoque a recta argumentandi ratione diſcedit EPIPHANIVS, qui quum monſtrare vult, Mariam poſt mortalium ſeruatorem, ieſum chriſtum, natum, non alios liberos peperiſſe, ita ratiocinatur: quemadmodum leæna vnicum tantum parit catulum; ita Maria vnicum tantum filium ac ſeruatorem in lucem edidit, quæ argumentatio falſa ac praua eſt cum in ſuo principio, leænam per omnem vitam vnicum tantum catulum parere, tum in concluſione, quum illa a leæna ad virginem Mariam perperam inſtituitur. Legendus eſt EPIPHANIVS ipſe. *** Quando LACTANTIVS * contra ſimulacrorum cultum diſputat, ratiocinando argumenta adfert, quæ falſa: immo inepta ſunt.

* *codic.* CXX. p. 302.
** *diſſertatione* III. *in Irenæum* p. 106.
*** *iſagog. ad theolog. vniuerſam libr.* II. *cap.* 3. §. 6. p. 560.
* *introduct. ad hiſtor. litterar. de præcipuis bibliothecis Pariſienſibus, part.* II. *cap.* 2. § 28. p. 150.
** exſtat commentatio hæc *obſeruat. ſelectar. ad rem litterar. ſpectant. tom.* II. *obſeruat.* 7. et 9. p. 89.
*** *hæreſ.* LXXVIII. p. 1044.
* *libr.* II. *inſtitut. diuinar. cap.* 19.

Nec monimenta patrum ecclesiæ ad nos delata sunt, quibus vel de ipsa arte logica; vel de singularibus illius argumentis præceperint ac quamuis nonnulla adduci soleant; id tamen non probant, quod probare debent. Prouocant ad *principia dialectices*, quæ AVGVSTINI nomen præ se ferunt; repugnarunt autem doctissimi viri atque in his monachi Benedictini. * ANICIVS MANLIVS TORQVATVS SEVERINVS BOETHIVS scripta quidem, ad disciplinam logicam spectantia, composuit ac commentatus est in *Aristotelis categorias:* in librum eius de *interpretatione*: in eiusdem *analytica priora et posteriora:* in libros *topicorum et elenchorum sophisticorum.* Scripsit etiam *introductionem ad categoricos syllogismos:* libros duos de *syllogismo categorico:* librum de *diuisione:* de *definitione*, quæ coniunctim prodierunt Venetiis MDLIX. fol. et Parisiis MDX. MDXI. fol. Sed quæ ita memorantur de Boethio ac logicis eius libris, ad locum hunc haud pertinent, quum Boethius patribus ecclesiæ, de quibus verba facimus, haud adnumerari potest. Nec aduocare licet IOANNIS DAMASCENI *dialecticam*, quoniam satis constat, Damascenum hunc post patres, stricte sic dictos, vixisse.

Reliquas philosophiæ disciplinas, speciatim *physicam*, patres ecclesiæ itidem neglexerunt; nec ea præstiterunt, quæ vtilia sunt atque ipsis laudem conciliant. Immo si dicendum, quod res est, antiquiores hi doctores christiani a physices studiis alieni fuerunt variæque exstiterunt caussæ, quæ animos eorum ab istis auerterent. In illis, vt videtur, princeps erat, quod veteres philosophi græci in eo operam ponebant, vt res naturales earumque rationem ac caussas indagarent atque explicarent; de deo autem ac rebus diuinis falsas impiasque sententias amplectebantur ac grauissimos errores disseminabant. Eam inprimis ob caussam existimabant, sapienter eos sibi consulere, qui a physica abstinerent. Confirmat hoc EVSEBIVS, qui quum in eo est, vt libri decimi quinti *præparationis euangelicæ*, quo præcipue physica philosophorum dogmata attingit, argumen-

* in *adpendice tomi* I. *operum*.

mentum indicet, *ſpecioſa illa*, inquit, *egregiæ Græcorum philoſophiæ myſteria in lucem etiamnum proferamus et quam nihil veræ ſolidæque eruditionis habeant, omnium in oculis defigamus.* Quibus dictis addit: *quo in genere primum ac præcipuum hoc futurum eſt, vt quiuis agnoſcat, non vlla rerum, quas tantopere demirantur, ignoratione; ſed inanis earum ſtudii contemtu, omnem prope nos illarum curam exuiſſe, animis ad meliorum vſum exercitationemque traductis.* * Si et patres in libris ſuis quædam de rebus naturalibus adferunt, ea ſane ita comparata ſunt, vt non ſolum haud mediocrem horum doctorum ignorantiam prodant; ſed etiam nullam nobis præbeant vtilitatem. Teſtantur hanc in rem interpretes hiſtoriæ Moſaicæ de opere creationis, ſpatio ſex dierum peractæ, BASILIVS, AMBROSIVS atque alii. Qualis ſit illorum eruditio phyſica, vel ex eo intelligitur, quod plurimi in eam ingreſſi ſint ſententiam, *tenebras*, quarum *geneſ.* I, 2. mentio fit, vmbram fuiſſe, quam cælum terræ et aquis conciliauerit. Quando de aquis ſupracæleſtibus diſputant easque contra illos, qui iſtas impugnant, probare, adnituntur, inania atque inepta proferunt; ita autem ſe artis bene ac recte cogitandi imperitos fuiſſe, oſtendunt. COSMAS, monachus Aegyptius, cognomento *Indopleuſtes*, *topographiam chriſtianam;* ſiue *chriſtianorum opinionem de mundo* ſcripſit ac quum veteres chriſtiani exiſtimarent, figuram orbis terrarum non ſphæricam, ſed planam eſſe, ſententiam hanc probauit atque ex hoc terræ ſitu eclipſes, ortusque et occaſus ſiderum explicare ſibi ſumſit; ita tamen, vt miras nugas ſtrueret. Opus hoc recenſuit PHOTIVS; ** in lucem autem emiſit BERNARDVS DE MONTFAVCON. *** Exſtat quoque *phyſiologus, qui de vnius cuiusque generis ferarum ac volucrum natura loquutus eſt.* Tributus eſt libellus hic EPI-

* *libr.* XV. *præparat. euangelic. cap.* I. p. 789.

** *codic.* XXX. ex quo ſummam operis huius exhibet etiam FABRICIVS *bibliothec. græc. libr.* III. *cap.* 25. p. 609.

*** in *collection. noua patrum et ſcriptor. græcor. tom.* II. p. 113.

PHANIO atque in eius *opera* translatus, * vbi locum habet cum notis et verſione *Conſali Ponce de Leon*, *Hiſpalenſis*; ſed non omni caret dubitatione, Epiphanium libelli iſtius auctorem eſſe. ** In *epiſtola*, quæ BARNABAE nomen præ ſe habet, quædam de natura animalium memorantur; *** vulgaria autem illa ſunt; nec magnum habent momentum. Legantur de patrum eccleſiæ phyſica: BALTVS, * IO. FRANCISC. BVDDEVS, ** IACOB. BRVCKERVS. ***

De *doctrina morali* patrum, quæ huc ſpectant, multa haud commentari poſſumus. Quæ ad mores hominum pertinent, ea doctores iſti in ſcriptis ac ſermonibus ſuis diligenter præcipiunt; ſequuntur autem normam ſacrarum litterarum ac quæ apud illos de vita ſanctiore legimus, ea ex fonte iſtarum hauſta ſunt. Ac quamuis nonnumquam ab illis dicantur, quæ ratio recta omnes docet; propter hæc tamen haud ſtatuendum eſt, patres eccleſiæ philoſophiam moralem ſcriptam reliquiſſe, ſiue ethica; ſiue ius naturæ intelligatur. Quod inter lumen naturæ ac gratiæ: inter rationem ac ſcripturam ſacram eſt, diſcrimen negligunt;* nec in monimentis ſuis compendium; aut ſyſtema philoſophiæ moralis nobis exhibent.

Litterarum diſciplinis, quibus eccleſiæ patres ingenia ſua haud excoluerunt atque in ignoratione earum verſati ſunt, *ars* quoque *critica* adnumeranda eſt. Vberiorem occaſionem habuiſſent, ſe in illa exercendi; nec mediocrem vtilitatem exſpectandi, ſi illi ſe tradere voluiſſent. Fraudulenti erant homines ac mendaces, qui fingebant ſcripta: falſas narrationes faciebant: fabulas ſpargebant; nec deerant, qui facile adſenſionem ſuam præberent. Fraudibus ac fallaciis his reſiſtere potuiſſent, ſi artis criticæ periti, operam in eo poſuiſſent, vt ſcripta adulterina a germanis: res fictæ ac commentitiæ a veris diſcernerentur.

CAPVT

* *tom.* II. p. 189.
** FABRICII *bibliothec. græc. volum.* VII. p. 427.
*** §. X. adde: COTELERII *patr. apoſtolic. tom.* I. p. 31.
* *defenſe de ſaints peres accuſez de Platoniſme cap.* IX. p. 49.
** *iſagog. ad theolog. vniuerſ. libr.* II. *cap.* 3. §. 6. p. 562.
*** *hiſtor. critic. philoſoph. tom.* III. p. 356.

CAPVT VIII.
DE PATRVM ECCLESIAE ERVDITIONE SACRA, SPECIATIM THEOLOGIA EXEGETICA.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Exponitur de iis, qui præcepta hermeneutica ſcripſerunt § I. II.
Operam ad verſiones codicis ſacri contulerunt §. III.
Interpretationes ſcripturæ ſacræ reliquerunt §. IV.
Item metaphraſes §. V.
Subſidia ad explanandas ſcripturas ſacras, maxime geographiæ ac chronologiæ, ſuppeditarunt §. VI.
Viam monſtrarunt ad loca ſcripturæ, quæ inter ſe pugnare videntur, concilianda §. VII.
De viitiis patrum exegeticis §. VIII.

Quam compararunt ſibi patres ac ſcriptores eccleſiaſtici cuiusue luculenta documenta in monimentis ſuis ſcripta reliquerunt, eruditio ſpectabat inprimis ad res ſacras earumque diuerſas diſciplinas, theologiam nimirum exegeticam, dogmaticam, polemicam, ſymbolicam, catecheticam, moralem. Quid in ſingulis præſtiterint: quæ ſint de quauis merita eorum: quid ab iisdem nobis promittere debeamus, nunc diſpicere, animus eſt.

§. II.

Initium facio a *theologia exegetica*; ſiue ea doctrina, cuius magiſtri docent, quomodo ſcriptura ſacra interpretanda eiusque verus ſenſus, in locis præſertim obſcurioribus, inueſtigandus ſit. In illa veterum chriſtianorum doctores ingenia ſua varia ratione exercuerunt variique generis monimenta ab illis compoſita ſunt. Primum locum iis adſigno, qui præcepta de ſcripturis diuinis explicandis ſcripſerunt. Pauci eorum fuerunt; nec quæ commentati ſunt, ea omnia magnum momentum habent.

Inter eos eſt AVGVSTINVS, qui libros quatuor de *doctrina chriſtiana* litteris conſignauit iisque velut compendium theologiæ exhibuit. Quæ tradidit, ea non ſum-

mum quidem momentum habent; vtilia tamen ſunt; nec contemni debent. Eodem tempore, quo Auguſtinus, TICONIVS; ſiue TICHONIVS Afer vixit, qui in quibusdam cum Donatiſtis fecit et a ſe diſſentientes acerrime impugnauit. Compoſuit *regulas ſeptem ad inueſtigandam et inueniendam intelligentiam ſacrarum ſcripturarum.* Recenſet eas Auguſtinus ac ſignificat, quid de illis ſit ſtatuendum.* Codicis ſacri interpres non multum vtilitatis ab iſtis exſpectare poteſt. Exſtat quoque ADRIANI, de cuius ætate viri docti diſſentiunt, *iſagoge in ſacram ſcripturam*, græce cum ſcholiis et aliis huiusmodi ſcriptoribus edita a *Dauide Hæſchelio*, Auguſtæ Vindelicorum MDCII. 4.** Seculo quinto EVCHERIVS, epiſcopus Lugdunenſis, floruit ac præter alia ſcripta reliquit *inſtructionum ad Salonium filium* libros duos, quorum alter de difficilioribus ſcripturæ ſacræ quæſtionibus agit: alter interpretationem nominum ebræorum, ibi occurrentium, exhibet. *** Quæ alii oblata occaſione ac veluti in tranſitu de codicis ſacri interpretatione ſcripſerunt, ea non tantum momentum habent; nec tantam præbent vtilitatem, vt ſingularis illorum fieri debeat commemoratio.

§. III.

Alii curas ſuas ad id contulerunt, vt verſiones ſacrarum litterarum vel colligerent ac conſeruarent; vel ipſimet, quum illæ antea non eſſent, elaborarent. Quam ita ſuſceperunt, opera laudabilis erat; hanc autem ob rem dolendum eſt, multas huiusmodi interpretationum interiiſſe. Ex verſionibus enim adiumenta interdum ſumi poſſe ad explicationem ſacrarum ſcripturarum, conſtat.

Præclare ORIGENES de theologia exegetica meritus eſt opere, quo diuerſas interpretationes coniunctim exhibuit atque ita per columnas diſpoſuit, vt omnes vno con-

* *libr.* III. *de doctrina chriſtian. cap.* 30. ſqq.

** eſt etiam in *criticorum ſacrorum tom.* VI. p. II.

*** libri hi prodierunt Baſileæ MDXXX. ac Romæ MDLXIV. Exſtant illi etiam *biblioth. maxim. patrum Lugd. tom.* VI. p. 839.

conſpectu oculis ſe ſubiicerent et eo facilius inter ſe comparandæ eſſent ac verus ſenſus inueſtigari poſſet. Varia huiusmodi volumina compoſuit quumque in alia pauciores: in alia plures interpretationes transferret, orta ſunt diuerſa illorum nomina ac dicta *tetrapla*, *hexapla*, *octapla*. Inter illa *tetrapla* ita diſpoſita erant, vt prima columna exhiberet verſionem *Aquilæ*: ſecunda *Symmachi*: tertia *ſeptuaginta interpretum* et quarta denique *Theodotionis*. In *hexaplis* hæ ipſæ verſiones eodem ordine erant collocatæ; prima autem columna textum ebraicum, litteris ebraicis, ſine punctis vocalibus, ac ſecunda eumdem textum ebraicum, litteris græcis deſcriptum, complecteretur. Addidit poſtea Origenes quintam et ſextam verſionem; ſiue editionem Hierichuntinam et Nicopolitanam, in iis libris, quorum hæ verſiones exſtabant, atque ita *octapla* in lucem prodierunt. Periit opus hoc; nec quidquam conſeruatum atque ad nos delatum eſt, niſi fragmenta, ad quæ colligenda atque ab interitu vindicanda doctiſſimi viri operam contulerunt. Sunt illi:

IO. DRVSIVS, a quo accepimus: *veterum interpretum græcorum in totum vetus teſtamentum fragmenta collecta, verſa et notis illuſtrata*, Arnhemiæ MDCXXII. 4. Ipſe quidem Druſius antea vita deceſſerat, quam opus, quod diu molitus erat, ad finem perduxiſſet; SIXTINVS tamen AMAMA præceptori ſuo hoc præſtitit pietatis officium, vt edendi illius curam laudabiliter gereret. Qui harum litterarum periti ſunt, illi librum hunc magni faciunt, quum adnotationes acceſſerunt multum elegantes ac perutiles.

FLAMINIVS NOBILIVS, cuius *notæ in varias lectiones verſionis græcæ ſeptuaginta interpretum* eadem fragmenta, ſtudioſe conquiſita, exhibent. Transtulit has notas WALTONVS in *polyglotta* * easque ſcholiis auxit, quæ editioni romanæ verſionis ſeptuaginta interpretum ſubiuncta ſunt.

BERNARDVS DE MONTFAVCON, qui omnium exſpectationem ſuperauit, quum ſtudio eius prodirent: *hexa-*

 plorum

* *tom.* VI. *num.* 9.

plorum Origenis quæ superſunt, multis partibus auctiora, quam a Flaminio Nobilio et Ioanne Druſio edita fuerint, Pariſiis MDCCXIII. fol. duobus tomis. * Taceo, opere hoc multa præclara contineri, quæ Flaminius Nobilius et Io. Druſius omiſerunt: vbique interpretationes græcas cum ſermone ebræo comparatas: varias lectiones ex monimentis doctorum chriſtianorum, qui græce loquuti erant, diligenter congeſtas eſſe, atque alia potius eius ornamenta commemoro, quæ doctis viris multam adferunt vtilitatem. Spectant huc: *præliminaria* ampliſſima atque eruditiſſima de tetraplis hexaplisque Origenis: de hiſtoria verſionum græcarum aliisque grauiſſimis argumentis conſcripta: anecdota nonnulla Origenis aliorumque: lexica ebræum ac græcum ad hexapla.

IO. MARTIANAEVS, qui hexaplorum fragmenta, in HIERONYMI monimentis diſperſa, collegit atque edidit: *Origenis hexaplorum partem non minimam græce ac latine, e tomo* II. *operum ſancti Hieronymi collectam et adornatam.* **

Ad ordinem hunc pertinet etiam HIERONYMVS ob verſionem latinam codicis ſacri, quæ *hieronymiana* adpellatur, id eſt, illa, quæ ab Hieronymo nomen et ortum habet. Id enim ſatis conſtat, Hieronymum libros ſacros vtriusque foederis ex lingua ebræa ac græca in ſermonem latinum conuertiſſe: multa harum interpretationum conſeruata eſſe atque

* *acta eruditor.* MDCCXIV. p. I. *memoires de Treuoux* MDCCXIV. *ian.* p. 107 *iournal des ſauans* MDCCXIII. *nouembr.* p. 537. CLERICI *bibliotheque choiſie part.* XXVII. p. 324. *deutſche acta eruditor. volum.* II. p. 1013. *neuer bücherſaal der gelehrt. welt volum.* III. p. 539. 665. *nachricht von einer halliſch. biblioth. volum.* VII. p. 491.

** exſtat HIERONYMI *operum tomo* II. p. 830. editionis, quam eidem MARTIANAEO debemus. De ipſis verſionibus his græcis videantur: WALTHERVS *officin. biblic.* p. 126. CALOVIVS *critico ſacro* p. 698. FABRICIVS *bibliothec. græc. libr.* III. *cap.* 12. p. 332. CARPZOVIVS *critica ſacra veteris teſtamenti* p. 552. MONTFAVCONIVS *præliminar. ad Origenis hexapla cap.* V. ſqq. p. 46 HOTTINGERVS *theſaur. philologc.* p. 376. HODIVS *de bibliorum textibus originalibus libr.* IV. *cap.* I. p. 573. atque alii.

atque inueniri cum in bibliis vulgatis; tum in ipſius Hieronymi commentariis: non omnem quidem verſionem editam; partes tamen eius Hieronymum habere auctorem. Interpretationes eius ex vetuſtiſſimis codicibus manuſcriptis IO. MARTIANAEVS edidit, hac inſcriptione: *diuina bibliotheca, antehac inedita, complectens translationes latinas veteris ac noui teſtamenti, cum ex ebræis; tum e græcis fontibus deriuatas: innumera quoque ſcholia marginalia antiquiſſimi ebræi cuiusdam ſcriptoris anonymi, ebræas voces preſſius exprimentis*, ceter. *

§. IV.

In eo inprimis operam collocarunt patres ac ſcriptores eccleſiaſtici, vt codicem ſacrum explicarent ac maxime locis, quæ videbantur ipſis obſcuriora, lucem adferrent. Multi munere hoc interpretandi perfuncti ſunt, non ſolum inter græcos; ſed latinos quoque doctores, ea diuerſitate, vt alii maiorem; alii minorem meritorum laudem de hac theologiæ parte conſequuti ſint. Non omnia; multa tamen monimenta exegetica, quæ reliquerunt, ad nos delata ſunt ac peruenerunt.

Quas expoſitiones nunc enumerare, mecum quum conſtitui, eam legem mihi præſcribo, vt expoſitiones, non homileticas; ſed exegeticas; ſiue commentarios; non omnes; ſed quosdam eosque præcipuos recenſeam. Sunt illi vel græcorum; vel latinorum patrum monimenta. Ad ordinem illorum; ſiue græcorum, pertinent:

THEOPHILI *Antiocheni* libri quatuor *commentariorum; ſiue allegoriarum in ſacra quatuor euangelia*, quæ adhuc exſtant; ſed latine tantum. Sunt illi non tam commentarii; quam potius ſcholia allegorica, non in integra euangelia; ſed in varia euangeliſtarum loca, eorumque apud antiquos ſcriptores fragmenta leguntur. Commentarios hos eſſe Theophili Antiocheni, doctiſſimi viri negant atque ea argumenta pro ſententia ſua adferunt, quæ probandi vim præ ſe habent. Iuniorem auctorem compoſuiſſe iſtos; ita

* *tomo* I. HIERONYMI *operum*, a *Martianæo* editorum.

ita tamen, vt ex Theophili Antiocheni commentariis aliorumque veterum ſcriptorum libris multa colligeret, adfirmant. Sequitur auctor allegoricam ſcripturam ſacram interpretandi rationem.

ORIGENIS ſcripta exegetica. Varios modos, ſcripturam ſacram explicandi, ille adhibuit, ac vel vberiores commentarios; vel breuiores notas ſcripſit. Maxima pars harum commentationum periit ac perpaucæ veluti laceræ e naufragio tabulæ ad nos transmiſſæ ſunt. Quidquid illarum græce reperiri potuit, id magna induſtria PETRVS DANIEL HVETIVS collegit ac cum latina interpretatione, notisque ac libris tribus *Origenianorum*, quibus omnia, ad Origenem, ſcripta eius ac dogmata ſpectantia, diligentiſſime ediſſeruit, ſub titulo: *Origenis in ſacras ſcripturas commentaria* in lucem edidit, Rothomagi MDCLXVIII. Pariſiis MDCLXXIX. Coloniæ; ſiue potius Francofurti MDCLXXXV. fol. duobus voluminibus. Poſtea eadem locum obtinuerunt in ORIGENIS *operibus omnibus*, quæ ſtudio *Caroli Delarue* Pariſiis MDCCXXXIII. prodire cœperunt. Exſtat etiam ORIGENIS *philocalia de obſcuris ſacræ ſcripturæ locis, a Baſilio magno et Gregorio theologo ex variis Origenis commentariis excerpta, græce et latine*, cum notis *Io. Tarini*, Pariſiis MDCXXIX. 4. ac cum ORIGENIS *libris contra Celſum*, a *Guil. Spencero* editis, Cantabrigiæ MDCLVIII. MDCLXXVII. 4. Origenem in interpretationibus ſuis a recta via aberraſſe, iam dudum doctiſſimi viri notarunt. Quæ ſenſum litteralem præ ſe habent, ea ſæpe allegorice explicauit et quod aliter fieri non potuit, veritatem rerum geſtarum labefactauit, vti hiſtoriæ creationis, quam in allegoriam conuertit. Quæ præterea metaphorice capienda ſunt, ea nonnumquam proprie ſumit ac tradit ſenſum plane ineptum.

EVSEBII Cæſareenſis *commentarii in pſalmos*, qui quum per longius tempus in tenebris delituiſſent, primum eos in lucem protulit græce ac cum interpretatione latina iuris publici fecit BERNARDVS DE MONTFAVCON in *collectione noua patrum et ſcriptorum græcorum, Euſebii Cæſareenſis, Athanaſii et Coſmæ Aegyptii*, edita Pariſiis MDCCVI. fol.

duo-

duobus tomis. * Omnes quidem pſalmos Euſebius commentariis illuſtrauerat; deſiderantur autem ea, quæ in pſalmos XXXI. poſteriores conſcripſit. Vtitur eo interpretandi genere, vt ſenſum quidem litteralem diligenter inueſtiget; myſticum autem atque allegoricum non negligat. Linguæ ebrææ quum haud peritus fuerit, ex ignorantia hac natum eſt impedimentum, quo minus omnia recte atque adcurate ſit adſequutus. Idem EVSEBIVS *commentarios in Ieſaiam* compoſuit horumque magnam partem itidem BERNARDVS DE MONTFAVCON dicta *collectione* ** primus græce ac latine in conſpectum publicum produxit. Qualem *commentariis in pſalmos;* talem explicandi modum in his quoque adhibuit. Sacri codicis interpreti adiumenta etiam præbere poteſt EVSEBII liber de *locis ebraicis;* ſiue deſcriptio vrbium et locorum ſacræ ſcripturæ, ordine litterarum diſpoſita. Transtulit illum Hieronymus, ea vſus libertate, vt alia mutaret: alia perperam dicta emendaret; nec pauca de ſuo adderet.

ATHANASII *expoſitiones in pſalmos*, quarum reliquiæ tantum nonnullæ græce ac latine quum ad vſum publicum translatæ fuiſſent, iſtæ poſtea longe copioſiores; non plene tamen; aut integræ cura monachorum Benedictinorum, nominatim *Iacobi Lopini* ac *Bernardi de Montfaucon* euulgatæ ſunt. *** Quædam alia ATHANASII monimenta exegetica, antea haud edita, idem MONTFAVCON *collectione noua patrum et ſcriptorum* publicæ luci expoſuit, vti: *argumentum in pſalmos* * et *ſupplementa commentarii in pſalmos: fragmenta commentariorum in euangelium Matthæi* ** et in *euangelium Lucæ.* ***

GREGORII *Nyſſeni explicatio apologetica in hexaemeron*, quæ adpellatur *apologetica*, quoniam ſimul continet defenſio-

* *tomo* I.

** *tomo* II. p. 357.

*** ATHANASII *operum*, Pariſiis MDCXCVIII. fol. a Benedictinis editorum, *tom.* II. ſiue *tom.* I. *part. poſterior.* p. 1009.

* *tom.* II. p. 69.

** *ibidem* p. 24.

*** *ibidem* p. 42.

ſionem Moſis atque eorum, quæ nonnulli in fratris Baſilii hexaëmero vel reprehenderant; vel deſiderauerant. Exſtant etiam eiusdem duo libelli de *pſalmorum inſcriptionibus.*

CYRILLI *Alexandrini* γλαφυρὰ, id eſt, ſcita et elegantia *commentaria in pentateuchum*; ſiue potius in ſelecta quædam pentateuchi loca: *commentariorum in Ieſaiam* libri quinque: *commentarius in duodecim minores prophetas: commentariorum in Ioannem* libri duodecim. Ea ratione Cyrillus ſcripturam ſacram exponit, vt non tam ſenſum verborum eruat; quam dogmata theologica explicet eaque ſpeciatim in *commentariis in Ioannem* aduerſus hæreticos, præſertim Arianos, ſtabiliat. Maiori ſtudio interpretationem myſticam atque allegoricam; quam litteralem interdum ſectatur. Ignarus ſermonis ebræi, ſequitur verſiones, maxime ſeptuaginta interpretum. In *commentariis in pentateuchum* collationem veteris ac noui teſtamenti diligenter inſtituit ac fundamenti loco ponit, vetus teſtamentum continere figuram atque vmbram illorum, quæ in nouo euenire debuerunt:

THEODORETI *quæſtiones in pentateuchum:* in libros *Ioſuæ, iudicum, Ruth, Samuelis, regum* et *paralipomenon*, quibus ille monſtrauit quidem, ſe ſcripturæ ſacræ ac theologiæ peritum eſſe; tradidit autem nonnulla inutilia ac longe petita. Adtulit nonnumquam allegoricas res, non tam textus explicandi; quam ornatus cauſſa. Præter hæc, alia ingenii monimenta reliquit. Peruenerunt ad nos illius: *interpretatio in centum quinquaginta pſalmos*, qua Theodoretus Chryſoſtomum diligenter imitatus eſt, in ſententiis pariter ac verbis: *explanatio in canticum canticorum*, quæ inter eius ſcripta locum quidem obtinuit; rationes autem ſunt non contemnendæ, cur docti viri dubitant, Theodoretum iſtius auctorem eſſe: *commentariorum in Ieſaiam excerpta*: *commentarius in Iremiam: commentarius in Baruch, in threnos Ieremiæ, Ezechielem, Danielem* et *duodecim prophetas minores.* Accedunt: *commentarii in quatuordecim epiſtolas Paulli*, atque ita etiam in *epiſtolam ad Ebræos*, quibus ea, quæ Chryſoſtomus verboſius ſcripſerat, breuiter exhibet ac paucis obſcure dicta explanat. More aliorum interpretum a textu digreditur et captat occaſionem, dogmata

mata exponendi atque Arianos refutandi; ea tamen ratione, vt iuſtum modum teneat.

PROCOPII *Gazæi commentaria;* ſiue ἐξηγητικαὶ σχολαὶ *in octateuchum*, quæ latine tantum exſtant: *ſcholia in libros quatuor regum et duos paralipomenon*, quæ græce ac latine edita ſunt: *variorum in Ieſaiam prophetam commentariorum epitome*, quæ etiam græce ac latine prodiit.

Scripta etiam exegetica; ſiue interpretationes librorum ſacrorum ab eccleſiæ *latinæ* patribus accepimus. Exſtant:

HILARII *Pictauienſis commentarius in pſalmos*, non in omnes quidem; attamen multos. Expoſuiſſe eum ſingulos pſalmos, probabile putant monachi Benedictini, qui *opera* illius ediderunt, Pariſiis MDCXCIII. fol. Id quod vbi adfirmamus, ſequitur, vt ea, quæ in commentario hoc deſunt, aut perierint; aut in loco quodam delitescant. Eam explanandi rationem Hilarius ſequitur, vt Origenem imitetur ac quamuis ſenſum litteralem haud negligat; in interpretatione tamen myſtica interdum nimius eſſe, videtur. Reliquit etiam *commentarium in euangelium Matthæi*, quo itidem ad ſenſum allegoricum inueſtigandum maius ſtudium; quam par eſt, adhibet.

HILARII *diaconi commentarius in epiſtolas Paulli*, cui locus quidem inter AMBROSII *opera* dari ſolet; non Ambroſium autem; ſed Hilarium hunc, diaconum romanum, illius auctorem eſſe, nunc inter omnes conſtat. Omiſſa eſt in *commentario* hoc *epiſtola ad Ebræos*, quoniam eo tempore nonnulli negabant, illam a Paullo exaratam fuiſſe. Laudantur expoſitiones eius ob verborum breuitatem ac ſententiarum grauitatem. Interdum captat occaſionem, dogmata fidei confirmandi et hæreticos refellendi; a longioribus autem abſtinet digreſſionibus. Scripſiſſe eum etiam *quæſtiones in vetus et nouum teſtamentum*, quæ inter AVGVSTINI *opera* leguntur, ita probatum eſt, vt res ſupra omnem dubitationem ſit poſita.

AMBROSII *in hexaëmeron libri ſex*, quorum maxima pars ex BASILII opere eiusdem argumenti ſumta eſt: *commentariorum in euangelium ſecundum Lucam libri decem*, quibus diligenter oſtendit, qualis verborum ſit ſenſus litteralis ſimul-

ſimulque loca quædam ceterorum euangeliſtarum illuſtrat ac quæ inter ſe pugnare videntur, ea conciliat. Sunt tamen commentarii hi mediocris dignitatis; nec magna ab iis exſpectanda eſt vtilitas.

AVGVSTINI de *geneſi ad litteram liber imperfectus*, quo primum *geneſeos* caput explicare coepit; non progreſſus autem eſt in ſuſcepta ſcriptione, quum exiſtimaret, ſe ad opus, rite conficiendum, minus valere: de *geneſi ad litteram libri* XII. ab eo conſcripti, poſtquam ad priſtinum laborem poſt aliquod temporis ſpatium eo conſilio redierat, vt illum continuaret atque ad finem perduceret: *loquutionum libri ſeptem*, quibus nonnulli loquendi modi, in ſcriptura ſacra, ſpeciatim libris *Moſis*, *Ioſuæ* et *iudicum* vſurpati, explicantur: *quæſtionum in heptateuchum libri ſeptem*, vbi Auguſtinus de variis rebus difficilibus ac dubiis dictorum ſeptem librorum, *Moſis*, *Ioſuæ ac iudicum*, diſputat: *adnotationum in Iobum* liber, quarum magna eſt obſcuritas. Quæ ſcripta vti ad vetus teſtamentum ſpectant; ita aliis, ab Auguſtino itidem compoſitis, libri noui fœderis illuſtrantur. Sunt illi: de *conſenſu euangeliſtarum libri* IV. de *ſermone domini in monte libri* II. *quæſtionum enangeliorum libri* II. *quæſtionum in euangelium ſecundum Matthæum liber* I. *in Ioannis euangelium tractatus* CXXIV. in *epiſtolam Ioannis tractatus* X. *expoſitio quarumdam propoſitionum ex epiſtola ad Romanos liber* I. *epiſtolæ ad Romanos inchoata expoſitio* atque *expoſitio epiſtolæ ad Galatas.* In iam enarratis commentationibus Auguſtinus oſtendit vim ingenii ac iudicii ſatisque probauit, ſe dotibus, ſcripturam ſacram interpretandi, non deſtitutum fuiſſe. Multa dixit, quæ codici diuino lucem præbent atque vtilitatem adferunt; hanc autem ob cauſſam laudari debent. Nec tamen deſunt vitia, cum aliis antiquioris eccleſiæ doctoribus, græcis ac latinis, communia, quæ merito vituperantur. Digreditur ſæpe a principali argumento, quod enarrandum eſt, ac de dogmatibus aliisque rebus diſſerit. Pro ingenio ſuo ſubtili proponit quæſtiones; nec ad omnes adcurate reſpondet. Quæ ſenſum litteralem habent, ea dicta nonnumquam allegorice interpretatur. Exſtitit, vti alii, linguæ ebrææ ac græcæ ignarus.

HIERO-

HIERONYMI commentarii in *ecclesiasten*, in *prophetas maiores* ac *minores*, quibus inter reliquas eius expositiones primum locum deberi, omnes harum rerum periti fatentur: porro in *Matthaeum*, in quem festinanter se commentatum esse, ipse non diffitetur: in *epistolas ad Galatas*, *ad Ephesios*, *ad Titum*, *ad Philemonem*. Praeter commentarios hos, Hieronymus alia scripsit, quae ad theologiam exegeticam quodam modo pertinent hucque referre possumus librum de *interpretatione nominum ebraicorum*: de *locis ebraicis*; siue de *situ et nominibus locorum ebraicorum*: librum *quaestionum ebraicarum in genesin*, quo versionem latinam cum textu ebraeo ac versionibus graecis confert, vna cum variis eius *epistolis*, quae criticae, siue exegeticae sunt. Quemadmodum inter graecos ordinis sacri patres Origenes; ita inter latinos Hieronymus princeps fuit diuinae scripturae interpres. Quum enim linguarum ebraeae, chaldaeae, graecae ac latinae peritus esset: interpretationibus graecis, quae in ORIGENIS *hexaplis* erant, vteretur: eruditos iudaeos consuleret: graecorum latinorumque scriptorum commentarios legeret, iis sane subsidiis instructus erat, quae ad codicem diuinum, rite explanandum, necessaria sunt. Multa et sunt inscriptis illius exegeticis vtilia ac laude digna. In sensu litterali inuestigando maius studium collocauit, quam reliqui generis huius doctores. Sed tamen minus existimandum est, eum vitiorum exstitisse expertem. Loca nonnumquam ita explicat, vt haud consideret, qualis sit orationis nexus ac quamuis sensum scripturae litteralem diligenter eruat; mysticum tamen quoque consectatur atque hac in re interdum ingenio suo nimis indulget. Vitium tamen hoc erat non tam ipsius Hieronymi; quam seculi, quo vixit. In aliorum sententiis conferendis atque ostendendis non talem, qualis esse debet, industriam monstrat variaque scribit festinanter, vt videtur; non satis cogitate.

MARCI AVRELII CASSIODORI libri duo de *institutione diuinarum litterarum*, quibus veluti isagogen ad theologiam exegeticam exhibet ac notitiam veterum interpretum suppeditat: *commentarii in psalmos*, ex Augustino fere sumti,

ſumti, vti ipſe fatetur: *complexiones in epiſtolas et acta apoſtolorum et apocalypſin.*

PRIMASII *commentaria in epiſtolas Paulli*, quæ ex Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, etiam Pelagii commentariis collecta ſunt, ac *commentaria in apocalypſin.*

§. V.

Quum de patrum eccleſiæ theologia exegetica diſſerere cœpi, in argumento hoc, ſatis illuſtrando, progredior ac merito illorum mentionem facio, qui *metaphraſes* ſcripſerunt ac libros diuinos; aut ſingulares illorum res expoſuerunt ſermone ligato. Antiquiores chriſtiani doctores in hoc commentandi genere ingenia ſua exercuerunt; non omnes autem metaphraſes, ab iis compoſitæ, ad nos peruenerunt, quum aliæ ſunt conſeruatæ: aliæ interierunt. Nec omnes debitam fidem atque auctoritatem præ ſe ferunt ſuntque in illis, quæ in adulterinis monimentis recte numerantur. Neceſſe igitur eſt, vt diſtincte ac cum iudicio de illis dicamus:

Metaphraſes, quæ partim interierunt; partim ad ſcripta ficta pertinent, ſilentio prætermitto. In iis, quæ germani ſunt libri atque in manibus noſtris verſantur, eminet: NONNI *μεταβολὴ τȣ̃ κατὰ Ιωάννην ἁγίȣ ἐυαγγελίου, metaphraſis epica euangelii ſancti Ioannis*, quæ ſæpius edita eſt græce ac latine. Sententiæ eruditorum virorum de illa diuerſæ ſunt. Nonnulli metaphraſin hanc vituperant, inprimis DANIEL HEINSIVS, qui edidit: *Ariſtarchum ſacrum; ſiue ad Nonni in Ioannem metaphraſin exercitationes*, vna cum ipſa Nonni metaphraſi, Lugduni Batauorum MDCXXVII. 8. eoque Nonnum quouismodo perſtrinxit ac nunc inſcitiæ; nunc prauæ doctrinæ Arianorum inſimulauit. * Oppoſuit CASPAR VRSINVS *Nonnum rediuiuum*, Hamburgi MDCLXVII. 8. ac cauſſam Nonni aduerſus Heinſium egit. Defenderunt eumdem et alii; nec male iudicarunt, Heinſium

* HEINSII *Ariſtarchus ſacer*, omiſſa ipſa NONNI *metaphraſi*, ſubiectus eſt eiusdem *ſacris exercitationibus ad nouum teſtamentum* p. 633. quæ prodierunt Lugduni Batauorum MDCXXXIX. fol.

ſium *Ariſtarchum* ſcribendo, famæ ſuæ haud bene conſuluiſſe. Inter latinos ſcriptoribus huiusmodi metaphraſium adiunxit ſe C. VETTIVS AQVILINVS IVVENCVS in *hiſtoriæ euangelicæ quatuor libris*, quibus commentarios quatuor euangeliſtarum hexametris verſibus pene ad verbum transtulit ac ſimul eorum harmoniam exhibuit. Non ſemel metaphraſis hæc in lucem prodiit præcipueque editio, variorum notis inſtructa, ſe commendauit, quam induſtriæ *Erhardi Reuſchii* debemus, Francofurti MDCCX. 8. Locus et hic adſignari poteſt COELIO SEDVLIO, celebri poetæ chriſtiano, ob carmen eius *paſchale; ſiue mirabilium diuinorum libros quinque*, qui metaphraſin complectuntur eorum, quæ euangeliſtæ de miraculis ſeruatoris noſtri narrant, et ob duos *hymnos:* alterum de *collatione veteris ac noui teſtamenti:* alterum de *vita chriſti.* Nec prætermittendus eſt ARATOR, quoniam reliquit *actus apoſtolorum Petri et Paulli, verſibus expreſſos hexametris*, libris duobus, addoque etiam PROBAM FALCONIAM, quæ ſcripſit *centonem virgilianum* eoque verſibus, ex Virgilio ſumtis, varias vtriusque teſtamenti hiſtorias expreſſit. Videantur: IO. GEORGII NEVMANNI diſſertatio de *metaphraſtis, qui nouum teſtamentum græco carmine expreſſerunt*, Vitembergæ MDCLXXXVI. * vna cum HENRICI MVHLII diſſertatione de *poetis epiſcopis*, Kilonii MDCXCIX. iisque, quæ hac de re ſcripſerunt: IO. ALBERTVS FABRICIVS ** et IO. FRANCISC. BVDDEVS. ***

§. VI.

Præter interpretationes ſacrarum ſcripturarum, quas patres ac ſcriptores eccleſiaſtici reliquerunt ac quarum antea fecimus commemorationem, ab iisdem alia monimenta accepimus, ita compoſita, vt quamuis non ipſas expoſitiones codicis diuini complectantur; ſubſidia tamen ad explanandam ſcripturam ſacram præbeant atque vtilitatem adferant, ſi illa rite adhibentur. Spectant

* eſt illa in eiusdem *primitiis diſſertationum academicarum* p. 238.
** *bibliothec. græc. volumin.* VII. p. 658.
*** *iſagog. ad theologiam vniuerſam libr.* II. *cap.* 8. p. 1624.

ctant huc inprimis nonnullorum libri geographiæ ac chronologiæ.

Referri huc poteſt EVSEBII, qui inter veteres geographiæ biblicæ lucem adtulit, liber *περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, de nominibus locorum et vrbium in ſacra ſcriptura.* Recenſuit in iſto nomina dictorum locorum ordine litterarum: eorumdem ſitum ac quomodo ætate eius adpellarentur illa, explicuit. In indice hoc ab Euſebio alia omiſſa; alia, quum is linguæ ebrææ ignarus eſſet ac verſionem ſeptuaginta interpretum ſequeretur; vitioſe poſita ſunt, id, quod iam antea animaduerti. HIERONYMVS monimentum hoc in ſermonem latinum transtulit; ita tamen, vt multa detraheret, adderet, mutaret. Per longius tempus interpretatio hæc ſola lecta; nec liber prius græce lucem vidit, quam quum IACOBVS BONFRERIVS ad iſtum græce emittendum manus admoueret ac laudabilem operam adhiberet. Emendauit Euſebium ex Hieronymo et hunc ex illo: faciliori ordine omnia digeſſit: nouam compoſuit verſionem: inſignes adnotationes, ſupplementa, tabulam chorographicam Palæſtinæ adiecit atque operi huic eam conciliauit dignitatem, vt inter volumina geographiæ ſacræ princeps habeatur. Præmiſſum eſt commentariis eius in *Ioſuam, Iudices et Ruth*, Pariſiis MDCXXXI. atque iterum MDCLIX. fol. ac titulum præfert: *onomaſticon vrbium et locorum ſacræ ſcripturæ; ſeu liber de locis ebraicis græce primum ab Euſebio cæſareenſi: deinde latine ſcriptus ab Hieronymo; in commodiorem vero ordinem redactus: variis additamentis auctus notisque et tabula geographica Iudææ illuſtratus.* Poſt Bonfrerium de libro hoc bene meritus eſt IO. MARTIANAEVS. Exhibuit enim iſtum græce, ad exemplum manuſcriptum denuo recenſitum, cum Hieronymi latina interpretatione, ad codices manu exaratos caſtigata; omiſſis tamen Bonfrerii notis, in HIERONYMI *operibus*, * ab eo editis. Denique IO. CLERICVS curauit, vt integrum opus, a Bonfrerio editum, adcurate ac nitide litterarum formis iterum deſcriberetur; nec ſolum animaduerſiones; ſed etiam BRO-

CAR-

* *tomo* II. Pariſiis MDCXCIX. edito.

CARDI, monachi ex ordine prædicatorum, *descriptionem terræ sanctæ* addidit, Amstelodami MDCCVII. fol. Idem EVSEBIVS *chronicon*, παντοδαπὴ ἱςορία dictum, reliquit. Duæ sunt illius partes, in quarum prima, cuius inscriptio est: χρονικοὶ κανόνες παντοδαπῆς ἱςορίας, hodie valde mutila, omnium pene gentium, origines et res maxime memorabiles ab orbe condito prosequutus est; in secunda autem, quæ κανὼν χρονικὸς adpellatur, cuncta ad temporum ordinem dispofuit. *Hieronymus* latine vertit *chronicon* hoc; nimiam autem adhibuit libertatem. Græca perierunt, præter fragmenta, quæ chronologi recentiores ab interitu vindicarunt, Syncellus inprimis, Cedrenus atque alii. Collegit ista IOSEPH. IVSTVS SCALIGER ac cum Hieronymi latina interpretatione suisque animaduersionibus in *thesauro temporum* edidit, Lugduni Batauorum MDCVI. fol. et Amstelodami MDCLVIII. fol. quæ posterior editio Scaligeri commentarios adcuratiores et multo locupletiores exhibet. Iusta tamen est dubitandi ratio, omnia ab Eusebio profecta esse, quæ ei in *thesauro* hoc tribuuntur. Merito et eruditi viri animaduertunt, Scaligerum non cuncta distincte præbere atque interdum ab eo aberrare, quod rectum est. Opus hoc itidem interpreti codicis sacri lucem præferre potest.

§. VII.

In veteri ecclesia christiana exstiterunt quoque, qui in locis scripturæ sacræ, quæ inter se pugnare videntur, conciliandis ac codicis diuini consensu demonstrando, operam collocarent. Quo labore perfungendi, impositam sibi esse necessitatem, putabant, quoniam hostes christianæ religionis id agebant, vt diuinam auctoritatem codicis sacri labefactarent hancque ob rem ipsi dissensionem ac contradictiones scriptorum sacrorum obiiciebant. Aduersariis his vt veteris ecclesiæ doctores resisterent, non solum oblata occasione, maxime in scriptis polemicis, effata scripturæ, quæ inter se contraria esse videntur, coniunxerunt; sed etiam fuerunt, qui singulari studio scripta componerent iisque consensionem librorum diuinorum monstrarent.

Antiquioris ætatis ſcripta harmonica ad euangeliſtas præcipue ſpectant. Compoſuiſſe iſta, traduntur, quos nunc memorabo:

TATIANVS, qui primus harmoniam euangelicam ſcripſiſſe dicitur. Inter alia *catenam* et *collectionem euangeliorum* contexuit eamque *διὰ τεσσάρων*, hoc eſt, *euangelium, ex quatuor euangeliis compoſitum*, adpellauit. * Quæ *collectio euangeliorum* pro harmonia euangeliſtarum non ſolum habetur; ſed exſtat quoque harmonia ac Tatiano tribuitur. Seculo ſexto latine illam reddidit VICTOR *capuanus* ac Tatiano adſcripſit; ſeculo duodecimo autem ZACHARIAS, epiſcopus Chryſopolitanus, in eamdem *commentariorum libros quatuor* compoſuit. ** Quum præter hanc, alia antiqua harmonia euangelica exſtat, quam OTTOMARVS LVSCINIVS in ſermonem latinum conuertit ac ſub nomine AMMONII *Alexandrini* euulgauit, Auguſtæ Vindelicorum MDXXIII. et hæc a Tatiano exarata eſſe dicitur eique in verſione theotiſca tribuitur, illa nimirum, quam IO. PHILIPPVS PALTHENIVS edidit atque animaduerſionibus illuſtrauit, ſub titulo: *Tatiani Alexandrini harmoniæ euangelicæ antiquiſſima verſio theotiſca, vt et Iſidori Hiſpalenſis ad Florentinam ſororem de natiuitate domini, paſſione, reſurrectione libri, eadem lingua conuerſi, fragmentum*, Gryphiswaldiæ MDCCVI. 4. *** Sed tamen vtramque iam memoratam harmoniam, cum a Victore in linguam latinam translatam; tum ſub Ammonii nomine editam, Tatiano falſo tribui, viri doctiſſimi abunde demonſtrarunt.* Sæpius illa latine prodiit: **

AMMO-

* apud EVSEBIVM *libr.* IV. *hiſtor. eccleſ. cap.* 29.

** ſunt in *bibliothec. maxima patrum lugdunens. tom.* XIX. p. 732.

*** *memoires de Treuoux* MDCCIX. *nouembr.* p. 1903. *acta eruditor.* MDCCVI. p. 327. *vnſchuldige nachrichten*, 1706. p. 573.

* legantur: FABRICIVS *codice apocrypho noui teſtamenti* p. 377. ITTIGIVS *hiſtor. eccleſiaſt. ſeculi ſecundi* p. 17. ac *diſſertatione de hæreſiarchis* p. 200. PAGI *critica in annales Baronii tom.* I. p. 167. MILLIVS *prolegomenis noui teſtamenti græci* p. 38. VALESIVS *adnotationibus in Euſebii hiſtor. eccleſiaſtic. libr.* IV. *cap.* 29. TENTZELIVS *diſſertation. ſelect. part.* I p. 224. BVDDEVS *iſagog. ad theologiam vniuerſ. libr.* II. *cap.* 8 p. 1588.

** edita illa eſt latine non ſemel; ſed iterum atque iterum in *orthodoxographis* et in *bibliothecis patrum*.

AMMONIVS *Alexandrinus*, cui *harmoniam*, a VICTORE *capuano* latine conuerſam atque antea a me memoratam, doctiſſimi viri adſcribunt ac ſimul pronuntiant, Ammonium hunc primum ad harmoniam componendam ſe contuliſſe. Edidit illam *Michael Memlerius*, ſub titulo: *quatuor euangeliorum conſonantia*, Moguntiæ MDXXIV. Differt harmonia hæc ab ea, quam OTTOMARVS LVSCINIVS, vti antea narraui, iuris publici fecit quæque et poſtea ex recognitione *Caſparis Bruſchii* in lucem exiit, Erfurti MDXLIV. 8. et in *micropresbytico*, Baſileæ MDL. fol. Præ ſe habet iſta AMMONII nomen; quem autem Ammonium Alexandrinum iuniorem, ſeculi quinti ſcriptorem; aut alium eruditum auctorem eſſe, nonnulli ſuſpicantur. * Tribuitur etiam Ammonio huic opus de *conſenſu Moſis et ieſu;* interiit autem illud.

IVLIVS *Africanus*, qui adducendus eſt ob *epiſtolam ad Ariſtidem de diſſenſione, quæ videtur eſſe inter Matthæum et Lucam in genealogia chriſti enarranda*, vbi id agit, vt ex traditione quadam diſſenſum, qui inter Matthæum ac Lucam eſſe videtur in genealogia chriſti, tollat. Partem epiſtolæ huius exhibet EVSEBIVS. **

THEOPHILVS *Antiochenus*, quem *harmoniam euangeliſtarum* compoſuiſſe, HIERONYMVS *** auctor eſt, niſi ſuſpicari velimus, illum per *harmoniam* commentarios in euangelia intelligere; ab hac autem coniectura quando abſtinemus ac *harmoniam* de ſingulari libro ſumimus, periit illa; nec ad nos delata eſt:

EVSEBIVS, qui ad locum hunc refertur ob *canones euangelicos*, harmoniæ euangeliſtarum inſeruientes, quos HIERONYMVS * Ammonio Alexandrino adſcribit; recte

 autem

* MILLII *prolegomena noui teſtamenti græci* p. 162. ITTIGII *præfatio tractatus de bibliothecis et catenis patrum* p. 300. BVDDEI *iſagoge ad theolog. vniuerſ. libr.* II. *cap.* 8. p. 1589.

** *libr.* I. *hiſtor. eccleſiaſtic. cap.* 7. Eſt illa quoque apud NICEPHORVM *libr.* I. *cap.* II.

*** in *epiſtola;* ſiue *libro quæſtionum ad Algaſiam*, *tom.* IV. *operum part.* I. p. 197. edition. MARTIANAEI.

* de *viris illuſtribus cap.* LV.

autem docti viri animaduertunt, Hieronymum aut errare; aut non ſatis adcurate loqui. Non ſolum CASSIODORVS* canones illos Euſebio diſerte tribuit; ſed etiam EVSEBIVS ipſe ** teſtatur, AMMONII *monoteſſaron* occaſionem ipſi dediſſe, canones hosce excogitandi. Eam ob rem adfirmant alii, illos non ad Ammonium; ſed ad Euſebium tamquam auctorem referendos eſſe. *** Alii arbitrantur, canones hos ab Ammonio quidem excogitatos; ab Euſebio autem perpolitos eſſe.

AMBROSIVS, ſub cuius nomine breuius ſcriptum exſtat de *concordia Matthæi et Lucæ in genealogia chriſti*; illud autem adulterinum eſſe, ſatis probatum eſt. *

AVGVSTINVS, cuius de *conſenſu euangeliſtarum* libri quatuor ad nos peruenerunt. Sunt illi luculentum harmoniæ euangelicæ monimentum, ab Auguſtino eo conſilio ſcriptum, vt veritas atque auctoritas euangeliorum a calumniis hominum ſuperſtitioſorum defenderetur.

§. VIII.

Veterum chriſtianorum doctores, quos patres adpellamus, nec recte; nec adcurate ſemper ſcripturam ſacram interpretatos eſſe, ſatis conſtat. Quas reliquerunt, explicationes abunde probant, illos varia ratione a recta via aberraſſe: nunc in interpretationibus myſticis atque allegoricis nimios fuiſſe; ſenſum autem litteralem ſine iuſta cauſſa neglexiſſe: nunc digreſſiones feciſſe atque omiſſa verborum expoſitione, dogmata explanaſſe ac pertractaſſe controuerſias: nunc vocum ſignificationes non debita indagaſſe induſtria. Minus tamen propter næuos hos ſcripta iſtorum exegetica contemnenda; multo minus perſtringenda ſunt; ſed propter

* *inſtitut. diuinar. ſcriptur. cap.* VII.

** *epiſtola ad Carpianum, canonibus* hiſce præmiſſa.

*** in illis eſt SIMON *hiſtoir. crit. commentat. noui teſtam. cap.* VI. p. 90.

* exſtat illud in AMBROSII *operum adpendice*, *tomo* II. p. 609. edit. Benedictinor. Pariſiis MDCXC.

propter veritatem pariter ac amorem decet nos, merita patrum in rebus exegeticis laudare ac minus probanda propter varias cauſſas excuſare.

Inter patrum vitia exegetica primum locum tenet nimium ſtudium interpretationis myſticæ; ſpeciatim allegoricæ, cuius multa exempla illi nobis præbent, nominatim: THEOPHILVS *Antiochenus*, HILARIVS, CYRILLVS *Alexandrinus*, inprimis ORIGENES, qui diuerſos quidem modos ſcripturam ſacram explicandi adhibuit; maxime tamen allegoricam rationem ſectatus eſt atque ex ea cepit voluptatem. Ei alii, præter iam memoratos, addicti fuerunt atque in illis quoque libris, quibus ex inſtituto non exegetica; ſed dogmatica ac polemica enarrant ac quum ſæpe ad ſcripturam ſacram prouocant, eam modo allegorico interpretantur. Exempla, quæ hoc probant, IRENAEVS, TERTVLLIANVS, CLEMENS *Alexandrinus*, CYPRIANVS atque alii exhibent. Studium tamen interpretationis allegoricæ tantum fuiſſe apud patres hos, vt illi ſenſum litteralem plane negligerent, minus exiſtimandum dicendumque eſt. Exſtiterunt omnino inter eos, qui indagarent, qualem ſententiam verba per naturalem ſignificandi vim ſuam prodant, id quod HIERONYMVS exemplo ſuo confirmat, vna cum AVGVSTINO, eiusdem rei teſte.

Nec plane adprobandæ ſunt digreſſiones, quas patres non raro fecerunt atque a dicto ſacro, in quo interpretando verſantur, occaſionem ſumſerunt, dogma religionis noſtræ explanandi; vel aduerſariorum errores confutandi. Quamuis enim ab iis multa præclare atque vtiliter dicta ſint; iuſtum tamen modum interdum negligunt atque in digreſſionibus longiores ſunt; quam in re ipſa principali; ſiue expoſitione dicti, nunc inſtituenda. Qualem ſignificandi vim voces habeant, ſiue ſimplices illæ ſint; ſiue coniunctæ cum aliis, non diligenter indagarunt hocque non aliter fieri potuit. Patres enim, ſi Origenem ac Hieronymum excipiamus, linguarum haud periti erant, id quod antea vberius ediſſerui. Omnia hæc, quæ iure in patrum theologia exegetica reprehendi poſſe videntur, non impediunt, quominus eos laudemus ac, quando haud

 recte

recte scripturas diuinas interpretati sunt, excusemus. Reputanda est ratio temporis, quo isti vixerunt, ac litterarum, quibus se consecrarunt. Sane si iis subsidiis, quibus nos vti possumus, instructi fuissent, ab eorum ingeniis atque industria eximia theologiae exegeticae documenta exspectari potuissent. Lucem viderunt varia scripta, quae argumentum hoc illustrant hucque referri possunt:

DANIELIS WHITBY *dissertatio de sacrarum scripturarum interpretatione secundum patrum commentarios, in qua probatur, sacram scripturam esse regulam fidei vnicam, ex qua de omnibus articulis fidei, creditu necessariis ad salutem, iudicium ferendum est; patres siue primaeuos; siue subsequentes non esse idoneos sacrae scripturae interpretes: non posse controuersias, de sacra trinitate motas, ex patribus, conciliis; aut traditione, vere catholica; certo definiri*, Londini MDCCXIV. 8.* qui patribus ecclesiae, interpretibus sacrarum scripturarum, minus, quam par est, tribuere videtur. In eo studia sua collocauit, vt probaret, scripturam esse vnicam fidei regulam: patres idoneis interpretibus litterarum sacrarum haud adnumerari posse: controuersias de trinitate non ex patribus, conciliis; aut traditione vere catholica certo definiendas.

IO. DIETERICI WINCKLERI praefatio ad *philologemata Lactantiana sacra, variis locis tum sacri codicis illustrandis; tum Lactantii explicandis corrigendisque inseruientia*, qua de studiis exegeticis patrum ecclesiae erudite disputat.

ALBERTI ZVM FELDE *decas obseruationum sacrarum ex patribus apostolicis*, Kilonii MDCCXI.

CHRISTOPHOR. WOLLII *hermeneutica noui foederis acroamatico-dogmatica*, quam eam ob caussam adduco, quia auctor praeter alia narrat, quid veterum christianorum doctores in theologia exegetica praestiterint.

DAVIDIS MILLII *oratio* de *fatis theologiae exegeticae*, Traiecti ad Rhenum MDCCXXIX.

SIGIS-

* BERNARDI *nouuelles de la republique des lettres* MDCCXVII. *mart. et april.* p. 215. CLERICI *bibliotheque ancienn. et modern. tom.* VI. p. 128. *iournal literaire tom.* VI. p. 75.

SIGISMVNDI BASCHII dissertatio de *interpretatione noui testamenti ex patribus apostolicis*, Lipsiae MDCCXXVI.

IO. SALOMON. SEMLERI dissertatio de *antiquitatibus hermeneuticis ex Tertulliano, quibus noui testamenti loca quaedam illustrantur*, Halae MDCCLXV. cui addi potest: eiusdem *dissertatio historico-theologica de mysticarum interpretationum studio ab Aegyptiis patribus maxime repetendo, hodie parum vtili*, ibidem MDCCLX.

IO. IVSTI LOSII *exercitatio de defectu iudicii logici in scriptoribus ecclesiasticis et haereticis veteris ecclesiae.* *

IO. FRANCISCI BVDDEI *exercitatio historico-philologica de allegoriis Origenis*, Vitembergae MDCLXXXIX. ** Ob nimium allegoriarum studium Origenes iam ab antiquis reprehensus est, ab Epiphanio, Hieronymo, Basilio, Chrysostomo, Augustino atque aliis. Legantur et: PETRVS DANIEL HVETIVS, *** CAROLVS DE LA RVE. *

IO. CLERICI *quaestiones Hieronymianae, in quibus expenditur Hieronymi nupera editio Parisina multaque, ad criticam sacram et profanam pertinentia, agitantur*, Amstelodami MDCC. 8. quem librum eam ob rem memoro, quoniam eo Clericus Hieronymi interpretationes ac commentarios nimis reprehendit. Qui ediderat HIERONYMI *opera*, IO. MARTIANAEVS defendit se ab aduersario hoc, quod iam antea a me dictum est.

Locum hunc quodam modo adsignare quoque possum TOBIAE PFANNERI *amoenitatibus sacrae scripturae, a patribus aliisque explicatae, vindicatae, illustratae*, Francofurti et Lipsiae MDCXCVIII. 8. vbi praecipue patrum scripta recensentur, quibus diuina dicta explicata atque illustrata exhibentur; neque autem iusto delectu; neque debita industria. Multa sine ordine narrata: multa omissa sunt hocque nomine liber hic non magni momenti: non magnae vtilitatis est.

CAPVT

* quam IO. DIETERICVS WINCKLERVS iuris publici fecit et in *tempen, anecdota sacra varia complexam* p. 409. transtulit.

** est in eiusdem *parergis historico-theologicis* p. 139.

*** *Origenianor. libr.* II. *cap.* 2. *quaest.* 13. p. 170.

* *praefation. ad Origenis operum tomum* II.

CAPVT IX.
DE PATRVM ECCLESIAE ERVDITIONE SACRA, SPECIATIM THEOLOGIA DOGMATICA.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Commemorantur patres ecclesiæ, qui singularia fidei dogmata exposuerunt §. I. II.
Minus autem compendia scripserunt; nec methodo systematica vsi sunt §. III.
Qui testimonia veritatis euangelicæ ediderunt, cum vniuerse considerati §. IV. V.
Tum singulares patres, cum notitia auctorum, qui testimonia hæc recensuerunt, illustrarunt, vindicarunt §. VI - XIII.

Postquam de patrum theologia exegetica exposui atque narraui, qualem scripturas sacras interpretandi rationem illi sequuti sint, progredior ad eorumdem *theologiam dogmaticam*, eo consilio, vt non solum ipsa fidei dogmata recenseam, quæ ab illis tradita atque explanata sunt; sed etiam methodum docendi, a patribus adhibitam, illustrem ac speciatim ostendam, quid ad quæstionem respondendum sit: num antiquiores christianorum doctores compendia ac systemata theologiæ dogmaticæ scripserint atque alios instituendo, methodo, illorum propria, vsi fuerint?

§. II.

Dogmata fidei ipsa duplici modo in patrum monimentis tradita ac conseruata sunt, quum alii ista oblata tantum occasione explicarunt, quando præcipue aduersarii cælestis doctrinæ profligandi atque errores eorum confutandi erant. Alii studia sua ad fidei articulos enarrandos ita contulerunt, vt ex animi decreto atque ex instituto ad laborem hunc adgrederentur ac singularia de illis monimenta componerent atque ad posteros transmitterent. In his locum sibi fecerunt:

ATHENAGORAS, qui reliquit libellum de *resurrectione*, sæpius editum graece ac latine:

TERTVL-

TERTVLLIANVS, cuius duo ſcripta ad nos peruenerunt, loco hoc memoranda. Alterum eſt liber de *baptiſmo*, cui occaſionem præbuit Quintilla quædam, quæ Caianam hæreſin profeſſa, baptismum impugnauit, ac plerosque Carthaginenſes ad partes ſuas traxit. Alterum eſt liber de *reſurrectione carnis*.

HILARIVS *Pictauienſis*, cuius opus duodecim librorum de *trinitate* ab iniuria temporis ſe vindicauit et ad nos delatum eſt. Multum illud laudat ERASMVS, * verbis his: *videtur tota vi adniſus, vt in hoc opere declararet atque exerceret, quidquid ingenio, quidquid eloquentia, quidquid ſacrarum litterarum cognitione poſſet*, qui et in libris his emendandis præcipue ſingularem operam poſuit.

BASILIVS *magnus*, quem huc refero ob libros duos de *baptiſmo*, ſpeciatim de inſtitutione eorum, qui ſalutari aqua abluendi ſunt deque vita ſanctiore, a baptizatis amplectenda. Addi poteſt BASILII huius liber de *ſpiritu ſancto ad Amphilochium*, Iconii in Lycaonia epiſcopum, qui ſcriptus quidem eſt occaſione Aetianorum, ſpiritum ſanctum rebus creatis praue adnumerantium; illi tamen et inter ſcripta dogmatica locum quodam modo adſignare licet. Librum hunc germanum eſſe monimentum ac Baſilio recte tribui, ERASMVS negauit; aut ſaltem dubitauit huncque alii ſequuti ſunt. Fuerunt tamen, qui reſiſterent ac grauioribus argumentis probarent, Baſilium librum hunc omnino ſcripſiſſe. Inter defenſores hos princeps eſt ISAAC. CASAVBONVS. **

GREGORIVS *Nyſſenus*, qui ob varia ſcripta memorari poteſt. Exſtant eius liber de *opificio hominis*, ad Petrum fratrem, Sebaſtenum epiſcopum: *Macrinia;* ſiue de *anima et reſurrectione dialogus* cum ſorore Macrina, quum Baſilium fratrem exſtinctum lugerent: *ad Euſtathium de ſancta trinitate et quod ſpiritus ſanctus ſit deus:* de *eo, quod non putandum ſit, tres dici deos oportere*: de *differentia eſſentiæ et hypoſtaſeos*, quæ tria monimenta, ad trinitatem ſpectantia, etiam in ſcriptis polemicis numerari poſſunt.

AMBRO-

* *præfatione ad Hilarii opera.*

** *exercitation.* XVI. *cap.* 43.

AMBROSIVS, cuius adduci possunt: de *fide;* vel vt codices nonnulli habent, de *fide et trinitate ad Gratianum aug. libr.* V. de *spiritu sancto libri tres*, ex Didymi vt plurimum, Basilii aliorumque Græcorum scriptis collecti: de *mysteriis;* siue de *iis, qui mysteriis initiantur liber.* Nomen *Ambrosii* præ se quoque habent libri sex de *sacramentis;* omitto autem illos, quum in vtramque partem disputatur, num Ambrosius eorum sit auctor; nec ne? Certum quidem atque exploratum est, Ambrosium libros de *sacramentis* scripsisse; non sine caussa autem plerique existimant, qui hodie exstant, eos ab Ambrosio non compositos; aut ita interpolatos fuisse, vt nouam plane faciem induerint.

CHRYSOSTOMVS libris sex de *sacerdotio:* libris tribus de *prouidentia dei*, ad Stagirium monachum.

CYRILLVS *Alexandrinus*, auctor variorum scriptorum, quibus locus hic adsignari potest. Sunt illa: *thesaurus; siue de sancta et consubstantiali trinitate:* de *sancta et consubstantiali trinitate dialogi* VII. quibus subiungitur veluti compendium dialogi septimi, de *spiritu sancto* inscripti, et potius argumentorum, in isto adductorum, epitome: *dialogus* de *incarnatione vnigeniti*: alter, *quod vnus sit christus:* liber de *recta fide*, ad Theodosium imperatorem.

THEODORETVS, cuius decem *orationes de prouidentia*, Antiochiæ habitæ, conseruatæ atque ad nos delatæ sunt. Exstat quoque eiusdem opus, inscriptum: *eranistes;* siue *polymorphus*, quatuor libris, quorum tres priores dialogi formam habent. Quartus inscribitur: *demonstratio per syllogismos.* Exponitur præcipue de vnione duarum naturarum in christo.

SALVIANVS, qui ad posteros transmisit: libros octo de *prouidentia et gubernatione dei deque iusto ac præsenti eius iudicio*, ad Salonium episcopum, discipulum olim suum.

FVLGENTIVS, cuius de *veritate prædestinationis et gratia* libros tres *Iacobus Sirmondus* edidit Parisiis MDCXII. 8. A reliquis huiusmodi scriptis commemorandis abstineo.

§. III.

§. III.

Minus tamen exiſtimandum eſt, patres eccleſiæ; ſiue doctores ſex priorum ſeculorum chriſtianos compendia exaraſſe ac methodum ſyſtematicam adhibuiſſe. Scripta, quibus hoc probare volunt, ea minus monſtrant ac præferunt, quæ ad ſyſtema eiusque methodum pertinent. Princeps enim rei huius ratio non in ipſis dogmatibus, quæ explicantur; ſed in ordine, quo iſta inter ſe cohærent, poſita eſt.

Varii patres eccleſiaſtici memorantur, qui in tradenda theologia dogmatica methodo ſyſtematica vſi ſint; ad quæ autem tamquam exempla prouocant, ſcripta eorum minus valent ad probationem. Adducuntur, quorum nunc mentionem faciam ac monſtrabo, apud illos methodum ſyſtematicam non deprehendi. Sunt illi:

THEOPHILVS *Antiochenus*, cuius libros tres *ad Autolycum* compendium theologiæ chriſtianæ exhibere, nonnulli ſibi perſuadent huicque ſententiæ fauere videtur codex regius Pariſienſis, qui hanc inſcriptionem præ ſe fert: *περὶ τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως*, *de fide chriſtiana*, vna cum iis, quæ EVSEBIVS habet, quando libros hos *τρία τὰ πρὸς Ἀυτόλυκον στοιχειώδη συγγράμματα* adpellat, hoc eſt, interprete HENRICO VALESIO, *tres ad Autolycum libros, inſtitutionem fidei continentes.* * Sed qui ipſos libros hos attente perlegit, fatebitur, Theophilum in illis non compendium doctrinæ chriſtianæ exhibere; ſed in conſcribendis iſtis eum finem propoſitum ſibi habuiſſe, vt eos confutaret, qui plura numina venerantur. *Primo* libro nonnulla differit de deo, eſſentia eius atque attributis ac reſurrectionem mortuorum exemplis, quæ nec homines pagani negare audebant, comprobare adnititur; *ſecundo* autem ex ipſis ſcriptorum ſuperſtitioſorum monimentis oſtendit, falſam, vanam, ridiculam eſſe illorum religionem; ac *tertio* denique id agit, vt probet, ſcriptores ethnicos, poetas, hiſtoricos, philoſophos multa vana, falſa, inepta de diis ac de moribus tradidiſſe; hiſtoriam contra

* *libr.* IV. *hiſtor. eccleſiaſtic. cap.* 24.

tra Mosis omnium esse verissimam atque antiquissimam. Id quod vt probet, historiam chronologicam ab ortu mundi vsque ad sua tempora pertexuit. Ex his satis est manifestum, Theophilum non cogitasse de methodo systematica.

CLEMENS *Alexandrinus*, de quo nonnulli adfirmant, eum in libris ὑποτυπώσεων systema theologicum exhibuisse: immo primum fuisse, qui ad huiusmodi opus adgrederetur. Quando ANDREAS HYPERIVS de origine huiusmodi librorum loquitur, inter alia dicit: * *itaque primus fere adgressus est, id facere, circiter annum a christo nato centesimum octogesimum, Clemens Alexandrinus, qui in celeberrima schola theologica Alexandrina edidit libros* στρωματέων *octo et totidem* ὑποτυπώσεων. *In quorum priori opere, cum sacris confert etiam philosophica, ad docendos nimirum conuincendosque gentiles; in posteriori ex solis sacris litteris depromit vniuersa, referente Eusebio, histor. eccles. lib.* VI. *cap. 11. Post quem Dionysius quidam, incertum, Corinthiusne; an Alexandrinus, similiter* ὑποτυπώσεων *theologicarum emisit volumen.* Verum apud Eusebium ea non sunt, quæ HYPERIVS ex isto probare voluit. Clemens in libris his *hypotyposeon*; siue *institutionum* vtriusque testamenti, veteris et noui, breuiorem enarrationem instituit ac quæ a magistro suo Pantæno acceperat, a maioribus ipsi tradita, exposuit. Temporis iniuria abstulit nobis opus hoc, in quo *impios et fabulosos sermones:* immo *blasphemiarum portenta* inesse, notauit PHOTIVS. ** Attamen suspicatur, hæc ab aliena manu addita esse, non sine probabilitate, ac simul animaduertit, multa in libris his contineri, quæ Clemens in ceteris suis scriptis oppugnet. Opus igitur *hypotyposeon* minus systema theologicum nobis præbet ac qui hoc persuadet sibi, ille aperte errat.

ORIGENES, quem primum doctrinæ christianæ compendium composuisse, itidem nonnulli putant. GEORGIVS CALIXTVS scribit: *primus etiam Origenes summam doctrinæ christianæ scripto et libris complecti atque exponere, cona-*

* *lib.* III. *de ratione studii theologic. cap.* I. p. 396.

** *codic.* CIX. CXI.

conatus eſt, quos περὶ ἀρχῶν, quaſi religionis principia traderent, inſcripſit, etiamſi forte rem maiori induſtria et ſtudio, quam felicitate et ſucceſſu ſit exequutus. Interim tamen eam primus, quod equidem ſciam, adgreſſus eſt. * Ita etiam LVD. ELL. DV PIN ſentit dicitque: *Origenes primus eſt, qui theologiæ ſyſtema quoddam in opere, cui titulum fecit: περὶ ἀρχῶν, ſeu de principiis, primus adgreſſus eſt. Sed conatus hic nouus felici caruit ſucceſſu. Auctor enim hic genio ſuo nimium indulgens, dum doctrinam chriſtianam principiis philoſophiæ Platonicæ accommodare ſatagit, pluribus ſeſe irretiuit erroribus, qui poſtea memoriam et exiſtimationem nominis eius deturparunt.* ** Minus negandum eſt, Origenem in libris περὶ ἀρχῶν, ſiue de *principiis*, quos hodie latine tantum ex verſione Rufini exſtare, conſtat, præcipua religionis chriſtianæ capita attigiſſe, quod etiam PHOTIVS *** oſtendit, quando ſummam operis huius enarrat. Agere Origenem dicit libro *primo* de patre, filio et ſpiritu ſancto: *ſecundo* de mundo rebusque in eo conditis: de vno eodemque deo legis et prophetarum: de vno deo veteris et noui teſtamenti: de ſaluatoris incarnatione, eum ibi verba facere eumdemque ſpiritum in Moſe et aliis prophetis ſanctisque apoſtolis fuiſſe; item de anima, de reſurrectione, de poena, de præmiis: libro *tertio* de arbitrii libertate: qua ratione diabolus contrariæque poteſtates, ſecundum ſcripturarum doctrinam, cum humano genere pugnent: de mundo, eum habere ortum et corruptioni obnoxium eſſe, vt qui a tempore initium ſumſerit: *quarto* denique de fine vltimo: de diuinitate ſcripturarum deque ratione, easdem legendi atque intelligendi. Cuncta hæc ſi quis adcurate conſiderare velit, facile videbit, Origenem in memoratis dogmatibus tradendis non talem ſeruaſſe ordinem, qualem compendium; ſiue ſyſtema doctrinæ chriſtianæ requirit prætereaque de rebus diuinis ita commentatum eſſe, vt magis philoſophiæ; quam ſcriptu-

* in *adparatu theologic.* p. 122.
** *method. ſtudii theolog. cap.* II. p. 17.
*** *codic.* VIII.

ſcripturæ ſacræ normam ſequeretur. Taceo de erroribus non leuioris momenti, quos in libris his ineſſe, iam PHOTIVS notauit quumque Rufini interpretatio iſtorum non debita adcuratione compoſita eſt; nec certi quid de Origenis dogmatibus, ibi memoratis, pronuntiare licet. Videantur: PETRVS DANIEL HVETIVS * et IO. FRANCISC. BVDDEVS. **

CYRILLVS *Hieroſolymitanus,* qui reliquit *catecheſes* XVIII. *ad competentes;* ſiue ad eos, qui petebant, vt myſterio ſacri lauacri initiarentur. In illis Cyrillus primum de peccato, de baptismo præcipuisque fidei capitibus exponit; deinde autem omnes articulos ſymboli Hieroſolymitani fuſe explicat. Præter has, eiusdem auctoris habentur *catecheſes myſtagogicæ quinque πρὸς τοὺς νεοφωτίστους, ad eos, qui recens ſunt baptizati,* quibus præſertim de baptismo ac ſacra cœna agit atque officia ſalutari aqua ablutorum percenſet. Explicat ita quidem Cyrillus dogmata religionis chriſtianæ, non omnia; ſed nonnulla: non ordine naturali inter ſe connexa; ſed liberiori ſermone. Quæ quum ita ſint, non accepimus ab eo compendium ac ſyſtema theologiæ chriſtianæ. Deſunt in catecheſibus his, quæ ſyſtematis propria ſunt.

ATHANASIVS, quem nonnulli huc referunt ob *ſynopſin ſcripturæ veteris ac noui teſtamenti.* Inter *opera* eius locum illa obtinuit; aperte autem a vero aberrant, qui *ſynopſin* hanc ſcriptis ſyſtematicis adnumerant. Primum enim in illa non dogmata fidei proponuntur; ſed narratur, quid ſingulis ſcripturæ ſacræ libris contineatur. Conſenſio nunc præterea eſt inter eruditos viros, librum hunc Athanaſio perperam tribui. Idem ſtatuendum eſt de *ſyntagmate doctrinæ, ad homines ſolitarios omnesque chriſtianos, tam clericos; quam laicos,* qui libellus itidem Athanaſii nomen præ ſe habet atque a nonnullis inter ſcripta ſyſtematica numeratur; praue autem hoc fieri, eruditiſſimi viri ſatis monſtrarunt. Sane in *ſyntagmate* hoc non de dogmatibus fidei præcipitur; ſed vitæ morumque regulæ mona-

* *Origenian. libr.* III. *cap.* 3. *ſect.* 2. p. 266.

** *iſagog. ad theolog. vniuerſ. libr.* II. *cap.* I. *§.* 6. *p.* 347.

monachis præſertim, præſcribuntur. Num et Athanaſius *ſyntagma* hoc compoſuerit; nec ne? de eo diſputatur.

LACTANTIVS, cuius libri ſeptem *inſtitutionum diuinarum* haud complectuntur compendium; ſiue ſyſtema doctrinæ chriſtianæ, quamuis id inſcriptio illarum indicare videatur. Quædam tantum; non omnia dogmata religionis noſtræ, tradit Lactantius: de chriſto copioſe exponit; reliqua autem capita fidei prætermittit. Immo animus ipſi fuit, dogmata non tam explicare ac confirmare; quam defendere atque errores hominum ſuperſtitioſorum refellere, id quod ſinguli libri oſtendunt. Eorum *primo* diſſerit de falſa ſapientia impugnatque homines, qui plura numina colunt: *ſecundo* in originem erroris de rebus diuinis inquirit: *tertio* paganorum philoſophiam explodit: *quarto* exponit de chriſto ſpeciatimque de quæſtione: quomodo duæ perſonæ, pater et filius, ſint vnus deus? *quinto* de iuſtitia, quæ ſit apud ſolos chriſtianos: de vero numinis cultu contra eosdem gentilium philoſophos: *ſexto* ac *ſeptimo* de vita beata. Argumenta, quæ ad rem probandam adfert, non ſemper magnam vim confirmandi præ ſe habent; ſed iis ſæpe ſimilia ſunt, quibus oratores vtuntur. Recte dicit ABR. SCVLTETVS: * *quoniam plus operæ in falſis refutandis; quam in veris confirmandis poſuit Lactantius, ideo pauca fidei noſtræ capita plene ab eo ſunt expoſita: pleraque tantum attigit, plurima non intellexit.*

AVGVSTINVS, qui itidem nullum ſyſtema theologicum ſcripſit, ac quamuis nonnulla monimenta reliquerit, quæ libris ſyſtematicis adnumeranda eſſe, putari poſſent; hoc tamen iure haud fieri poteſt. Compoſuit *enchiridion ad Laurentium de fide, ſpe et caritate*, cura *Adami Rechenbergii* iterum editum, Lipſiæ MDCCV. 12: breuior autem tantum ſumma doctrinæ chriſtianæ eo exhibetur. Libri eiusdem de *doctrina chriſtiana* non de dogmatibus; ſed de ratione ſcripturam ſacram interpretandi, præcipiunt hocque nomine locum hunc haud obtinere poſſunt, id quod etiam dicendum eſt de ſcriptis eius catecheticis. Sed tamen negari

* *medull. theolog. patr. part.* I. *libr.* 10. *cap.* 11. p. 422.

gari haud poteſt, Auguſtinum, quum ille de rebus diuinis ſubtiliter diſputaret atque ex principiis formaret concluſiones; ita autem ſyſtematicam docendi rationem quodam modo ſectaretur, viam paraſſe ad docendi methodum, qua poſtea ſcholaſtici vſi ſunt. Recte nonnulli pronuntiarunt, fontem præcipuum, ex quo ſcholaſticorum theologia ſyſtematica in eccleſia occidentali hauſta ſit, Auguſtinum fuiſſe. Late hæc ediſſerit LVDOV. ELL. DVPIN verbis his, latine tantum huc transferendis: *vſitata eius methodus eſt, præclara principia ponere, ex quibus innumeras elicit conſequentias, adeo, vt omnia doctrinæ illius capita arctiſſimam inter ſe connexionem habeant. In plerisque myſteriis magis ratiocinatus eſt, quam vllus auctor ante illum: plures quæſtiones, prius non motas, agitat harumque plures ſola acuminis ſui vi diremit. Longe ſæpius abiit ab eorum ſententia, qui ipſum præceſſerunt, vt nouam prorſus viam inſiſteret, ſiue in ſcripturarum explicatione; ſiue in theologicis opinionibus. Circa res theologicas de eo dici poteſt, quod de ſe ipſo dicebat Cicero circa philoſophiam, quod fuerit magnus opinator, id eſt, quod plurimas opiniones, quæ meram habebant probabilitatem, in medium protulerit. Sed id fecit Auguſtinus admodum modeſte ac prudenter, non ea mente, vt alios ad arbitrium ſuum, cæcorum in morem, ſequendum adigeret. Contra vero, quum agitur de eccleſiæ doctrina, eam cum animi firmitate proponit ac tuetur, eamque oppugnantes fortiter adoritur. Multo minus eruditione; quam ingenii dotibus valebat. Nam neque linguas callebat; neque veterum ſcripta euoluerat. Multo facilius ac terſius; quam polite et eleganter ſcribebat. Quamuis rhetoricam docuiſſet; oratorum tamen eloquentiam non poſſidebat; aut illam ſaltem negligebat; immo nec ſemper in phraſibus ſuis caſtigatus eſt ſtilus eius, vocabulaque impropria atque barbara quandoque vſurpat, argutiis ſæpius vocumque alluſionibus vtitur: res easdem frequenter repetit eademque ratiocinia centies in ſcriptis ſuis inculcat. Eidem mentis conceptui diutius inhæret, quem variis modis effatur, et in locos communes excurrere ſolet. Argumenta innumera ex aliquo principio ediſſeruit corpusque*

* *nouuelle bibliothequ. des auteurs eccleſiaſtiqu. tom.* III. p. 256.

que theologicum, vt ita loquar, latinorum patrum, qui post ipsum vixerunt, efformauit. Hi siquidem ex illius libris non tantum hauserunt principia, quibus vsi sunt; sed etiam frequenter eumdem mere transscripserunt.

GENNADIVS *Massiliensis*, quem si quis existimare velit, recte ad locum hunc referri ac scriptoribus systematicis adnumerari ob librum de *dogmatibus ecclesiasticis*, sciat ille, se in peruersa persuasione versari. Per *dogmata ecclesiastica* intelligit ea, quæ recepta sunt in ecclesia ac contra hæreticos quosuis stabilita. Recenset illa Gennadius breuiter, sine iusto ac naturali ordine: nullum compendium: nullum systema nobis tradit. Non adquiescit in sola dogmatis explicatione; sed indicat quoque interdum, cui illud oppositum sit.

§. IV.

Quamuis patres ecclesiæ nulla theologiæ dogmaticæ compendia; siue systemata conscripserunt; de ipsis tamen fidei nostræ articulis ita præceperunt, vt præclara, maxime perspicua testimonia veritatis dicerent: dogmata ecclesiæ nostræ euangelicæ confirmarent: aduersariis, socinianis, pontificiis, reformatis atque aliis aperte repugnarent. Multi fuerunt, qui in testimoniis his colligendis, illustrandis, defendendis studia sua collocarent, eo discrimine, vt alii potissimum vniuersa testimonia ipsa recenserent; alii vero de singularibus patribus iisque testibus differerent.

§. V.

Res postulat, vt scriptores vtriusque generis, iam memoratos, distincte recenseam atque initium faciam ab iis, qui de capitibus doctrinæ christianæ nostræ vniuersis testimonia veritatis reliquerunt, de scriptura sacra, norma fidei ac vitæ: de trinitate: de peccato originis: de gratia: de christo, diuinitate eius et satisfactione: de iustificatione: de sacramentis, baptismo et sacra coena: de ecclesia.

I. De *ſcriptura ſacra* multa variaque veritatis teſtimonia patres dederunt. Tradunt illi, eſſe illam vnicam fidei ac vitæ regulam. IRENAEVS dicit: * *non per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognouimus, quam per eos, per quos euangelium peruenit ad nos: quod quidem tunc præconiauerunt; poſtea vero per dei voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei noſtræ futurum;* alibi autem ** ſcripturam *regulam veritatis* adpellat. POLYCARPVS *** vult, vt Philippenſes in cultu diuino præcepta chriſti, apoſtolorum et prophetarum ſequantur et quando eosdem hortatur, vt omnem vanitatem et falſa dogmata * deuitent, eos *ad verbum, ab initio eccleſiæ traditum, reuerti*, iubet. HIERONYMVS ** ſacras litteras vocat *veritatis fontem.* AVGVSTINVS *** dicit: *adferamus ad examen non ſtateras doloſas, vbi adpendamus, quod volumus et quomodo volumus, pro arbitrio noſtro dicentes: hoc graue, hoc leue eſt; ſed adferamus diuinam ſtateram de ſcripturis ſanctis.* AMBROSIVS: * *quæ in ſcripturis ſanctis non reperimus, ea quemadmodum vſurpare poſſumus?* Regulam fidei ac vitæ eſſe ſcripturam ſacram, eam ob cauſſam adfirmabant, quoniam illá diuinam originem atque auctoritatem præ ſe habeat. ATHENAGORAS ** ſcribit: *nos eorum, quæ ſentimus et credimus, teſtes habemus prophetas,* οἳ πνεύματι ἐνθέῳ ἐκπεφωνήκασι καὶ περὶ τοῦ θεοῦ καὶ περὶ τῶν τοῦ θεοῦ, *qui ſpiritu diuinitatis pleno pronuntiarunt tum de deo; tum de rebus diuinis.* Quando IVSTINVS *martyr* *** de prophetis loquitur, dicit illos *diuini ſpiritus adflatu loquentes.* Idem et alii patres confirmant. CYPRIANVS ſæpe tradit, auctores librorum ſacrorum non ſine inſtinctu atque adfla-

* *libr.* III. *aduerſ. hæreſ. cap.* I.
** *libr.* IV. *cap.* 69.
*** *epiſtol. ad Philippenſes cap.* VI.
* *ibidem cap.* VII.
** *aduerſus Heluidium tom.* IV. *oper. part.* 2. p. 741.
*** *libr.* II. *contra Donatiſtas cap.* 6.
* *libr.* I. *de officiis miniſtrorum cap.* 23.
** *apolog. pro chriſtian.* p. 65.
*** *dialog. cum Tryphon.* p. 224.

adflatu diuino scripsisse: *loquitur*, inquit, * *in scripturis diuinis spiritus sanctus et dicit: eleemosynis et fide delicta purgantur*, item: ** *loquitur per Salomonem spiritus sanctus et dicit* ceter. ac paucis interiectis adpellat Paullum *beatum apostolum, dominicae inspirationis gratia plenum.* Eiusdem apostoli iterum *** hanc mentionem facit: *beatus apostolus Paullus, plenus spiritu sancto et vocandis formandisque gentibus missus contestatur.* Docuerunt praeterea, codicem diuinum non solum perfectum esse et omnia tradere, quae salutis sempiternae caussa sint credenda; sed etiam perspicuum, vt omnibus omnino integrum esset, istum legere. IRENAEVS * dicit: *quum enim ex scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarum, quasi non recte habeant; neque sint ex auctoritate, et quia varie sint dictae, et quia non possit ex his inueniri veritas ab his, qui nesciant traditionem*, cuius sententiae inter veteris ecclesiae doctores etiam fuerunt: IGNATIVS, POLYCARPVS, IVSTINVS, TERTVLLIANVS ac plures alii. Addo, apud antiquiores christianos non alia monimenta in dignitate atque honore librorum canonicorum fuisse, nisi ea, quae hodie recipimus, tamquam scripta canonica, quod ex indice illorum patet, composito a Melitone Sardensi apud EVSEBIVM ** ex testimoniis Athanasii, Cyrilli Hierosolymitani, Gregorii Nazianzeni, Epiphanii, Chrysostomi, Amphilochii: e latinis, Hilarii, Hieronymi, *** Rufini, Augustini * et aliorum. De lectione scripturae sacrae, omnibus concedenda, quae nunc sequuntur, testimonia ad nos delata sunt. BASILIVS *magnus* ** dicit: πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος, διὰ τοῦτο συγγραφεῖσα παρὰ τοῦ πνεύματος, ἵν', ὥσπερ ἐν κοινῷ τῶν ψυχῶν ἰατρείῳ, πάντες ἄνθρωποι τὸ ἴαμα τοῦ οἰκείου πάθους ἕκαστος

* libro de *opere et eleemosynis* p. 237. edit. BALVZII.
** p. 240.
*** libro de *bono patientiae* p. 247.
* *libr.* III. *aduersus haereses cap.* 2. p. 199.
** *libr.* IV. *histor. ecclesiastic. cap.* 25.
*** *aduersus Heluidium tom.* IV. *oper. part.* 2. p. 141.
* *libr.* II *contra Donatistas cap.* 6. *tom.* 9. *oper.* p. 68.
** *homilia in psalmum primum, tom.* I. *oper.* p. 107.

ςος ἐκλεγώμεθα, scriptura omnis diuinitus inspirata et vtilis, hac vna ratione a spiritu sancto conscripta adstruitur, vt ex ea haud secus atque e communi quapiam curandarum animarum officina, medelam suo quisque morbo salutarem et accommodam queat seligere. CHRYSOSTOMVS* *audite quaeso,* inquit, *vos omnes, quibus curae sunt, quae ad hanc vitam pertinent, et parate vobis libros, medicamenta animae: si nullos alios vultis, nouum quidem certe testamentum vobis parate, apostolorum actus, euangelia, magistros perpetuos.* Addit ac diserte pronuntiat: τὸ μὴ εἰδέναι τὰς γραφὰς, *nescire scripturas,* esse omnium malorum caussam. HIERONYMVS feminas christianas, ad quas litteras dedit, diligenter ad scripturae sacrae lectionem hortatus est. Ad Saluinam scripsit: ** *semper in manibus tuis sit diuina lectio,* cuiusmodi testimonia plura suppetunt, quae IO. CASPAR SVICERVS, *** DANIEL CHAMIERVS * recensent.

II. De *trinitate* patres luculenta dederunt testimonia, quae conseruata sunt et ad nos venerunt. Sunt illa in libris TATIANI, THEOPHILI *Antiocheni*, IRENAEI, TERTVLLIANI, CYPRIANI, HILARII, ATHANASII, AVGVSTINI, AMBROSII, GREGORII *Nazianzeni* ac multorum aliorum, ex quibus aperte videndum est, dogma de trinitate a patribus ecclesiae ad normam scripturae sacrae recte ac perspicue traditum fuisse. Docuerunt illi, tres personas in essentia diuina esse: personas has vere inter se distinctas esse: habere eas vnam et eamdem essentiam. Errorem illorum reiecerunt, qui verum personarum in essentia diuina discrimen tollunt, quemadmodum Tertullianus singulari libro Praxeam confutauit. Satis monstrarunt, se a peruersa doctrina, quae postea ab Ario nomen suum accepit, longe alienos esse. Qui criminantur, patres doctrinam de trinitate excogitasse hancque primam in concilio Nicaeno traditam, propositam atque adprobatam esse, illi

* *homil.* IX. *in epistol. ad Colosf.*

** *epistol.* LXXXV. *tom.* IV. *oper. part.* 2. p. 668. edition. MARTIANAEI.

*** *thesaur. ecclesiastic. tom.* I. p. 790.

* *panstrat. catholic. tom.* I. *libro* IV. *cap.* 4. p. 181.

illi aperte ac malitiose a veritate aberrant. Luculenter hoc patet ex hymnis, doxologiis, formula baptizandi, vbi trinitatis fiebat professio: ex symbolo ecclesiæ Alexandrinæ, quod Arius, veram doctrinam simulando, Constantino obtulit, apud SOCRATEM et SOZOMENVM: ex christianorum orientalium confessione, ab Eusebio Cæsareensi in concilio Nicæno recitata et a SOCRATE, ATHANASIO, THEODORETO atque aliis litteris mandata, in qua illi trinitatem profitentur et testimonium de summa hac veritate, ante concilium Nicænum cognita, exhibent. Accedit, quod quum in synodo hac dogma de trinitate ac speciatim de diuinitate christi proponeretur, tot præsentes episcopi de eo defendendo; Arii autem errore reiiciendo consenserint, id quod haud contigisset, vbi doctrina illa fuisset noua: antea haud tradita et probata. Ipse Arius quum coeperit, sacros coetus perturbare, non oppugnauit veritatem de trinitate; sed dissentiebat ab Alexandro, quoniam existimabat, sententiam illius a Sabellii errore non longe discedere. Immo doctrina de trinitate tanta valebat auctoritate, vt pro regula fidei haberetur; nec solum illi, qui tres personas in diuinitate profitebantur, in ordinem christianorum recte sentientium adscriberentur; sed etiam per edicta imperatorum haud liceret, de dogmate hoc contendere. THEOPHILVM *Antiochenum* primum fuisse, qui vocabulum *trinitatis* vsurpauerit, nonnulli animaduertunt hæcque illius verba ad rem probandam adducunt: *ὡσαύτως καὶ αἱ τρεῖς ἡμέραι τῶν φωστήρων γεγονυῖαι, τύποι εἰσὶν τῆς τριάδος τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦ λόγου αὐτοῦ καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ, ita etiam tres dies, qui præcessere creationem duorum luminarium, trinitatis mysterium sacrosanctum repræsentant, videlicet deum, sermonem, sapientiam.* *

III. Doctrina de *peccato originis* a patribus diligenter tradita est illique maiori studio, quam antea factum fuerat, in peccatum hoc inquisiuerunt; nec solum monstrarunt, omnes homines isti obnoxios esse; sed etiam na-

* *libr.* II. *ad Autolycum cap.* 23.

turam atque indolem eius explicarunt. Studii huius occaſionem dedit hæreſis Pelagiana. Princeps inter doctores hos exſtitit AVGVSTINVS ac multos libros Pelagianis oppoſuit iisque oſtendit, omnes homines vitio hoc infectos eſſe: graue eſſe illud malum. Primus fuit, qui definitionem peccati huius daret illudque prauam adpellaret concupiſcentiam. Proximam cauſſam illius, quum per naturalem generationem propagatur, et hanc facit, quoniam poſt lapſum nemo ſine praua concupiſcentia in lucem prodiret. Per baptismum reatum peccati tolli; ita tamen, vt ipſum maneat peccatum, ſæpe multumque diſputat. Reatum deſcribit per *obligationem ad hominis damnationem et ſeparationem a regno dei.* Hunc per baptismum aboleri; minus autem tolli peccatum, diſerte teſtatur. Præter Auguſtinum, inter latinos eccleſiæ doctores HIERONYMVS Pelagianis reſtitit atque itidem ea tradidit, quæ ad veram ac ſanam doctrinam de peccato originis pertinent. Nec apud Græcos defuerunt, qui eamdem veritatem profiterentur ac docerent. Quæ id confirmant, teſtimonia in ſcriptis eorum conſeruata ſunt, Macarii vtriusque, Athanaſii, Cyrilli Hieroſolymitani, Baſilii, Gregorii Nazianzeni atque aliorum. Ac quamuis non adcurate ſemper ſint loquuti, inprimis quum ante certamina Pelagiana ſcriberent et Manichæos tantum refutandos ſibi proponerent; recte tamen ſenſerunt et docuerunt, peccatum originis et vniuerſale et grauiſſimum malum eſſe: omnes malas et vitioſas actiones mortalium parere: ortum ſuum habere a lapſu Adami, qui omnibus imputetur. Quod non ſatis diligenter; nec pro illius dignitate, ipſam doctrinam hanc tradiderint, eius rei cauſſa eſt, quia illis non æque ac latinis, aduerſus Pelagium ac hæreſin eius pugnandi, impoſita erat neceſſitas.

IV. In doctrina de *gratia* patres eccleſiæ non ſolum profeſſi ſunt, gratiam diuinam nos aptos efficere ad ſalutem æternam impetrandam; ſed etiam diſerte declararunt, ad omnes homines iſtam ſpectare. IVSTINVS *martyr* de deo dicit: ἀγαθός ἐστι, καὶ σώζεσθαι πάντας θελει, καὶ δι' αὐτοῦ καὶ τοῦ κηρύγματος αὐτοῦ, *bonus eſt, et omnes vult ſaluos fieri, et per ſe et per euangelii præconium.*

conium. * Quæ CLEMENS *Alexandrinus* ** contra fidem naturalem Bafilidianorum: quæ IRENAEVS *** contra Valentinianorum fententiam, natura quosdam bonos; alios autem malos effe, difputat, ea itidem de gratia vniuerfali teftantur. CYPRIANVS * fcribit: *deus, vt perfonam non accipit; fic nec ætatem, quum fe omnibus ad cæleftis gratiæ confequutionem, æqualitate librata, præbeat patrem* hancque fententiam pronuntiat, quum de infantibus baptizandis exponit. Alio loco ** dicit: *fi dies omnibus æqualiter nafcitur et fi fol fuper omnes pari et æquali luce diffunditur; quando magis chriftus fol et dies verus in ecclefia fua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur?* ac paullo poft addit, *chrifti indulgentiam et cæleftem gratiam omnibus diuidi fine fexus varietate, fine annorum difcrimine, fine acceptione perfonæ, fuper omnem dei populum fpiritualis gratiæ munus infundi*, quæ et alia eius effata fatis declarant, gratiam dei non particularem; fed vniuerfalem effe. Apud BASILIVM *** hæc leguntur: τί ἒν Φησιν, ὅτι ὁ μὲν θέλει ὁ Θεὸς, τἔτό ἐςι, πάντας μετέχειν αὐτἒ τῆς ζωῆς, *quid ergo dicit? quod hoc vult deus, hoc eft, vt omnes eius vitæ participes fint.* HIERONYMVS * deus *vult ea*, inquit, *quæcumque funt plena rationis atque confilii: vult faluari omnes et in agnitionem veritatis venire. Sed quia nullus absque propria voluntate faluatur, liberi enim arbitrii fumus, vult, nos bonum velle, vt quum voluerimus, velit in nobis et ipfe fuum implere confilium.*

V. Quemadmodum dogma de trinitate, vbi illud generatim confideramus, ab ecclefiæ patribus conferuatum ac propagatum eft; ita fpeciatim quoque profeffi illi funt *diuinitatem chrifti.* Ex monimentis eorum videmus, illos admififfe προύπαρξιν chrifti; fiue τἒ λόγἒ ante Mariam et per confequens

* *libro de refurrectione*, apud GRABIVM *fpicileg. patrum et hæretic. fecul.* II. *tom.* I. p. 189.
** *libr.* VI. *ftromat.* p. 363.
*** *aduerfus hæref. libro* IV. *cap.* 72. p. 375.
* *epiftol.* LIX. *ad Fidum* p. 98.
** *epiftol.* LXXVI. *ad Magnum* p. 157.
*** *homil. in pfalm.* XXVIII. *tom.* I. *oper.* p. 164.
* *comment. in epiftol. ad Ephes.* I. *tom.* IV. *oper.* p. 331.

quens eum non habuisse pro nudo homine: etiam illorum errorem reiecisse, qui verum personarum in essentia diuina discrimen tollunt. Quam in rem præclara testimonia præbent nobis TATIANVS, ATHENAGORAS, THEOPHILVS *Antiochenus*, IRENAEVS, IVSTINVS *martyr* atque alii eiusdem ætatis. Ac quis nesciat insigne effatum patrum Nicænorum, quo christus adpellatur: *filius dei vnigenitus et ex patre natus, ante omnia secula: deus de deo, lumen de lumine: deus verus de deo vero, genitus, non factus: consubstantialis patri, per quem omnia facta sunt*, cuius testimonii auctoritatem fidemque hostes quidem diuinitatis christi impugnare atque infringere, temere pariter ac malitiose sibi sumserunt; non defuerunt autem, qui illis grauiter ac feliciter resisterent.

VI. Multa quoque testimonia veritatis de *satisfactione christi*, a patribus ecclesiasticis nobis relicta, habemus. Tradiderunt illi, iesum christum pro peccatis nostris iustitiæ diuinæ per sanguinem et mortem suam ita satisfecisse, vt pristinam dei gratiam, ad felicitatem sempiternam consequendam, nobis recuperaret. IGNATIVS quum cruciatuum, quibus adflictus fuerit christus, mentionem fecerit, addit: *ταῦτα πάντα ἔπαθεν δι' ἡμᾶς, ἵνα σωθῶμεν*, *omnia hæc passus est propter nos, vt salutem consequamur.** POLYCARPVS ex I *Petr.* II, 14. pronuntiat, iesum christum *sustulisse peccata nostra in corpore suo super lignum* ** et adiungit, *** eum *pro nobis* mortuum esse. Eadem professus est ac tradidit IVSTINVS *martyr*, cuius *apologiam primam: dialogum cum Tryphone iudæo* et *epistolam ad Diognetum* vbi euoluamus, in commentationibus illis videbimus, eum adpellasse iesum filium dei, *προσφορὰν*, *oblationem: λύτρον ὑπὲρ ἡμῶν*, *pretium redemtionis pro nobis: δίκαιον ὑπὲρ τῶν ἀδίκων*, *iustum pro iniustis*, et docuisse, nos liberari a morte et participes fieri cælestis gaudii *διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ καὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ*, *per san-*

* *epistola ad Smyrnæos cap.* II.

** *epistol. ad Philippenses cap.* VIII.

*** *ibidem cap.* IX.

ſanguinem eius et per mortem eius: adde IRENAEVM.* Satisfactionem hanc eſſe vniuerſalem et chriſtum pro omnibus hominibus eorumque peccatis mortem ſubiiſſe, iidem antiquiores eccleſiæ doctores confeſſi ſunt. POLYCARPVS, chriſtum *omnium miniſtrum* factum eſſe, ſcribit.** IRENAEVS *** dicit: *in nouiſſimis temporibus in amicitiam reſtituit nos dominus per ſuam incarnationem, mediator dei et hominum factus, propitians quidem pro nobis patrem, in quem peccaueramus, et noſtram inobedientiam per ſuam obedientiam conſolatus,* in quibus verbis quum adfirmetur generatim, chriſtum factum eſſe *mediatorem hominum,* id omnino ex ſententia ſcripturæ ſacræ de omnibus hominibus intelligendum eſt. Nullus fuit inter doctores hos, qui non profiteretur, chriſti meritum ad omnes homines pertinere: ſeruatorem pro omnium mortalium peccatis iuſtitiæ diuinæ ſatisfeciſſe ac *λύτρον* infiniti pretii per mortem ſuam ſoluendo, omnibus gratiam diuinam reparaſſe. Plura veritatis huius teſtimonia habemus: ATHANASII, CYRILLI *Hieroſolymitani*, GREGORII *Nazianzeni*, EPIPHANII, CHRYSOSTOMI, AMBROSII ac plurium aliorum.

VII. Doctrinam euangelicam de *iuſtificatione*, fieri iſtam non propter bona opera noſtra; ſed per gratiam dei: per chriſti meritum ac per ſolam fidem, patres eccleſiæ itidem diligenter ac perſpicue tradiderunt ac confeſſi ſunt non ſolum; ſed etiam defenderunt. Quædam tantum illorum teſtimonia memoraſſe ſufficiat. IGNATIVS, nos operibus noſtris haud quidquam mereri poſſe, pronuntiat: *ἂν ἡμᾶς τιμήσεται, καθὰ πράσσομεν, οὐκ ἔτι ἐσμέν; ſi nos deus æſtimauerit ſecundum ea, quæ facimus, iam periimus.** Vti autem Ignatius operibus nihil tribuit; ita fidem eamque viuam, quæ fructus ſuos ferat, ad veram chriſtiani hominis indolem conſtituendam requirit et ſæpe fidem caritatemque coniungit, ea ratione, vt fidem quaſi

* *libr.* III. *aduerſus hæreſes cap.* 20. p. 248.
** *epiſtol. ad Philippenſes cap.* v.
*** *libr.* v. *aduerſus hæreſ. cap.* 17. p. 425.
* *epiſtol. ad Magneſian. cap.* 10. p. 50.

quaſi carnem et caritatem ſanguinem chriſti eſſe, dicat. * Eiusdem veritatis locuples teſtis eſt POLYCARPVS, ** qui cum Paullo adſerit, *nos gratia ſaluos fieri, non ex operibus; ſed in voluntate dei, per ieſum chriſtum*, cuiusmodi luculentum atque inſigne effatum etiam IVSTINVS *martyr* dedit. Dicit enim: *** μόνῃ τῇ πίστει, θεὸν ἰδεῖν, συγκεχώρηται, *ſoli fidei, deum videre, conceſſum eſt*, ex quibus verbis colligendum eſt, nobis vitio verti non poſſe, quod vocem *ſola* hac in re adhibeamus. Paullo poſt * addit: τί γὰρ ἄλλο τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἠδυνήθη καλύψαι ἢ ἐκείνου δικαιοσύνη; ἐν τίνι δικαιωθῆναι δυνατὸν τοὺς ἀνόμους ἡμᾶς καὶ ἀσεβεῖς, ἢ ἐν μόνῳ τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, *quid enim aliud peccata noſtra potuit tegere; quam eius iuſtitia? in quo alio nos iniqui et impii pro iuſtis haberi poſſumus; quam in ſolo dei filio?* Nec minus præclara ſunt, quæ IVSTINVS alio loco ** hanc in rem ediſſerit. Teſtibus his addo IRENAEVM, qui hæc ſcripta reliquit: *** *quemadmodum per inobedientiam vnius hominis peccatores facti ſunt multi et amiſerunt vitam; ita oportuit et per obedientiam vnius hominis, qui primus ex virgine natus eſt, iuſtificari multos et percipere ſalutem.* Nec omittendus eſt BASILIVS, qui expreſſe dicit, nos ſola fide iuſtificari. Quum enim verba apoſtoli: *qui gloriatur, in domino glorietur*, adduxiſſet, addit: αὕτη γὰρ ἡ τελεία καὶ ὁλόκληρος καύχησις ἐν θεῷ, ὅτε μήτε ἐπὶ δικαιοσύνῃ τις ἐπαίρεται τῇ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἔγνω μὲν ἐνδεῆ ὄντα ἑαυτὸν δικαιοσύνης ἀληθοῦς, πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς χριστὸν δεδικαιωμένον, *nam ea demum perfecta et omnimoda gloriatio eſt in deo, quando neque propter ſuam ipſius quis iuſtitiam extollitur; ſed agnoſcit, ſe quidem vera deſtitui iuſtitia; verum ſola in chriſtum fide iuſtificatum eſſe.* * Paucis rem ita expri-

* *epiſtola ad Trallianos cap.* 8.
** *epiſtol. ad Philippenſ. cap.* I.
*** *epiſtola ad Diognetum* p. 499. *oper.*
* p. 500.
** *dialog. cum Tryphone* p. 229. 370.
*** *libr.* III. *aduerſus hæreſes cap.* 20. p. 248.
* *homilia* XXII. *de humilitate tom.* I. *oper.* p. 473.

primit GREGORIVS *Nazianzenus: δικαιοσύνη μὲν γὰρ, καὶ τὸ πιςεῦσαι μόνον, etenim iustitia quidem est, vel solum credere.* * Adiungendus est CHRYSOSTOMVS, qui dicit: *ante opera fides primum induenda est. Eum, qui operatur opera iustitiæ sine fide, non potes probare, viuum fuisse*, ac paucis interiectis, adseuerat, quod *sola fides per se saluum faciat.* **

VIII. Quæ fuerit sententia: quæ doctrina patrum ecclesiæ de *baptismo*, itidem ex illorum monimentis, ad nos delatis, videndum est. Diuinam illius vim ac virtutem commendat TERTVLLIANVS verbis his: *** *felix sacramentum aquæ nostræ, qua, ablutis delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur.* IRENAVS * baptismo tribuit regenerationem; THEOPHILVS autem scribit: ** *notum sit mortalibus, fore, vt poenitentiam adprehendant et peccatorum remissionem nanciscantur διὰ ὕδατος καὶ λουτροῦ παλιγγενεσίας, per aquam et regenerationis lauacrum, quotquot accedunt ad veritatem et regenerantur, accipientes benedictionem a deo.* IVSTINVS *martyr* fatetur, *** nos in *aqua*, id est, baptismo veniam peccatorum consequi. CYPRIANVS * dicit: *in baptismo vnicuique peccata sua remittuntur*, et alio loco: ** *omnes quidem, qui ad diuinum lauacrum baptismi sanctificatione perueniunt, hominem illic veterem gratia lauacri salutaris exponunt, et innouati spiritu sancto a sordibus contagionis antiquæ, iterata natiuitate, purgantur.* Non solum adultos; sed etiam infantes baptizandos esse, veteres hi doctores itidem perspicue testantur. ORIGENES tradit, infantes sacro fonte purgandos esse, ac cur id fieri debeat, rationem addit ac dicit: *addi etiam et illud potest, vt requiratur, quid caussæ sit,*

* *oration.* XXVI. *tom.* I. *oper.* p. 458.
** *tom.* VI. *oper.* p. 152.
*** libro de *baptismo cap.* I. p. 255. *oper.*
* *libr.* I. *aduers. hæres. cap.* 18. p. 88. *libr.* III. *cap.* 19. p. 243.
** *libro* II. *ad Autolycum cap.* 25. p. 153.
*** *apologia secunda;* siue potius *prima* p. 94.
* *epistol.* LXXVI. p. 155.
** sub finem libri de *habitu virginum* p. 180.

ſit, quum baptisma eccleſiæ in remiſſionem peccatorum detur, ſecundum eccleſiæ obſeruantiam etiam paruulis baptismum dari? quum vtique, ſi nihil eſſet in paruulis, quod ad remiſſionem deberet et indulgentiam pertinere, gratia baptiſmi ſuperflua videretur. * Adiungendus quoque eſt CYPRIANVS, vt perſpicuus ac locuples teſtis. Diſputauit iſte cum Fido, epiſcopo, quando ac quo die recens nati infantes ſint baptizandi? ac quum hic exiſtimaret, diem octauum, circumciſioni a deo præſcriptum, et baptiſmo deſtinandum eſſe, CYPRIANVS ad illum *epiſtolam* ſcribit ** atque argumenta, quibus Fidus ſententiam ſuam firmare voluit, refellit, illis alia opponit et hanc ipſius epiſtolæ clauſulam addit: *et idcirco, frater cariſſime, hæc fuit in concilio noſtra ſententia, a baptismo atque a gratia dei, qui omnibus miſericors et benignus et pius eſt, neminem per nos debere prohiberi. Quod quum circa vniuerſos obſeruandum ſit atque retinendum, tum magis circa infantes ipſos et recens natos obſeruandum putamus, qui hoc ipſo de ope noſtra ac de diuina miſericordia plus merentur, quod in primo ſtatim natiuitatis ſuæ ortu plorantes ac flentes nihil aliud faciunt; quam deprecantur.* Id quod egregium teſtimonium eſt, ſeculo poſt natum chriſtum tertio infantes baptismo initiatos ac veram de iſto doctrinam conſeruatam fuiſſe. Luculenter id quoque patet ex *canone* II. concilii Carthaginienſis, anno CCLIII. celebrati, in quo de pædobaptismo ita ſancitum eſt: *quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat; aut dicit, in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari; ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati; quod regenerationis lauacro expietur, anathema ſit.*

IX. Dogma de *ſacra coena* ab eccleſiæ patribus etiam conſeruatum ac propagatum eſt. Quam enim nos confitemur

* *commentar. in leuitic. cap.* XII. et XIII. qui commentarius exſtat in eiusdem *operibus latinis part.* I. p. 116. Aliis quoque locis Origenes idem tradit. *homil.* XIV. *in Lucam et libr.* V. *explanat. epiſtol. ad Roman. cap.* 6. quæ teſtimonia ſunt *oper. latin. part.* II. p. 265. et 427.

** epiſtola hæc eſt inter reliquas LIX. p. 97. *oper.* edit. BALVZII.

temur de myſterio hoc, veritatis teſtimonia egregia ab iis habemus iisque contra prauas ſententias cum reformatorum; tum pontificiorum recte vtimur. IGNATIVS ſcribit: *σπϑδάζετε ϑν μιᾷ ἐυχαριςίᾳ χρῆσϑαι· μία γάρ σάρξ τϑ κυρίϑ ἡμῶν Ιησϑ χριςϑ καὶ ἕν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τϑ ἅιματος ἀυτϑ*, *operam igitur detis, vt vna euchariſtia vtamini. Vna enim eſt caro domini noſtri ieſu chriſti et vnus calix in vnitatem ſanguinis ipſius.* * Præter eum, copioſum effatum hac de re dedit IVSTINVS *martyr* et confeſſus eſt, alimentum, quod in ſacra cœna accipiamus, *incarnati illius ieſu et carnem et ſanguinem eſſe.* ** Inprimis IRENAEVS luculenter; nec ſemel ea de ſacramento hoc docuit, quæ ipſæ ſacræ litteræ nobis de iſto tradunt. Inter alia dicit: *ἐυχαριςία ἐκ δύο πραγμάτων συνεςηκυῖα, ἐπιγέιϑ τε καὶ ϑρανίϑ*, *euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena et cæleſti*, *** hæcque verba ſententiæ cum reformatorum; tum pontificiorum de transſubſtantiatione aperte repugnant; noſtram autem doctrinam confirmant. Quum enim per rem *terrenam* panem vinumque: per *cæleſtem* corpus ſanguinemque chrtſti intelligit atque ita vtriusque præſentiam indicat, quis dubitaret, nos reformatis et epiſcopi romani adſeclis locum hunc recte opponere poſſe? Similia teſtimonia nobis præbent et alii antiquioris eccleſiæ doctores. ORIGENES credidit, chriſti corpus et ſanguinem in ſacra cœna adeſſe, id quod ex his verbis eius ſatis patet: *noſtis, qui diuinis myſteriis intereſſe, conſueſtis, quomodo, quum ſuſcipitis corpus domini, cum omni cautela et veneratione ſeruatis, ne ex eo parum quid decidat; ne conſecrati muneris aliquid dilabatur.* * Nec omittendum eſt CYPRIANI teſtimonium, qui quum ſcribit: ** *ſanctificata ora cæleſtibus cibis poſt corpus et ſanguinem domini profana contagia et idolorum reliquias reſpuerunt*, verba hæc ſpectant ad ſacram cœnam et indicant omnino, in iſta corpus

* *epiſtol. ad Philadelph. cap.* IV. p. 66.
** *apologia* I. *pro chriſtian.* §. 86. p. 128. edit. GRABII.
*** *libr.* IV. *aduerſus hæreſ. cap.* 34. p. 327. edit. GRABII.
* *homil.* XIII. in *cap.* 25. *exod.* adde *libr.* VIII. *contra Celſum* p. 399.
** libro de *lapſis* p. 181. *oper.*

corpus et ſanguinem chriſti exhiberi. Namque *cæleſtes cibi*, quorum mentio fit, expreſſe de corpore et ſanguine chriſti explicantur. Commentum igitur veteres chriſtiani transſubſtantiationis ignorarunt ac quæ illi repugnant, adfirmarunt. CYRILLVS *Hieroſolymitanus* diſerte profitetur, corpus et ſanguinem chriſti in ſacris epulis vere adeſſe.* Inprimis memorandus eſt CHRYSOSTOMVS ob notum ſatis effatum, verbis his expreſſum: *ſicut enim, antequam ſanctificetur panis, panem nominamus; diuina autem illum ſanctificante gratia, mediante ſacerdote, liberatus eſt quidem adpellatione panis; dignus autem habitus eſt dominici corporis adpellatione, etiamſi natura panis in ipſo permanſit, et non duo corpora; ſed vnum corpus filii prædicatur; ſic et hic diuina ἐνιδρυσάσης, id eſt, inundante corporis natura, vnum filium, vnam perſonam vtraque hæc fecerunt.* ** Adiungo EPHRAEMVM *Syrum*, qui hæc litteris mandauit ac reliquit: *ignis non vnam habet naturam; ſed duplicem. Ligno enim conſtat et flamma. Non aliter ſacer panis non vna panea natura conſtat; ſed et diuina.* ***

X. Multa præterea ſunt in patrum eccleſiæ libris, quæ ad veram doctrinam de *eccleſia* illuſtrandam confirmandamque pertinent. Primum ex illis adparet, vocabulum *eccleſiæ* proprie vſurpatum fuiſſe de cœtu hominum, vera in chriſtum fide præditorum, qui hac de cauſſa oculis haud adſpici poteſt. Sæpe hoc inculcat AVGVSTINVS idemque et alii docent. Quando porro de eccleſia *catholica* loquuntur, per iſtam minime ſolam romanam intelligunt; ſed *catholica* adpellatur ab illis eccleſia, quæ nulli loco: nulli genti adſtricta; ſed per vniuerſum orbem diffuſa eſt: quæ veram et a chriſto eiusque apoſtolis traditam doctrinam profitetur et ad quam omnibus mortalibus, cuiuscumque ſint conditionis, ætatis, ſexus, acceſſus patet. Diuerſas has rationes, eccleſiam vocandi *catholicam*, enarrat CYRILLVS *Hieroſolymitanus* * remque ipſam

OPTA-

* *catecheſ. myſtag.* IV. p. 292.
** *epiſtola ad Cæſarium* p. 23.
*** *ſermon.* I. *de ſacra coena*, edito a KOHLIO *introduction. in hiſtoriam et rem litterar. Slauorum, inprimis ſacram.*
* *catecheſ.* XVIII. p. 270.

OPTATVS *Mileuitanus* atque alii confirmant, ita vt perspicue satis tradant, veram tantum esse ecclesiam, quæ iure dici queat *catholica*. Ac sicubi romana adpellatur *catholica*, etiam eodem nomine venit Alexandrina, vt ex hac epistolæ inscriptione: Κωνςαντῖνος μέγιςος, σεβαςὸς τῷ λαῷ τῷ κατὰ Ἀλεξάνδϱειαν καθολικῆς ἐκκλησίας, *Constantinus maximus, augustus populo catholicæ per Alexandriam ecclesiæ* videmus. *

§. VI.

Ita specimen theologiæ dogmaticæ, a patribus sacri ordinis ea ratione explanatæ, vt illi vniuersa testimonia veritatis de fidei capitibus scripta relinquerent, exhibere volui. Ad testimonia hæc multi doctissimi viri industriam suam adhibuerunt ac studia in eo collocarunt, vt ista non solum diligenter colligerent ac recenserent; sed etiam, vbi res hoc postulabat atque vtile videbatur, illustrarent ac contra aduersarios defenderent. Monimenta hæc non vnius eiusdemque generis sunt; sed istorum maxime ea est discrepantia, vt in aliis testimonia, a patribus, vniuerse ac generatim sumtis, edita, enarrentur; in aliis autem eorum fiat commemoratio, quæ ad singulares patres pertinent. De vtrisque nunc distincte exponere, mihi animus est.

§. VII.

In duas classes patrum testimonia veritatis de dogmatibus fidei diuidi posse, antea dixi atque animaduerti, ad priorem referenda esse testimonia, quæ a patribus, vniuerse ac sine discrimine sumtis, accepimus. De illis exstant multa scripta quumque illa itidem varii generis sint, requirit et hoc partitionem certosque ordines. Ad *primam* classem; siue ordinem refero illa, quibus *historia dogmatum christianorum* generatim illustrata est. Spectant huc:

MATTHIAE FLACII *catalogus testium veritatis, qui ante nostram ætatem pontifici romano eiusque erroribus reclamarunt*, quod præclarum opus locum hunc iure tuetur.

* ATHANAS. *tom.* I. *oper.* p. 779.

Quum enim Flacius monſtrare voluit, veram doctrinam ſemper in ipſis quoque eccleſiæ romanæ tenebris et ante coeptam ſacrorum emendationem conſeruatam fuiſſe, neceſſe quoque erat, vt enarraret, quæ fidei dogmata a patribus tradita ſint. Liber ipſe ſæpius prodiit lucemque publicam adſpexit editio prima, maxime rara, Baſileæ MDLVI. 8. ſecunda, emendatior atque auctior, ibidem MDLXII. fol. tertia Francofurti MDCLXVI. 4. quibus nonnulli quartam addunt, Francofurti MDCLXXII. 4. cura *Io. Conradi Dieterici;* quæ autem nouum tantum titulum, cum adpoſito *Dieterici* nomine, præ ſe fert. Alio loco * plura de opere hoc a me dicta ſunt.

MICHAELIS NEANDRI *theologia chriſtiana, ſacræ ſcripturæ, patrum græcorum græcis et latinorum latinis, e fontibus ipſorum, et tandem theandri Lutheri dictis et teſtimoniis illuſtrata et expoſita*, Lipſiæ MDXCV. 4. poſt auctoris obitum cura filiorum eius, *Ioannis* et *Michaelis Neandri*, cum præfatione *Antonii Probi*, qua de recto et genuino patrum vſu et ratione, illorum ſcripta legendi, differit, edita. Opus eſt, iis maxime vtile, qui patrum effata de capitibus doctrinæ chriſtianæ ſcrire cupiunt. Exſtat quoque eiusdem NEANDRI *theologia megalandri Lutheri*, cum *theologia Bernhardi et Tauleri*, Vitembergæ MDLXXXIV. 8. quæ autem minus huc ſpectat.

HENRICI ECKHARDI *compendium theologiæ patrum, ex ſelectioribus eorumdem teſtimoniis certa methodo in duobus libris congeſtum, in quo piæ antiquitatis conſenſus cum noſtrarum eecclesiarum doctrina atque confeſſione oſtenditur et nouitatis calumnia propulſatur atque abſtergitur*, Lipſiæ MDCVI. MDCXIV. MDCXXII. 8. Libro priori continentur dogmata de deo, de creatione, de ſuſtentatione creaturarum, de conſummatione huius mundi, de redemtione per chriſtum, de vocatione, de annuntiatione voluntatis in lege, de oblatione gratiæ diuinæ, de diſpoſitione variorum vitæ ordinum, de reſuſcitatione ac de extremo iudicio. Poſteriori libro exponitur de prædeſtinatione, de ſpiritu ſancto, de regeneratione, de renouatione, de congregatione ad eccle-

* *tom.* III. *bibliothec. theologic.* p. 611.

clesiam, de exauditione precum, de liberatione de cruce, de transitione fidelium ad vitam æternam, de reprobatione, de impiorum detrusione ad infernum. Singula capita auctor ea ratione explanat, vt diuersa cuiuscumque articuli dogmata distincte breuiterque proponat ac testimonia quædam patrum subiungat; hæc autem non adcurate semper; nec diligenter recensuit. *

IO. FORBESII *instructiones historico-theologicæ de doctrina christiana et vario rerum statu ortisque erroribus et controuersiis, iam inde a temporibus apostolicis ad tempora vsque seculi* XVII. *priora*, Amstelodami MDCXLV. Geneuæ MDCLXXX. MDCXCIX. fol. ** Constituit auctor, vt ipse in *præfatione* scribit, potificiis repugnare, qui *apud imperitos suum cum catholica antiquitate vnanimem consensum iactabant, et ab eodem doctrinam reformatarum ecclesiarum dicebant prorsus discrepare, atque adeo ipsis etiam repugnare diuinis scripturis, si secundum mentem orthodoxorum patrum accipiantur atque explicentur.* Eam in rem de variis religionis nostræ capitibus differit, de mysterio incarnationis, de sacramentis generatim, baptismo, eucharistia, pœnitentia, purgatorio, ecclesia atque ostendit, pontificios a patribus ecclesiæ longe discessisse; simul autem monstrare adnititur, consensionem doctrinæ esse inter patres ac reformatos. ***

HENRICI ALTINGII *theologia historica; siue systematis historici loca quatuor*, Amstelodami MDCLXIV. 4. quæ quatuor capita, libro hoc historice explanata, sunt: de natura theologiæ: de verbo dei; siue sacra scriptura: de deo, essentia vno, trino personis ac decretis dei in genere deque prædestinatione diuina in specie: *

DIONYSII PETAVII *dogmata theologica*, quorum tres priores tomi lucem adspexerunt Parisiis MDCXLIV. fol. quartus autem, in duas partes diuisus, ibidem MDCL. fol.

 Edi-

* REIMMANNI *catalog. bibliothec. theolog.* p. 361.

** exstant quoque *instructiones* hæ in FORBESII *operibus*, Amstelodami MDCCIII. fol. cura *Gurtleri* editis, eorumque *parte* II.

*** FABRICII *histor. bibliothec. part.* II. p. 206. REIMMANNI *catalog. bibliothec. theolog.* p. 6.

* REIMMANNI *catalog. bibliothec. theolog.* p. 20.

Editione hac prima melior ac præſtantior eſt ſecunda, quæ Antuerpiæ; ſiue potius Amſtelodami MDCC. fol. ſex tomis prodiit, non ſolum præfatione *Theophili Alethini*, id eſt, *Io. Clerici*, eiusdemque breuioribus notis ornata; ſed etiam locupletata PETAVII libro de *tridentini concilii interpretatione:* libris II. *diſſertationum eccleſiaſticarum*: diatriba de *poteſtate conſecrandi:* libris VIII. de *pœnitentia publica.* Ipſa hæc editio litteris iterum deſcripta eſt Florentiæ MDCCXXII. fol. itidem ſex tomis. Non omnia; ſed quædam tantum dogmata Petauius pertractauit: *primo* nimirum tomo de deo vno eiusque proprietatibus: *ſecundo* de ſanctiſſima trinitate: *tertio* de angelis ac mundi opificio: *quarto* de hierarchia eccleſiaſtica, de poteſtate conſecrandi deque pœnitentia publica et præparatione ad communionem: *quinto* ac *ſexto* de incarnatione verbi. Ita, quod ſuſceperat, opus haud ad finem perduxit. Partes illius, quæ in lucem exierunt, ſingularem eruditionem, antiquitatum præſertim notitiam atque induſtriam monſtrant ac præclarum rerum perutilium adparatum exhibent. Quidquid in monimentis patrum, ſcriptorum eccleſiaſticorum, ſcholaſticorum, dignum, quod notetur, de dogmatibus theologicis ſcriptum relictum eſt, id Petauius magno ſtudio collegit: apte diſpoſuit atque illuſtrauit, elegantiori vſus ſtilo. Fuerunt, qui eum plagii accuſarent; * aut de *dogmatibus* his *theologicis*, tamquam opere, minus adcurate compoſito, male ſentirent: ** immo obiicerent Petauio, illum patrum, qui ante concilium Nicænum vixerunt, effata de trinitate ita interpretatum eſſe, vt haud obſcure ſignificaret, ſe hoſtibus trinitatis, ſpeciatim Arianis fauere. *** Quo-

* vide MARTENE et DVRANDI *voyage litteraire* p. 177. Defendit Petauium OVDINVS in *obſeruatione de tractatibus theologicis card. Auguſtini Oregii, in qua inquiritur, an Dionyſius Petauius dogmatum ſuorum libros ex iisdem hauſiſſe cenſendus ſit*, quæ eſt in *actis eruditor.* MDCCXVIII. p. 491.

** conf. PATINI *nouuelles lettres a Charl. Spon, tom.* I. p. 243. HVETII *commentar. de rebus, ad eum pertinentibus, libr.* I. p. 69.

*** quæ hac de re diſputata ſunt, ea enarraui in *der einleitung in die religionsſtreitigkeiten auſer der lutheriſchen kirche, part.* IV. p. 214.

Quorum vitiorum culpa num iure in Petauium coniiciatur; an minus, loco hoc non disputandum est; istum tamen subsidia sua magis adhibuisse ad speciem, erroribus pontificiorum conciliandam; quam ad veritatis defensionem, ex ipso libro luculenter patet: *

IO. GVIL. BAIERI *compendium theologiae historicae*, Vinariae MDCXCIX. 8. post auctoris obitum cura filii, *Io. Guil. Baieri*, editum, quo singulorum dogmatum sacrorum fata breuiter enarrantur ac simul ostenditur, veram doctrinam semper traditam fuisse ac conseruatam.

§. VIII.

Ad *secundum* ordinem referri possunt *systemata* ac *compendia theologiae dogmaticae*, ita conscripta, vt in illis dicta testimoniaque patrum ecclesiasticorum adferantur ac cum scriptura sacra coniungantur; non eo consilio, vt debeant illa probare dogmata, quod per ea, tamquam effata humana, haud fieri potest; sed vt ex illis videamus, deum veram doctrinam conseruasse ac propagasse. Quae hoc monstrant, non desunt exempla. Praebent ista:

MARTINI CHEMNITII scripta, maxime *loci* eius *theologici* et *examen concilii Tridentini.* Scripsit quoque *orationem de lectione patrum; seu doctorum ecclesiasticorum* ac de vero rectoque vsu scriptorum patrum, qualis ille esse debeat, disseruit. Praemissa illa est *locis* eiusdem *theologicis* ac postea ADAMI RECHENBERGII *summario historiae ecclesiasticae* adnexa.

IO. GERHARDI *loci theologici*, qui praecipue ad locum hunc pertinent, quum Gerhardus in illis testimonia patrum omni fide ac cum iudicio diligenter adduxit, eo animo, vt quae ex scriptura sacra tradiderat, ea confirmaret ac praecipue ostenderet, ecclesiae nostrae doctrinam non esse nouam. Ipse in lectione patrum probe versatus fuit hocque et aliis scriptis satis camprobauit.

* *acta eruditor.* MDCC. p.230. BERNARDI *nouuell. de la republiqu. des lettres* MDCC. *aug.* p. 179.

IO. FRANCISCI BVDDEI *institutiones theologiae dogmaticae*, quae ita compositae sunt, vt locum hunc omni iure obtineant. Quum enim auctor ex historiarum monimentis praeter alia enarrat, quae ad verae doctrinae propagationem ac conseruationem pertinent, ad hanc probandam, patrum dicta ac testimonia magno studio collegit ac recensuit. Reformati quoque in scriptis suis dogmaticis eamdem industriam monstrarunt. Sufficiat, ad BENEDICTI PICTETI *theologiam christianam*, quae latine, gallice, germanice prodiit, prouocasse. Idem constat de pontificiis; omitto autem horum aduersariorum commemorationem. Non semper illi, qua decet, fide patrum effata adferunt atque explicant; sed sententias eorum peruertunt ipsosque ad partes suas trahere adnituntur.

§. IX.

In *tertia* classe locum adsigno libris *historiae ecclesiasticae noui testamenti.* Quando enim res, in ciuitate christiana gestae, enarrandae sunt, ad illas etiam doctrina pertinet et memorari omnino debet, quae illius ratio fuerit singulis seculis. Distincte tamen scripta haec historiae ecclesiasticae legenda sunt, quum illa auctores diuersarum religionum composuerunt; hanc autem ob rem dogmata patrum non vna eademque ratione recensent atque explicant. Consuli possunt:

Centuriae Magdeburgenses, quarum quaeuis centuria singulare caput, idque quartum, complectitur de doctrina ecclesiae, fatis eius per singulos locos theologicos. In opere hoc quae de patribus eorumque dogmatibus habentur, ea non omnia tuto sequi possumus, quum varia scripta, quae adulterina sunt, veris ac germanis monimentis patrum adnumerantur.

BALTHASARIS BEBELII *antiquitates ecclesiae in tribus prioribus post natum christum seculis, euangelicae et hodiernae* ὁμοψήφου, *quibusuis heterodoxis, modernis praesertim, oppositae*, Argentorati MDCLXIX. 4. *antiquitates ecclesiae in quarto post natum christum seculo*, Argentorati MDCLXXIX. MDCLXXX. 4. duobus tomis, opus praestan-

tissi-

tiſſimum, quod magnam vtilitatem antiquioris hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudioſis adfert:

IACOBI BASNAGII *hiſtoire de l'egliſe depuis ieſus chriſt iusqu' a preſent*, Roterodami MDCXCIC. fol. duobus voluminibus.* Opus hoc eſt præclarum ac merito princeps inter ingenii monimenta, quibus dogmatum hiſtoria illuſtratur. Abſoluitur id quatuor partibus, quarum ſecunda auctor de canone ſcripturæ ſacræ, de traditionibus, de octo conciliis œcumenicis, de iuſtificatione, de gratia et euchariſtia; tertia autem de adoratione ſacramenti euchariſtiæ, de cultu angelorum, beatæ virginis Mariæ, ſanctorum, reliquiarum et imaginum exponit ac quæ ad hiſtoriam horum doctrinæ vitæque capitum pertinent, ea diligenter ediſſerit. Occaſionem libri huius conſcribendi auctori præbuerunt IACOB. BENIGNI BOSSVETI *hiſtoire des variations des egliſes proteſtantes*, ſpeciatim ea, quæ ibi de Albingenſibus; ſiue Waldenſibus ſcripta erant. Quæ quum refellere Basnagius inſtitueret, rei ſuæ ſe conſulere poſſe, exiſtimauit, ſi eccleſiæ ac veræ illius doctrinæ ſucceſſionem, a prima origine vsque ad Albingenſes demonſtraret. Edidit BOSSVETVS pro cauſſa ſua: *defenſe des variations contre la reponſe de mr. Basnage*, Pariſiis MDCCI. 12. Basnagius autem, quantum ſcio, ei minus reſpondit:

THOMAE ITTIGII *ſelecta hiſtoriæ eccleſiaſticæ capita*, ſeculi primi ac ſecundi, qui in doctrina patrum dictorum ſeculorum adcurate enarranda ſingularem induſtriam poſuit ac quæ de ea adfert, ea omnino ſelecta ſunt ac prorſus exquiſita. Adiungi poſſunt ii, qui ſpeciatim de ipſis patribus eccleſiæ commentati ſunt ac libros eorumdem ita commemorarunt, vt monſtrarent, quæ ſint illorum argumenta. Duo huiusmodi ſcripta adduxiſſe ſufficiat. Alterum eſt: ABRAH. SCVLTETI *medulla theologiæ patrum:* alterum: NICOLAI LE NOVRRY *adparatus ad bibliothe-*

* *acta eruditorum* MDCXCIX. p.402. 433. 481. NEOCORI et SIKII *bibliothec. libror. nouor. tom.* IV. p.24. et 215. *hiſtoire des ouvrages des ſauans* MDCXCVIII. p.278. 382. *hiſtory of the works of the learned* MDCCX. p. 203. *nachricht von den büchern in der ſtolliſchen bibliothec tom.* I. p. 92.

cam maximam veterum patrum, de quo vtroque opere iam ſupra diſſerui.

§. X.

Addo *quartam* claſſem ac refero ad illam ſcripta varii generis, præcipue de *ipſa theologia ac ſtudio illius*, recte ſapienterque inſtituendo, ita compoſita, vt ex patrum monimentis præcepta ac ſententiæ diligenter recenſeantur atque in nonnullis ipſa patrum ſcripta, ad rem hanc ſpectantia, exhibeantur, cum multis vtilibus regulis, quæ præſcribuntur atque ad eruditionem pariter ac pietatem pertinent.

In claſſe hac primum locum tenent: *inſtitutiones theologicæ antiquorum patrum, quæ aperto ſermone exponunt breuiter theologiam, ſiue theoreticam; ſiue practicam.* Opus hoc collegit et ad publicum vſum transtulit IOSEPHVS MARIA TOMASIVS, romanæ eccleſiæ cardinalis. Nomen eius omiſſum eſt quumque tria ſunt volumina, ſingula prodierunt Romæ ex typographia congregationis de propaganda fide, primum MDCCIX. ſecundum MDCCX. tertium MDCCXII. 8. In volumine *primo* poſt præmiſſas *Leonis, Innocentii* III. et *Gregorii magni epiſtolas*, quibus ſtudium, ſcripta patrum eccleſiæ diligenter legendi, multum commendatur, locum obtinuerunt: TERTVLLIANI liber de *præſcriptionibus aduerſus hæreticos*, ex recenſione Iacobi Pamelii: GREGORII *Nazianzeni oratio* XXVI. de *moderatione in diſputationibus theologicis* ſeruanda, interprete Iacobo Billio: eiusdem *oratio* XXXIII. ſiue prima de *theologia*, itidem cum Iacobi Billii verſione ac denique VINCENTII *Lerinenſis commonitorium.* Volumen *ſecundum* complectitur: CYPRIANI *teſtimoniorum ad Quirinum librum tertium:* BASILII *magni aſcetica:* eiusdem librum de *iudicio dei:* de *vera ac pia fide;* nec non eius *moralia*, græce ac latine. Volumen denique *tertium* exhibet ſequentes EPIPHANII libros: *ancoratum*, quo vniuerſa fere fidei doctrina exponitur: *breuis expoſitio fidei* catholicæ et apoſtolicæ eccleſiæ atque *anacephalæoſin;* ſiue eorum, quæ in *panario* aduerſus hæreſes dicta ſunt, epitomen, græce ac latine. In volumine hoc ſunt nonnulla, ob quæ illud duobus prioribus

bus voluminibus iure præfertur. In margine exhibentur plurimæ partim emendationes firmiores; partim coniecturæ criticæ, quibus Petauii editio erudite castigatur. Ibidem quoque diligenter adscripta est synopsis paragraphorum, quæ lectionem libri expeditiorem reddit ac si Epiphanius singulare quid habet, illud itidem notatur. Decreuerat quidem Tomasius, plura volumina harum *institutionum* in lucem emittere, vti ex catalogo, volumini secundo præmisso, videmus; minus autem propositum susceptumque consilium exsequutus est. * Alia scripta quodam modo ad locum hunc referre possum, in quibus sunt:

OTHON. BRVNFELSII *confutatio sophistices et quæstionum curiosarum ex Origine, Cypriano, Nazianzeno, Cyrillo, Chrysostomo, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Athanasio, Lactantio*, Selestad. MDXX. 4.

IACOBI MARIAE GRAVINAE *synopsis theologiæ veterum patrum, ad mentem venerabilis Iosephi cardinalis Tomasii, quæ tractatus saniores scholasticos, fidei dogmata sacramque historiam criticam complectitur*, Panormi MDCCXXXII. fol. Dictus iam cardinalis, *Iosephus Maria Tomasius* ediderat breuiorem indicem institutionum theologicarum veterum patrum, Romæ MDCCI. denuo Panormi MDCCXXIII. MDCCXXXI. litteris descriptum ac regulas præscripserat, quas sequi debeamus, si scripta patrum prudenter atque vtiliter legere velimus, libros Tertulliani, Cypriani, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Epiphanii, Augustini, Vincentii Lerinensis, Theodoreti, Gennadii, Fulgentii, Isidori, Ioannis Damasceni. Prouinciam postea Grauinæ dedit, quæ patres in libris suis de rebus fidei habeant, ea colligendi, in ordinem redigendi ac synopsin theologiæ patrum exhibendi, quod opus suscepit ac primam eius partem, a me adductam, edidit. Num ille laborem hunc continuauerit atque ad finem perduxerit; nec ne, ignoro. Liber ipse

* FABRICII *bibliothec. græc. volum.* XIII. p. 749. NICERONII *memoires tom.* III. p. 278. *acta eruditor.* MDCCX. p. 336. MDCCXI. p. 536. MDCCXIV. p. 123.

ipſe non ea ratione ſcriptus eſt, quam vera ac bene diſpoſita patrum theologia requirit. *

IO. CHRISTOPHORI HARENBERGII *theologia primorum chriſtianorum dogmatica, ex monimentis patrum eccleſiaſticis collecta*, Brunſuici MDCCXLVI. 4. In opuſculo hoc auctor commentatur de libris canonicis ſacris, quot et quales in eccleſia prima exſtiterint: de ſtudio, quo olim apoſtoli ſcripta ſua contra omnem fraudem præmuniuerint: qua fide cœtus ſacri authenticas apoſtolorum litteras cuſtodiuerint et qua diligentia veteres chriſtiani omnia ad regulam codicis ſacri exegerint. Recenſet patres trium priorum ſeculorum, quorum adhuc exſtant monimenta: enarrat eorum ſententias de deo vno et trino, de vtraque chriſti natura, de humanitatis chriſti ſtatu vtroque, de eius deſcenſu ad inferos, de diuinitate ſpiritus ſancti, de gratiæ dei ac redemtionis chriſti vniuerſalitate, de inaudita olim inter latriam, duliam et hyperduliam diſtinctione. Oſtendit præterea, antiquiores chriſtianos alienos fuiſſe a cultu imaginum: crucis ſignum iam ſeculo quidem ſecundo adhibitum eſſe; ſine omni autem cultu adorationis; vel honoris: Mariam deiparam ad finem vsque ſeculi duodecimi creditam fuiſſe, in peccati inſiti labe et conceptam et natam: veteres chriſtianos neque angelis; neque martyrum reliquiis cultum religioſum detuliſſe. Diſſerit quoque auctor de peccato originis, de baptismo infantum et adultorum, de confirmatione baptismali, de ſacra cœna, de figura panis conſecrandi et calicis, de vnico chriſti ſacrificio, de arca eleemoſynaria, de oblatione corporis chriſti repræſentatiua, de inuocatione ſpiritus ſancti eucharistica, de conuentibus chriſtianorum, de euchariſtia paruulorum, de templis, de eccleſia ex mente primorum chriſtianorum. **

IO. ALPHONSI TVRRETTINI oratio de *variis chriſtianæ doctrinæ fatis*, de variis illius ætatibus: aurea ſub chriſto atque apoſtolis: argentea per tria prima chriſtiana ſecula vsque ad Conſtantinum magnum: inde ærea: tum

* *acta eruditorum* MDCCXXXV. p. 533.

** *acta eruditor.* MDCCXLVI. p. 681.

tum a decimo ſeculo ferrea atque iterum argentea a temporibus repurgatorum ſacrorum, ex quo iam indicato argumento orationis huius haud difficulter colligendum eſt, eam non ſine iure ad locum hunc referri.

PETRI ZORNII *delineatio theologiæ patriſticæ, ſecundum ordinem locorum theologicorum adornata.* In prolegomenis tria capita pertractata ſunt atque exponitur de ſcriptoribus in genere, qui ad lectionem patrum ducunt: de regulis generalibus, in lectione patrum obſeruandis ac de theologicis patrum ſyſtematibus. Ipſa delineatio tribus partibus conſtat. Prima auctor differit de theologia patrum dogmatica, ſpeciatim de ſcriptura ſacra, de deo, de creatione ac prouidentia, de angelis et ſtatu integritatis primi hominis, de libero arbitrio et peccato, de incarnatione filii dei, de conuerſione et pœnitentia, de iuſtificatione et ſanctificatione, de prædeſtinatione, de baptiſmo, de ſacra euchariſtia, de oratione, de coniugio, de magiſtratu politico, de miniſterio eccleſiaſtico, de libertate chriſtiana, de morte et ſtatu animæ poſt mortem, de iudicio extremo, de reſurrectione et vita æterna. Parte ſecunda continetur expoſitio de patrum oratoria ſacra ac tertia de theologia patrum morali, quæ duæ poſteriores partes prima longe breuiores ſunt. Ipſa delineatio monſtrat auctoris eruditionem ac laudabilem induſtriam hancque ob rem non ſine vtilitate legenda eſt. Aliis tamen reliquit, quæ emendationem poſtulant. Quæ apud patres ſunt, dogmata, ſpeciatim teſtimonia veritatis non diſtincte atque expreſſe adfert; nec ſemper debitam probat adcurationem. Commentationem hanc, quum illa manuſcripta tantum exſtiterit, iuris publici fecit IO. DIETERIC. WINCKLERVS.*

§. XI.

Venio ad vltimam claſſem eamque *quintam* atque in illa locum adſigno ſcriptoribus, qui *hiſtoriam ſingularis dogmatis chriſtiani* ita illuſtrarunt, vt non ſolum enarrarent, quæ recentiore ætate de iſto ſint tradita, diſpu-

* in *tempe, anecdota ſacra varia complexa* p. 263.

disputata, controuersa; sed etiam commemorarent, quæ antiquiori tempore fata eiusdem fuerint ac per consequentiam quæ et patres ordinis sacri de capitibus fidei docuerint. Varia scripta prodierunt, quæ huc pertinent. Exstant:

I. de *scriptura sacra*, IACOBI VSSERII *historia dogmatica controuersiæ inter orthodoxos et pontificios de scripturis et sacris vernaculis*, Londini MDCXC. 4. Prodiit illa cura *Henrici Whartoni*, vna cum eiusdem notis atque auctario. Merito ipsi locum hunc tribuo. Diligenter enim patrum græcorum ac latinorum testimonia a christo nato ad annum DC. contra pontificios eorumque errores de scripturis sacris enarrantur, quæ et ab aliis, supra a me commemoratis, oblata occasione adducta sunt.

II. de *trinitate*, maxime de *diuinitate christi*, quo spectant inprimis scripta GEORGII BVLLI eaque: *defensio fidei Nicænæ de æterna diuinitate filii dei, ex scriptis sanctorum patrum, qui intra tria prima ecclesiæ christianæ secula floruerunt*, Oxoniæ MDCLXXXV. 4. Amstelodami MDCLXXXVIII. 4. eiusdem *iudicium ecclesiæ catholicæ trium priorum seculorum de necessitate credendi, quod dominus noster iesus christus sit verus deus, adsertum contra Simonem Episcopium aliosque*, MDCXCIV. 8. Amstelodami MDCXCVII. 8. ac *primitiua et apostolica traditio dogmatis, in ecclesia catholica recepti de iesu christi seruatoris nostri diuinitate, adserta atque euidenter demonstrata contra Danielem Zuickerum Borussum eiusque nuperos in Anglia sectatores*, quod scriptum primam lucem vidit in BVLLI *operibus*, Londini MDCCIII. fol editis. * Addi possunt, quæ recentiore ætate contra Arianos, tritheitas atque alios trinitatis hostes pro concilio Nicæno eiusque doctrina disputata hacque occasione de patribus ecclesiæ eorumque sententia de trinitate copiose dicta sunt. Inter alia dimicauit hac de re PETRVS FAYDIT cum P. HVGONE atque edidit: *apologie du systeme des saints peres sur la trinité*, Nanceii MDCCII. 12. ** Quæ a nobis creden-

* edita sunt BVLLI *opera* cura *Io. Ernesti Grabii* dicto anno.

** *iournal des sauans* MDCCII. *septembr*. p. 991. MDCCIV *ianuar*. p. 50. adde: DVPIN *nouuell. bibliothequ. des auteurs ecclesiastiqu. tom*. XIX. p. 308.

denda sunt de processione spiritus sancti, ea huc quoque pertinent. Dogma hoc singulari studio explanaui quumque præter alia, narraui, quæ fata illius fuerint, patrum quoque ecclesiæ dicta ac sententias recensui. Commentatio ipsa, ita inscripta, in lucem exiit: *historia controuersiæ Græcorum Latinorumque de processione spiritus sancti*, Ienæ MDCCLI. 8.

III. de *peccato originis*, de quo itidem commentatus sum ac conscripsi *historiam doctrinæ de peccato originis*, Ienæ MDCCXXXVIII. * Addi possunt, quæ in lite DANIEL. WHITBY de imputatione peccati Adami dicta atque exposita sunt. Quum enim ille euulgasset *tractatum de imputatione diuina peccati Adami posteris eius vniuersis in reatum*, Londini MDCCXI. 8. eoque imputationem hanc negasset. non defuerunt, qui merito aduersus eum pugnarent, hacque occasione illustrata quoque sunt testimonia, quæ patres ecclesiæ de peccato originis scripta reliquerunt. Inter aduersarios eius locum sibi fecit IONATHAN EDWARDVS eique opposuit *defensionem doctrinæ de peccato originali*, lingua gallicana, Oxoniæ MDCCXI. 8. hocque libro verum dogma de peccato originis ex scriptura sacra et monimentis patrum ecclesiæ, qui ante Augustinum vixerunt, tradidit ac probauit. **

IV. de *gratia et prædestinatione*, de qua legi possunt: CHRISTOPHORI MATTH. PFAFFII *specimen historiæ dogmaticæ in articulo de gratia et prædestinatione*, Tubingæ MDCCXVII. 4. *** IO. IACOBI HOTTINGERI *fata doctrinæ de prædestinatione et gratia dei salutari secunda et aduersa, inde a beato apostolorum excessu ad hæc vsque tempora, in annales digesta*, Tiguri MDCCXXVII. 4. quibus et alii adiungi possunt. Sunt in numero eorum: ISAACVS HABER-

* translata illa est in *miscellanea* mea *sacra* p. 173.

** de controuersia hac pluribus exposui in *der einleitung in die religionsstreitigkeiten ausser der euangelischlutherisch. kirche part.* III. p. 991. adde: CLERICI *bibliothequ. ancienne et moderne tom.* IX. p. 320. NICERONII *memoires tom.* XXI. p. 249.

*** est in eius *primitiar. tubingens. part.* I. p. 87. ac germanice in eiusdem *gesamleten schriften, so zur vereinigung der protestirenden kirchen abzielen*, *part.* I. p. 118.

HABERTVS, cuius *theologiæ græcorum patrum vindicatæ circa vniuerſam materiam gratiæ libri* III. in lucem prodierunt, Pariſiis MDCXLVI. fol. et IO. BAPTIST. DV CHESNE libro inſcripto: *predeſtinationisme, ou les hereſies ſur la predeſtination et la reprobation, traité hiſtorique et theologique,* Pariſiis MDCCXXIV. 4. *.

V. de *chriſto*, de cuius diuinitate dogma ex patrum monimentis enarratum eſt in GEORGII BVLLI variis ſcriptis, antea memoratis, maxime in *defenſione fidei Nicænæ de æterna diuinitate filii dei.* De ſatisfactione chriſti eaque vniuerſa veterum doctorum eccleſiæ teſtimonia a variis doctiſſimis viris collecta ſunt ac præter alios, legi poſſunt: GER. IO. VOSSIVS ** et HVGO GROTIVS.*** Ad dogma de *deſcenſu chriſti ad inferos* pertinet: IO. AVGVSTINI DIETELMAIERI *hiſtoria dogmatis de deſcenſu chriſti ad inferos litteraria*, Noribergæ MDCCXLI. 8. cum *Io. Balthaſ. Bernholdi* præfatione.

VI. de *iuſtificatione* non ſingularem quidem librum memorare poſſum, qui dogma de illa, ex patrum ſcriptis illuſtratum ac confirmatum, complectatur; ſatis tamen firmum atque euidens eſt, doctores illos præclara teſtimonia de iuſtificatione, non per opera; ſed per ſolam fidem impetranda, in monimentis ſuis reliquiſſe. Præter alios recenſent illa: DANIEL CHAMIERVS, * IO. FORBESIVS, ** *centuriatores magdeburgenſes*, *** BALTHAS. BEBELIVS, * IO. FRANCISC. BVDDEVS. **

VII. de *ſacramentis:* CHARDONI *hiſtoire des ſacramens*, Pariſiis MDCCXLV. 12. ſex voluminibus, ſacramentorum baptismi non ſolum ac ſacræ cœnæ; ſed eorum quoque

* *memoires de Treuoux* MDCCXXV. *mai.* p. 873.
** *hiſtor. Pelagian. libr.* VII. *part.* I.
*** *defenſion. fidei catholicæ de ſatisfaction. chriſt. cap.* 10.
* *panſtrat. catholic. tom.* III *libr.* 22. *cap.* 5.
** *inſtruction. hiſtorico-theol. libr.* VIII. *cap.* 24. p. 424.
*** *cap.* IV. p. 36.
* *antiquit. eccleſ. ſecul.* III. p. 770. et *ſecul.* IV. p. 370.
** *inſtitution. theolog. dogmatic. libr.* IV. *cap.* 4. §. 17. p. 1367.

quoque, quæ præter illa apud pontificios in numero ſacramentorum ſunt: *

VIII. de *baptismo:* GER. IO. VOSSII *diſputationes de baptismo*, Amſtelodami MDCXLVIII. 4. ** ſpeciatim de baptismo infantum GVIL. WALLI *hiſtory of infant baptism*, qui liber anglice in lucem exiit Londini MDCCV. 8. *** hancque primam editionem ſequuta eſt ſecunda MDCCVII. tertia auctior MDCCXX. quarta MDCCXXXI. Ex anglico ſermone illum in latinum conuertit, nonnullis etiam obſeruationibus et vindiciis locupletauit *Io. Ludouicus Schloſſer*, Bremæ MDCCXLVIII. ac MDCCLIII. 4. duobus voluminibus.* Hiſtoria hæc auctoris ſingularem eruditionem atque induſtriam commendat atque ad dogma de infantum baptismo illuſtrandum ac confirmandum multa præbet adiumenta.

IX. de *ſacra cœna*, de qua duo tantum ſcripta commemoraſſe ſufficiat. Alterum eſt: PHILIPPI MORNAEI *de l'inſtitution, vſage et doctrine de l'euchariſtie en l'egliſe ancienne, enſemble quand comment et par quels degrez la meſſe s'eſt introduite en la place*, Rupell. MDXCVIII. 4. ibidem MDXCVIII. 8. MDXCIX. 8. Salmurii MDCIV. 4. quæ vltima editio ab auctore emendata atque a geneuenſibus doctoribus adprobata eſt; latine autem opus hoc, ab ipſo Mornæo conuerſum, prodiit Francofurti et Hanouiæ MDCV. fol. et 8. Si remouemus dogmata, eccleſiæ, in cuius communione Mornæus fuit, propria, laudandum id omnino eſt. Repugnat ac reſiſtit contra pontificios eosque ex antiquitate eccleſiaſtica ac patrum teſtimoniis feliciter refellit. ** Alterum ſcriptum, iam adducendum, eſt MATTHAEI LARROQVANI *hiſtoire de l'euchariſtie*, Amſtelodami MDCLXIX. 4. ſine auctoris nomine atque iterum

* *memoires de Treuoux* MDCCXLV. *iun.* p. 953. *auguſt.* p. 1364. *octobr.* p. 1721. *decembr.* p. 2169.

** denuo litteris deſcriptæ ſunt in eiusdem *operibus* horumque *tomo*, qui *tractatus theologicos* continet, p. 241.

*** BERNARDI *nouuelles de la republique des lettres* MDCCVIII. *octobr.* p. 363. *nouembr.* p. 563.

* *acta erudítor.* MDCCXLIX. p. 164. MDCCLVI. p. 152.

** *vnſchuldige nachrichten*, 1711. p. 279.

iterum MDCLXXI. 8. quae editio scriptorem prae se fert. Translatus est liber hic in linguam anglicam. Inter pontificiorum errores praecipue locum habet *transsubstantiatio*, quae a multis profligata est etiam ex monimentis patrum. Legantur: IO. COSINI *historia transsubstantiationis papalis*, Londini MDCLXXV. 8. et Bremae MDCLXXVIII. 8. vbi auctor non solum originem ac progressionem transsubstantiationis enarrat; sed etiam contra illius dogma disputat, ita tamen, vt anglicanae faueat ecclesiae: IO. RVDOLPH. KIESLINGII *historia concertationis Graecorum Latinorumque de transsubstantiatione in sacrae eucharistiae sacramento*, Lipsiae MDCCLIV. 8. * Dissertatio, a me conscripta, de *historia transsubstantiationis pontificiae*, prodiit Ienae MDCCXXXVIII. ** Referri et huc possunt scripta controuersiae pontificiorum ac reformatorum, quae nata est ex opere, vti dicitur, *perpetuitatis fidei* atque ad dogma de sacra coena spectat. Vtrique caussae suae praesidium in antiquitate ecclesiastica inueniri, putarunt idque aliis persuadere voluerunt. Hanc in rem multa patrum testimonia collecta sunt, cum a pontificiis, eo consilio, vt illis errorem suum de transsubstantiatione confirmarent; tum a reformatis, ea mente, vt probarent, ab antiquioribus christianis haud creditam fuisse veram praesentiam corporis ac sanguinis christi in sacra coena. Magnus est numerus scriptorum, quibus bellum hoc coeptum ac productum est. Notitiam eorum alibi *** suppeditaui. Recensent ista LVD. ELL. DVPIN, * CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS ** atque alii.

X. de *poenitentia:* PETRI MOLINAEI scriptum de *poenitentia et clauibus*. Sedani MDCLII. 8. *** IO. IACOBI HOTTINGERI *biga exercitationum historico-theologicarum* de

---

* *acta eruditor.* MDCCLV. p. 164. KRAFTII *theolog. biblioth.* volum. X. p. 418.

** locum obtinuit in *miscellaneis* meis *sacris* p. 205.

*** *bibliothec. theolog. tom.* II. p. 231.

* *bibliothequ. des auteurs ecclesiastiqu. tom.* XVIII. p. 110.

** *dissertationib. anti-Rogerian.* p. 8.

*** *vnschuldige nachrichten*, 1706. p. 799.

de pœnitentia, cum antiquioris; tum romanæ eccleſiæ, Tiguri MDCCVI. 4. ANTONII ARNALDI *tradition de l'egliſe ſur le ſuiet de la penitence et de la communion*, Pariſiis MDCXLIV. 4. * Quum pontificis romani ſectatores non ſolum peruerſe pœnitentiam inter ſacramenta numerant; ſed etiam de ipſa pœnitentia eiusque natura praua ſentiunt traduntque, ſcripta eorum cum iudicio atque ea ratione legenda ſunt, vt vera ac falſa diſcernantur.

XI. de *miniſtris eccleſiæ:* BERNARDI RAVPACHII *commentatio de officio miniſtri eccleſiæ ex mente et exemplo patrum apoſtolicorum*, Kilonii MDCCXIV. 8. ** Quæ auctor de miniſtris eccleſiæ, eorum officiis virtutibusque copioſe diſſerit, ea ex ſcriptis Clementis romani, Ignatii ac Polycarpi illuſtrat ac teſtimonia illorum diligenter adducit.

XII. de *fine mundi: examen des ſentimens des ſaints peres ſur la durée des ſiecles*, Pariſiis MDCCXXXIX. 12. *** Exponit auctor de quæſtione: num vniuerſum hoc ad ſex millia annorum, quæ perantiqua ac ſatis nota, maxime iudæorum, opinio eſt, duraturum ſit; nec ne? atque inter alia ſententias patrum hac de re recenſet atque animaduertit, illos non omnes perſuaſionem de mundo, ad ſex millia annorum duraturo, adprobaſſe: immo fuiſſe, qui eam reiicerent.

§. XII.

Teſtimoniorum de veritate doctrinæ chriſtianæ, quæ in ſcriptis patrum habentur, duos ordines ſupra conſtitui, quum alia a patribus, vniuerſe ac generatim ſumtis, edita ſunt; alia autem in teſtimoniis ſingularibus numerari debent, ea nimirum, quæ a ſingulari patre; ſiue veterum chriſtianorum doctore accepimus. De illis, quæ prioris ordinis ſunt, ſatis copioſe diſſer-

* *ſamlung von alten vnd neuen theolog. ſachen*, 1746. p. 182.

** *acta eruditor.* MDCCXV. p. 530.

*** *fortgeſezte ſamlung von alten vnd neuen theolog. ſachen*, 1741. p. 110.

differui. Igitur accedo ad ordinem secundum; siue testimoniorum singularium. Fuerunt inter patres, qui præ aliis illustria ac memorabilia testimonia relinquerent. Quo maiorem existimationem isti sibi compararunt; eo maiorem auctoritatem dogmata atque effata illorum præ se habent nosque illis vti possumus contra aduersarios, pontificios, reformatos atque alios non sine vtilitate. Eminet in iis Augustinus, cuius testimonia diligenter collecta ac defensa sunt. Comprobant hoc varia singularia de eo scripta, cuius generis et alia de reliquis patribus, veritatis testibus, prodierunt, a me nunc enumeranda. Exstant:

I. de CLEMENTE *romano* ERNESTI SALOM. CYPRIANI dissertatio de *Clementis romani, Ignatii, Polycarpi et Iustini martyris doctrina euangelica*, Coburgi MDCCI. * IACOBI HENRICI BALTHASARIS *demonstratio veritatis et diuinæ originis librorum noui testamenti ex Clementis romani testimoniis de apostolis iesu christi*, Gryphiswaldiæ MDCCXXIV. ** CHRIST. EBERH. WEISMANNI dissertatio de *Clementis romani de iustificatione per fidem absque operibus sanctitatis insigni sententia*, contra Bullum et Clericum, Tubingæ MDCCXXXII. IO. FRANCISCI BVDDEI *dissertatio historico-theologica, qua euincitur, Clementem romanum atque Irenæum non fauere missæ pontificiæ.* ***

II. de IGNATIO CHRISTOPH. BEYERI dissertatio de *Ignatio veritatis confessore et martyre*, Lipsiæ MDCCXXII. IO. GEORGII IOCHII disputatio, qua ostenditur, *patres primitiuæ ecclesiæ et speciatim Ignatium non fauere merito bonorum operum*, Tremoniæ MDCCXVI.

III. de POLYCARPO, *doctrina Polycarpi*, studio IACOBI HENRICI BALTHASARIS conscripta. Exposuerat BALTHASAR Polycarpi dogmata de scriptura sacra, de deo trinuno,

* est in eiusdem *dissertationibus varii argumenti* p. 22.

** addita est illius *doctrinæ Polycarpi de præcipuis christianæ fidei capitibus*, postea sigillatim recensendæ.

*** exstat in eius *syntagmate dissertationum theologicarum* p. 1.

uno, de filio dei atque ecclesia, quatuor dissertationibus, Gryphiswaldiæ ab anno MDCCXXXI. separatim editis, ea ratione, vt ostenderet, Polycarpum nobiscum consentire; pontificiis autem aduersari. * Disputationes has coniunctim postea publicæ luci exposuit, sub titulo: *doctrina Polycarpi de præcipuis christianæ fidei capitibus*, Ienæ MDCCXXXVIII. 8.

IV. de IRENAEO, de quo quum RENATVS MASSVETVS aliis persuadere vellet, eum omnia fere dogmata romanæ ecclesiæ auctoritate sua confirmare, restitit illi merito SALOM. DEYLINGIVS ac monstrauit, doctorem hunc antiquioris ecclesiæ testimonia veritatis euangelicæ scripta reliquisse in vindiciis *Irenæi; siue Irenæo, euangelicæ veritatis confessore ac teste, a Renati Massueti prauis explicationibus vindicato*, Lipsiæ MDCCXVII. ** Referri et huc potest iam memorata dissertatio BVDDEI, *qua euincitur, Clementem romanum atque Irenæum non fauere missæ pontificiæ.*

V. de TERTVLLIANO commentatio ERNESTI SALOMONIS CYPRIANI de *doctrina Tertulliani euangelica*, Coburgi MDCCI. ***

VI. de TERTVLLIANO ac CYPRIANO coniunctim, quorum effata collecta ac per locos theologicos disposita sunt in HERMANNI RATHMANNI *theosophia priscorum patrum, Tertulliani et Cypriani, fidei antiquæ et vitæ vere christianæ certa et salutaria tradens documenta, e monumentis eorum propriis reddita et recitata verbis*, MDCXX. 4. Liber hic, præfatione ac carmine Meisneri omissis, variis nouis titulis ornatus; ipse autem litteris non iterum descriptus est, fortasse eam ob caussam, quia non multi fuerint, qui illum emerent, postquam is adspexerat lucem. Post primam editionem prodiit iste inscriptus: *theologia speculatiua et practica, ex patribus ab insigni quodam theologo collecta et publici iuris facta*, Vitemb. MDCXXXVI. sine nomine auctoris: postea hoc titulo: *medulla patrum*,

 hoc

* *acta eruditor.* MDCCXXXII. p. 387.
** translatæ sunt *vindiciæ* hæ in eiusdem *obseruationes miscellan.* p. 3.
*** est in eius *dissertationibus varii argumenti* p. 1.

hoc eſt, conſenſus harmoniacus patrum fidei antiquæ et vitæ vere chriſtianæ, certis per locos theologicos porismatibus conſignatus, certa et ſalutaria contra aduerſarios quosuis tradens documenta. In fine additur theologia practica e Tertulliani et Cypriani propriis verbis concinnatus et luci expoſitus a M. Hermanno Rathmanno, Vitemberg. MDCLV. qui titulus vt vitioſus eſt; ita nec apte ad fucum faciendum excogitatus. Venit præterea liber hic in conſpectum eruditorum ſub hac inſcriptione: *aurifodina patrum theologica, tum ſpeculatiua; tum practica, certis per locos theologicos porismatibus conſignata: certa ac ſalutaria contra aduerſarios quosuis tradens documenta, a multis iam dudum deſiderata. Iam nunc vero ab inſigniori quodam et de eccleſia chriſti quam meritiſſimo theologo publici iuris facta,* Vitemb. MDCLXIV. Cur in quibusdam horum titulorum nomen auctoris haud adpoſitum ſit, cauſſam fuiſſe controuerſiam Rathmannianam, ſuſpicari licet. Quos recenſui, tituli poſteriorum editionum ipſi libro non congruunt:

VII. de IVSTINO *martyre* ſtudio CHRISTIANI NIFANII in conſpectum publicum venit: *Iuſtinus, philoſophus chriſtianus et martyr, exhibitus veritatis euangelicæ teſtis et confeſſor de ſacro-ſancta trinitate et perſona chriſti,* Francofurti MDCLXXXVIII. 8. * quo libro Chriſtophorus Sandius impugnatur ac dubitari poteſt, num ille communi cum aliis iure referri huc poſſit; nec ne?

VIII. de CYRILLO *Hieroſolymitano*, teſte veritatis defenſo, legenda eſt SALOMON. DEYLINGII diſſertatio, qua exhibetur *Cyrillus Hieroſolymitanus, a corruptelis pontificiis, quas recentiſſimus eius elucidator, Antonius Auguſtinus Touttæus aliique ei adfinxerunt, vindicatus,* Lipſiæ MDCCXVI. **

IX. de HIERONYMO, quo ſpectat: CHRISTIANI GOTTLIEB. KOCHII *Hieronymus contra chiliaſtas vindicatus,*

* BAELII *nouuell. de la republiqu. des lettres* MDCLXXXVIII. *iun.* p 675. *ſamlung von alten vnd neuen theolog. ſachen*, 1729. p. 736.

** eſt in eius *obſeruationib. miſcell.* p. 116.

tus, Flensburgi MDCCVIII. 8. Commentatio hæc contra eos conſcripta eſt, qui ex Hieronymi quodam effato in eiusdem *commentario in Ieremiam* colligere voluerunt, iſtum amplexum eſſe ſententiam chiliaſtarum, vti dicuntur, propriam.* Referri et huc poteſt: DAVID. BLONDELLI *apologia pro ſententia Hieronymi de presbyteris et epiſcopis*, Amſtelodami MDCXLVI. 4.

X. de EPHRAEMO *Syro*, cuius duo exſtant ſermones de *ſacra cœna*, qui teſtantur de vera doctrina atque eccleſiæ Lutheranæ ſententiam confirmant. Editi illi ſunt a IO. PETRO KOHLIO atque *introductioni in hiſtoriam et rem litterariam Slauorum, inprimis ſacram*, Altonauiæ MDCCXXIX. 8. adiuncti. Ob *ſermones* hos nactus eſt Kohlius aduerſarium, qui ipſi oppoſuit: *antirrheticon; ſeu confutationem adnotationum Io. Kohlii ad geminos ſancti Ephræmi de ſacra cœna ſermones*, Romæ MDCCXL. 8. Quis commentationis huius auctor ſit, in titulo quidem non indicatur; ex adprobatione tamen, quæ præmiſſa eſt, patet, *Petrum Benedictum*, in ordinem ſocietatis iesu adſcriptum, illam compoſuiſſe. Quæ aduerſus Kohlium disputantur, ea non magnum momentum habent. Probare voluit auctor, primum Kohlium verba Ephræmi minus recte intellexiſſe: deinde ſermones, a Kohlio vulgatos, non eſſe Ephræmi, quæ quidem dixit; minus autem adtulit argumenta, ſatis grauia.**

XI. de AVGVSTINO, cuius multa teſtimonia veritatis euangelicæ conſeruata atque ad nos delata ſunt. Recenſent iſta doctiſſimi viri in libris, hac de re ſingulari ſtudio compoſitis atque in lucem emiſſis. Locum in illis habent: ERASMVS SARCERIVS in *præcipuis ſacræ ſcripturæ communibus locis, a doctiſſimo et ſanctiſſimo doctore Auguſtino tractatis et in concinnam methodi formam contractis*, Francofurti MDXXXIX. 8. quo libello multa quidem prætermiſſa ſunt, quæ omnino adferri atque enarrari debuiſſent; ille tamen non omni vtilitate caret; nec contemnendus eſt: ANTONIVS CORVINVS in *Auguſtini*

* *vnſchuldige nachrichten*, 1708. p. 699.
** *ad noua acta eruditor. ſupplement. tom.* V. p. 102.

ſtini et Chryſoſtomi theologia, ex libris eorum depromta inque locos communes digeſta, Halæ Sueuorum MDXXXII. 8. Francofurti MDXLII. 8. * qui libellus non magni momenti eſt. Ordinem locorum theologicorum, quemadmodum titulus habet, auctor non ſequitur; nec ſcripta germana atque adulterina diſcernit, quod ipſe fatetur ac cauſſam, cur diſcrimen hoc neglexerit, hanc adfert: ** *quod alicubi ex iis etiam libris, qui falſo cum Auguſtino; cum Chryſoſtomo inſcribuntur, pleraque citauimus, rogo, candide lector, vt boni conſulas. Data enim opera, non errore hoc factum eſt. Quæris, cur iſtuc? Ego in ea ſum ſententia, vt nullum bene dictum contemni debere exiſtimem, quantumuis etiam ineptum auctorem habeat. Et tritum eſt illud: ſæpe etiam eſt olitor valde opportuna loquutus,* quæ ad rem ipſam defendendam; aut excuſandam haud ſufficiunt. Principem locum inter ſcriptores hos adquiſiuit ſibi ANTONIVS REISERVS, quum opus egregium compoſuit, inſcriptione hac in lucem editum: *Auguſtinus, veritatis euangelico-catholicæ in potioribus fidei controuerſiis teſtis et confeſſor, contra Bellarminum et alios ſcriptores papæos, antiquos pariter et recentiores*, Francofurti MDCLXXVIII. fol. Perſpicue oſtendit, Auguſtinum minime eccleſiæ romanæ fauere, quod pontificii, inprimis Robertus Bellarminus, aliis perſuadere conantur; ſed aperte aduerſari. Inſertæ etiam ſunt ſuo loco quæſtiones Ianſenio-Noriſianæ, quarum et in titulo operis mentio fit. Alii adiungendi ſunt atque in his locum habent: ELIAS VEIELIVS, qui iuris publici fecit: *Auguſtinum, veri falſique in capitalioribus, quæ nobis cum pontificiis doctoribus intercedunt, controuerſiis fidelem indicem*, duabus partibus, Vlmæ MDCLXXVIII. MDCLXXIX. 12. CHRISTIANVS WEISIVS, cuius lucem adſpexit: *licht der Wahrheit, welches die euangeliſche kirche mit Auguſtino erkannt hat*, Lipſiæ MDCCVI. 4. Quodam modo occaſione hac etiam adduci poteſt HYACINTHI TONTI *Auguſtiniana de rerum creatione ſententia, ex pluribus diſceptationibus, habitis in archigymnaſio Patauino anno* MDCCXIII. *deprom-*

* confer BARINGII *leben Antonii Coruini* p. 99.
** in *monito ad lectorem*.

depromta, Patauii MDCCXIV. 4. De creatione mundi Auguſtino ſententia tribuitur, eum cum Philone, Clemente Alexandrino, Ambroſio atque aliis patribus ſtatuiſſe, mundum conditum eſſe in momento. Sed tamen fateor ipſe, librum hunc minus adcurate huc referri. Memorantur etiam PAPPI *parallela Auguſtiniana*, quæ mihi non ſatis nota ſunt hancque ob cauſſam nec ad notitiam illorum ſuppeditandam valeo. Quando patrum ſcripta polemica a me enumeranda ſunt, occaſionem habebo, alia Auguſtini monimenta, iam prætermiſſa, adducendi:

XII. de CHRYSOSTOMO, quem de lutherana; non de pontificia doctrina conſenſionem declaraſſe, IO. FRID. MAYERVS oſtendit: in *Chryſoſtomo lutherano, orthodoxæ veritatis aduerſus decreta concilii tridentini adſertore, Georg. Haidelbergeri Chryſoſtomo papiſtæ* oppoſito, Grimmæ MDCLXXX. 4. quumque IO. FRANCISC. HACKIVS *Chryſoſtomum, a lutheraniſmo vindicatum,* Oliu. MDCLXXXIII. 4. aduerſus Mayerum edidiſſet, hic cauſſam Chryſoſtomi pariter ac lutheranæ eccleſiæ egit in *apologetico pro lutheraniſmo Chryſoſtomi,* MDCLXXXVI. 4. Adiungi poſſunt: *vita Ioannis, epiſcopi quondam Conſtantinopolitani, dicti Chryſoſtomi, cum ſpecimine doctrinæ ex ſcriptis eius*, ceter. Halæ MDCCII. 8. cuius auctor eſſe BALTHAS. KOEPKENIVS perhibetur, et IO. ERH. KAPPII diſſertatio de *Chryſoſtomi ad Cæſarium monachum epiſtola, veritatis euangelicæ contra pontificiorum transſubſtantiationem inſigni teſte*, Lipſiæ MDCCXXIII. Quodſi

XIII. BERNHARDVM chriſtianis doctoribus, *patrum* nomine claris, ſi adnumerare velimus, et iſte inter teſtes veritatis euangelicæ locum tenet, quemadmodum ex GEORG. HENR. GOETZII *ſchediaſmate de lutheraniſmo Bernhardi*, Dresdæ MDCCI. 4. patet.

§. XIII.

Enumeraui ſingularia ſcripta, quæ ad patrum theologiam dogmaticam pertinent atque eo inprimis ſpectant, vt ex illorum monimentis oſtendant, antiquiores doctores hos teſtimonia veritatis euangelicæ

 præ-

præbere; nec cum pontificiis; aut reformatis; ſed cum lutheranis conſentire. Libri quidam, qui et huc referendi eſſe videri poſſunt, a me omiſſi ſunt, quoniam putaui, eos inter reliquos, a me commemoratos, adcurate ac iuſte locum non tueri. Nunc tamen illos ſubiungam ac coniunctim enarrabo. Sunt in eorum numero ſcripta, quæ iam ſequuntur:

OTTOMARI EPPLINI *ſelectiora patrum iudicia de pericopis euangelicis, quæ quotannis in eccleſiis chriſtianis explicantur*, Regiomonti MDLX. fol. Vocem *patrum* auctor ſumit latiore ſignificatione ac per illos intelligit non tantum antiquiores chriſtianos doctores ſex priorum ſeculorum; ſed eos quoque, qui poſtea vsque ad ſeculum XV. vixerunt. Ea, quæ patres hi in pericopas ac ſingulos illarum verſus commentati ſunt, Epplinus diligenter collegit atque ita ante oculos poſuit, vt qui ſcire cupit, quæ ſint patrum interpretationes euangeliorum, facile eas perſpicere queat. Exſtant alia generis huius ſcripta inque his locum tenent: *l'euangile de ſaint Matthieu, auec les explications des ſaints peres et des auteurs eccleſiaſtiques*, Pariſiis MDCXCVII. 8. TOBIAE MAGIRI *poſtilla patrum; ſeu meditationes patrum orthodoxorum in euangelia anniuerſaria*, Francofurti MDCXXXIX. 4. atque alia.*

IO. LOPEZII *epitome ſanctorum patrum per locos communes, qui ad virtutum et vitiorum tractationem et ad fidei noſtræ myſteriorum expoſitionem pertinent et ad ſacras conciones per annum tam de tempore; quam de ſanctis*, quatuor; aut quinque voluminibus, Romæ MDXCVI. fol. Venetiis MDC. 4. Antuerpiæ MDCXIV. Brixiæ quoque ac Coloniæ Agrippinæ. Quod opus eſt magnæ molis; paruæ autem vtilitatis. Conſecratum id eſt illis, qui orationes ſacras ſcribere ac teſtimoniis patrum ornare volunt.**

IO. BOTSACCI *patrologia; ſiue de libertate, veterum doctorum ſcripta iudicandi, qua dilucide oſtenditur, omnes fere patres errorum et hereſeon ab ipſis pontificiis argui atque poſtulari*, Stetini MDCLXIV. 8. Differit auctor ſatis copioſe de erroribus patrum eccleſiæ eoſque recenſet ſecundum ordi-

* FABRICII *hiſtoria bibliothec. part.* I. p. 243.

** ANTONIVS *bibliothec. hiſpan. nou. tom.* I. p. 550.

ordinem locorum theologicorum; poſtquam autem de illis expoſuit, varias ſubiungit quæſtiones atque ad illas reſpondet, vti ſunt: an omnes patres adprobent doctrinam ac fidem pontificiorum? annon pontificiis romani pontificis auctoritas maior ſit; quam ipſa patrum auctoritas? an patres ad aliorum patrum ſcripta, ſecundum diuinam ſcripturam, ſe reſtrinxerint? an patres ſenſum eccleſiæ nobis ſignificent? an ex iisdem patribus poſſit hodiernarum controuerſiarum deciſio fieri? fundamentum auctoritatis quodnam ſit? quomodo pontificii ſe gerant erga patres? an lutherani damnent patres?

Ephemerides patrum, quæ prodire cœperunt Flensburgi MDCCVIII. 4. Quot partes earum lucem adſpexerint: qui ſtudia ſua ad illas conſcribendas adhibuerint, me ignorare fateor. Auctor earum dicitur KOCHIVS; qualis autem ille ſit, haud indicatur. Spectabant iſtæ ad patrum eccleſiæ ſcripta eorumdemque dogmata ac ſententias.*

GER. TITII *tractatus de phraſibus; ſiue loquutionibus veterum eccleſiæ doctorum, quibus pro fucandis nouitatibus ſuis romano-pontificiæ eccleſiæ doctores hodie abuntuntur*, Helmſtadii MDCLXXVI. 4. vbi auctor oſtendit, pontificios ſæpe quidem ad patrum eccleſiæ effata prouocare, ita vt illa, tamquam argumenta pro prauis dogmatibus atque inſtitutis ſuis adhibeant; eos autem patrum dictis teſtimoniisque abuti.**

Iam enumeratis libris, qui ad patrum theologiam dogmaticam illuſtrandam adhiberi poſſunt, quodam modo adiungenda eſt, ita vt vltimum ſaltem locum obtineat: IO. PISCATORII *bibliotheca ſtudii theologici, ex plerisque doctorum priſci ſeculi monimentis collecta*, cum continuatione IO. CRISPINI, Geneuæ MDLXV. et iterum ibidem MDLXXXI. Conſtat opus hoc tribus partibus ſuntque excerpta in earum prima ex Auguſtino: in ſecunda ex Hieronymo ac in tertia ex Clemente, Irenæo, Tertulliano, Cypriano, Origene, Athanaſio, Lactantio, Ambroſio, Baſilio magno, Gregorio Nazianzeno, Cyrillo Alexandrino, Chryſoſtomo, Fulgentio, Bernardo atque aliis.***

CAPVT

* *vnſchuldige nachrichten* 1708. p 699.
** FABRICIVS *hiſtoria bibliothec. part.* IV. p. 325.
*** FABRICII *hiſtor. bibliothec. part.* I. p. 244.

CAPVT X.

DE PATRVM ECCLESIAE ERVDITIONE SACRA, SPECIATIM THEOLOGIA POLEMICA.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

De patrum ecclesiæ scriptis polemicis generatim §. I.
Speciatim de scriptis contra paganos homines §. II - V.
Contra iudæos §. VI.
Contra hæreticos §. VII. VIII.
De patrum ratione disputandi contra aduersarios §. IX. X.

Postquam de patrum ecclesiæ theologia dogmatica commentatus sum, ordo postulat, vt ad eorum theologiam polemicam ac scripta me conuertam, quibus isti errores confutarunt ac veritates defenderunt confirmaruntque. Semper fuerunt, qui praua dogmata spargerent ac turbas facerent in christianorum coetibus, aduersus quos pugnandi, impositam sibi esse necessitatem, patres intelligebant. Hostes quum varii essent generis, tres illorum præcipuæ classes constitui debent, si maxime ad religionem, quam illi professi sunt, animum aduertamus. Alii erant homines superstitiosi ac plurium numinum cultui addicti: alii iudæi: alii denique, qui ad christianos se adiunxerant; errores autem principales ac magni momenti defendebant ac nomen *hæreticorum* habebant.

§. II.

Duo priores aduersarii, homines pagani ac iudæi, ipsam religionem christianam oppugnare: immo, si id fieri posset, exstinguere, sibi sumserunt; nec solum dogmata illorum, tamquam falsa ac peruersa, perstrinxerunt; sed ipsos quoque homines christianæ professionis magnorum vitiorum, flagitiorum, scelerum adcusarunt. Scriptorum, quæ ab antiquioribus auctoribus contra hostes hos pro veritate sanctissimæ religionis

gionis compoſita ſunt, numerus non exiguus eſt ac quamuis non omnia ab iniuria temporis ſe vindicare potuerint; non pauca tamen conſeruata et ad nos delata ſunt. Monimenta hæc quum nunc a me commemoranda ſunt, initium ab iis facio, quæ contra *homines paganos* conſcripta ſunt ac prodierunt. Ad locum hunc pertinent:

IVSTINI *martyris apologia pro chriſtianis* vtraque: prima, quæ longior eſt, ad Antoninum pium imperatorem, ac ſecunda eaque breuior ad ſenatum romanum. Vulgaris quidem ſententia eſt, primum ſcriptam eſſe breuiorem ac poſtea longiorem, ita vt illa prima; hæc ſecunda numerari debeat; minus autem recte atque adcurate ita ſtatui, doctiſſimi viri animaduerterunt. Præter apologias has, alia Iuſtini ſcripta ad locum hunc referri debent inque numero eorum ſunt: λόγος παραινετικός; ſiue potius ἔλεγχος πρὸς Ἕλληνας, *coargutio ad Græcos*, qua diſputatio fit de religione gentium profanarum deſerenda; chriſtianorum autem amplectenda: λόγος πρὸς Ἕλληνας, *libellus ad Græcos*, quo oſtendit, ſe ethnicis ſuperſtitionibus, quum pleniſſimæ illæ eſſent ineptarum atque impiarum fabularum, merito valedixiſſe; item περὶ τοῦ θεοῦ μοναρχίας, vbi pœtarum teſtimoniis probat, vnum eſſe ſolum deum: *epiſtola ad Diognetum*, itidem ad veritatem religionis chriſtianæ probandam conſcripta. Pro eadem veritate nonnulla alia Iuſtini monimenta adducuntur: nominatim: *Ariſtotelicorum quorumdam dogmatum euerſio: quæſtiones quinque chriſtianæ ad Græcos: quæſtiones græcanicæ de incorporeo, de deo, de reſurrectione: ſolutiones quæſtionum* CXLVI. *ad orthodoxos.* Sed tamen ſcripta hæc ab aliis omittuntur, quum ſatis eſt monſtratum, illa eſſe adulterina.

TATIANI, Iuſtini diſcipuli, natione Syri, λόγος πρὸς Ἕλληνας, quem nobilem ſermonem; ſiue librum ſcripſit, antequam in hæreſin incideret eamque profiteretur, eo conſilio, vt Græcorum ignorantiam retunderet. Inter alia oſtendit, Græcos, quæ bona ac vera habeant, ea barbaris; ſiue orientalibus debere; illa autem ipſa pluribus erroribus ac commentis contaminaſſe.

ATHE-

ATHENAGORAE, patria Athenienſis, philoſophi chriſtiani, presbyteri, eruditione præ aliis inſignis, *apologia*; ſiue, vt in inſcriptione adpellatur, *legatio pro chriſtianis*; vbi tamen ſciendum eſt, græcam vocem πρεσβεία non tantum *legationem*; ſed etiam *precationem* ſignificare. Dedicata illa eſt *imperatoribus Marco Aurelio Antonino et Lucio Aurelio Commodo, Armeniacis, Sarmaticis et quod maximum ſit, philoſophis.* Diſſenſio tamen eſt inter doctiſſimos viros, quinam imperatores indicentur.

THEOPHILI, Antiochiæ epiſcopi, libri tres *ad Autolycum* περὶ τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως; minus tamen exiſtimandum eſt, Theophilum compendium doctrinæ chriſtianæ exhibere voluiſſe, quemadmodum nonnulli ſibi perſuadent.

HERMIAE διασυρμὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων, *irriſio gentilium philoſophorum*; ſiue breuis libellus, quo oſtendit, cauſſam eſſe, cur ſuperſtitioſorum philoſophorum opiniones de rerum principiis, de anima, de deo rideamus, quoniam illæ ſint abſurdæ atque inter ſe ipſas aperte pugnent.

CLEMENTIS *Alexandrini* λόγος προτρεπτικὸς πρὸς Ἕλληνας, *liber adhortatorius ad gentes*, quo gentes paganas ad chriſtianorum ſacra amplectenda hortatur hancque in rem abſurditatem atque impietatem myſteriorum ethnicorum et fabularum de deorum ſuorum ortu et interitu oſtendit. Sacrificiorum, diis mactatorum, crudelitatem atque impuritatem perſtringit ac quam abſurda turpiaque ſint ſimulacra, quibus deos ſuos colunt, addit. Ex hoc Clementis *protreptico* ARNOBIVS multa in libros ſuos *ad gentes* tranſtulit. In libris *ſtromatum* Clementis habentur quoque non pauca, quæ ad impugnandos deorum cultores et ad religionis chriſtianæ veritatem, dignitatem, vetuſtatem, fidem confirmandam vberiora argumenta ſuppeditant.

ORIGENIS libri VIII. *contra Celſum*, philoſophum Epicureum, pro veritate religionis chriſtianæ, opus præclarum omnique lectione dignum, quo omne, chriſtianis oppoſitum, diligenter diſcutitur.

EVSEBII ſcripta, pro veritate religionis chriſtianæ, memoria ac lectione omni digna, quippe quæ ſunt: I.) *euangelica*

gelicæ præparationis libri XV. ad Theodotum, episcopum Laodicensem, vbi collecta sunt præclara monimenta ac testimonia, eum in finem enarrata, vt qui opus hoc legerit, illius animus præparetur ad demonstrationes de veritate euangelii christi ex sacris litteris tanto facilius admittendas: II.) *demonstratio euangelica;* inprimis tamen contra iudæos scripta hancque ob caussam postea a me memoranda: III.) liber *contra Hieroclem*, qui etiam ad defensionem religionis christianæ comparatus est.

ATHANASII λόγος κατὰ Ἑλλήνων, *liber contra gentes*, cuius operis librum secundum esse eiusdem *orationem de incarnatione verbi eiusque corporali ad nos aduentu*, nonnulli suspicantur:

GREGORII *Nazianzeni* λόγοι στηλιτευτικοὶ, in Iulianum imperatorem apostatam, ideo orationes *steliteuticæ* inscriptæ, quia illis, velut columnæ, insculpta posteris traderetur Iuliani impietas et sæuitia:

GREGORII *Nysseni tractatus aduersus Græcos, de deo trino* ἐκ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν, *ex communibus notionibus;* præter hunc autem scripsit cum *apologeticum* pro *Basilii* opere in *hexaëmeron* eoque defensionem Mosis suscepit; tum librum de *opificio hominis*, quo præclara profert argumenta pro dei potentia, sapientia et singulari in homines benignitate, atque errores philosophorum de animæ natura atque immortalitate reiicit:

NEMESII liber de *natura hominis*, qui ideo huc referri potest, quia auctor immortalitatem animæ probat ac quæ de ista philosophi praue sentiunt, refellit: de dei sapientia, potentia benignitateque exponit: fati necessitatem impugnat: libertatem voluntatis ac prouidentiam diuinam diligenter tuetur:

BASILII *homiliæ in hexaëmeron*, quod opus eam ob rem commemoro, quia luculenta argumenta contra atheos continet ac lectoribus materiam suppeditat, summi opificis virtutes, potentiam, sapientiam ac bonitatem, cognoscendi prædicandique:

IOANNIS CHRYSOSTOMI liber de *Babyla*, *antiocheno martyre ac contra Iulianum et contra gentiles:* alius aduersus

ſus eos, qui *prouidentiam* ideo dubiam reddere conantur, quia pii homines calamitatibus adfligantur: homiliæ ſex de *fato et prouidentia:*

THEODORETI orationes de *prouidentia* decem ac libri duodecim de *curandis græcorum adfectionibus*, Iuliano imperatori oppoſiti:

CYRILLI *Alexandrini* opus, quod ὑπὲρ τῆς τῶν χριστιανῶν ἐυαγȣ̃ς θρησκείας, πρὸς τὰ τȣ̃ ἐν ἀθέοις Ιȣλιανȣ̃, *pro ſancta chriſtianorum religione, aduerſus libros impii Iuliani* compoſuit, in decem libros diuiſum:

AENEAE *Gazæi dialogus*, qui nomen *Theophraſti* præfert, de *animorum immortalitate et reſurrectione corporis*, atque a me memoratur, quoniam de re exponit, inter chriſtianos ac philoſophos paganos eo tempore controuerſa.

§. III.

Pauciora ſunt monimenta, quæ latini eccleſiæ patres pro religione chriſtiana contra profanas gentes litteris conſignarunt. Alia, quorum memoria apud veteres conſeruata eſt, ætatem haud tulerunt; ſed interierunt; alia autem ad nos peruenerunt. Translata illa ſunt ad vſum publicum nobisque vtilitatem variam præbent.

Varii libri TERTVLLIANI, nunc deperditi, apud veteres commemorantur: liber de *ſuperſtitione ſeculi:* liber de *ſpe fidelium*, cuius mentio fit apud HIERONYMVM: * liber *contra fatum*, quem habuit FVLGENTIVS atque ex eo pauca protulit. Sub MINVCII FELICIS nomine librum de *fato* contra mathematicos olim ferri, vidit HIERONYMVS; neque ſtilum cum *Octauio* eius, qui hodie exſtat, conuenire, animaduertit. ** ASCLEPIADES librum de *prouidentia ſummi dei* compoſuit ac Lactantio inſcripſit, qui ipſe operis huius meminit. *** Inter AVGVSTINI ſcripta, quæ deſiderantur, *libri* III. *contra paganos* et ad

cos-

* de *viris illuſtribus cap.* XVIII.
** *ibidem cap.* LVIII.
*** *libr.* VII. *inſtitution. cap.* 4.

eosdem *protrepticum;* siue *exhortatio* referuntur; alii autem dissentiunt ac putant, libros tres *contra paganos* non diuersos videri a libris tribus, qui exstent, contra academicos: nec *exhortationem* differre ab eius libello, quem similiter habemus, de *vtilitate credendi.* Plura de libris generis huius collegit ac recensuit: IO. ALBERT. FABRICIVS.*

Inter latinorum ecclesiæ patrum scripta, pro christianis composita, ab interitu se vindicarunt, quæ nunc commemorabo:

TERTVLLIANI *apologeticus aduersus gentes*, scriptus, vt videtur, Carthagine ad proconsulem Africæ ac præsides prouinciarum; aut vt alii putant, ad senatum romanum. De ætate eius docti viri multum dissentiunt. Nonnulli existimant, scriptum esse librum hunc anno CXCVI. alii CXCIX. suntque etiam, qui illum referunt ad annum CCII. vel CCXVII. Præter *apologeticum*, alia monimenta pro christianorum religione contra paganos reliquit. In illis sunt *ad nationes* libri duo, qui multa eadem cum *apologetico* complectuntur hancque ob rem docti quidam viri illos pro alia editione *apologetici* habent; alii autem vtraque opera tamquam diuersa distinguunt atque in his est ipse HIERONYMVS. ** Ac sane si ambo scripta inter se conferre velimus, alia in *apologetico;* alia in libris *ad nationes* explicatius tradita reperiemus. Vtrumque opus diuerso consilio compositum esse, nonnulli suspicantur, quum *apologetico* iudices innocentiam christianorum edocere; libris autem *ad nationes* plebem de eadem re certiorem facere voluerit. Adiungi et debent: TERTVLLIANI liber *ad Scapulam*, Africæ proconsulem, in christianæ professionis homines sæuientem: liber de *idololatria*, quam Tertullianus *principale crimen generis humani* adpellat. Quod nonnulli addunt, *fragmentum de exsecrandis*

* *delect. argument. et syllab. scriptor. de veritate religionis christian. cap.* IV. *p.* 17.

** *epistola* LXXXIII. *ad Magnum.*

dis gentium diis, omittunt alii, quum illud esse Tertulliani, non certum sit atque exploratum:

MINVCII FELICIS dialogus, *Octauius* inscriptus, quod nomen sumtum est a principe colloquente. Tres enim sunt, inter quos colloquium hoc institutum fuit, *Cæcilius Natalis*, sacrorum profanorum defensor et christi cultorum adcusator; post colloquium tamen factus christianus: *Ianuarius Octauius*, qui pro caussa christianorum dimicat, et ipse *Minucius Felix*, in dialogo hoc aliquando solo prænomine *Marcus* adpellatus, qui inter duos priores disputantes arbitri partes implet. Compositus igitur est dialogus hic ad sacrorum christianorum defensionem et commenta gentium profanarum refellenda. Minucium diligenter imitatum fuisse Tertullianum eiusque *apologeticum*, siue ad res ipsas; siue ad dicendi genus atque ordinem respicias, Nicolaus Rigaltius atque alii eruditi viri obseruarunt. Eum tamen Tertulliano sæpe elegantiorem et faciliorem esse, haud negari poterit ab iis, qui harum rerum periti sunt:

CYPRIANI liber de *idolorum vanitate*, cuius maximam partem ex Tertulliano ac Minucio Felice sumtam esse, nonnulli animaduertunt. Laudat eum HIERONYMVS * verbis his: *Cyprianus, quod idola dii non sint, qua breuitate, qua historiarum omnium scientia, quorum verborum et sensuum splendore perstrinxit?* Spectat huc etiam eiusdem CYPRIANI liber *ad Demetrianum*, quo id egit, vt gentilium hominum calumnias repelleret, quum illi omnium calamitatum, quibus tempore isto imperium romanum adfligebatur, caussam in christianos transferrent. Esse in opere hoc, quæ reprehendi possint, nonnulli putarunt. Multum tamen LACTANTIVS laudat Cyprianum, quando scribit: ** *vnus igitur præcipuus et clarus exstitit Cyprianus, qui et magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierat et admodum multa conscripsit in suo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suaui et quæ sermonis*

* *epistol.* LXXXIII. *ad Magnum.*
** *libr.* V. *institution. diuinar.* *cap.* I.

nis maxima eſt virtus, aperto, vt diſcernere nequeas, vtrum ne ornatior in eloquendo; an facilior in explicando; an potentior in perſuadendo fuerit. Hic tamen placere vltra verba ſacramentum ignorantibus non poteſt; quoniam myſtica ſunt, quæ loquutus eſt et ad id præparata, vt a ſolis fidelibus audiantur:

ARNOBII libri VII. *aduerſus gentes*, quos ſcribendi, ipſi occaſio oblata fuit. Quum ſacris paganis valedicere ac chriſtum profiteri, ſecum conſtituiſſet, ab epiſcopo haud impetrare potuit, vt prius myſterio ſacri fontis in ciuitatem chriſtianam reciperetur, quam monimentum ingenii in publicum produxiſſet eoque teſtatus eſſet, ſe chriſtianam religionem vere amplecti velle, quoniam antea contra iſtam ſemper pugnauerat. Ita impulſus, dictos libros compoſuit. De tempore ipſius ſcriptionis auctores diſcrepant. Libro primo, ſecundo, ſexto ac ſeptimo defenſio chriſtianorum dogmatum continetur; reliquis autem refutatio cultus ſimulacrorum. Non vitiis carere opus hoc, ſatis eſt notum ac ſupra omnem dubitationem poſitum. Dogmata quædam tradit minus recte: abſtinet ſe ferme ſacrorum ſcriptorum teſtimoniis: argumenta, quibus ad probandum vtitur, non ſemper ſunt firma; nec dicendi genus caſtum plane eſt atque elegans. Sed vbi rationem temporis, quo vixit et libros hos compoſuit, expendere velimus, facile intelligemus, eum non reprehendendum, ſed excuſandum: immo ob eloquentiam atque eruditionem, in opere hoc ſatis conſpicuam, laudandum eſſe. Excluſit enim hunc ingenii fetum, quum vix in catechumenorum ordinem adſcriptus eſſet:

LACTANTII *inſtitutionum diuinarum* libri ſeptem, quorum primo de falſa religione contra gentes, veri numinis ignaras, vnum eſſe deum eumque omnibus rebus prouidere, probat: ſecundo de origine erroris oppugnat idololatriam: tertio de falſa ſapientia philoſophiam gentium redarguit: quarto de vera ſapientia doctrinam chriſtianam exponit ac confirmat: quinto agit de iuſtitia ſecundum legem diuinam ac profanæ gentis iniuſtitia: ſexto de vero dei cultu ac ſeptimo de vita beata et animorum immortalitate. Quæ in libris his *inſtitutionum* vberius tradita ſunt, ea in *epitome*

 illa-

illarum breuius habentur. Probauit Lactantius non solum insignem eloquentiam; sed etiam egregium studium religionem christianam defendendi. Addi possunt reliqua eius scripta, itidem eleganter atque vtiliter composita, vti est liber de *opificio hominis*, quo praeclare ostendit, quam illustre bonitatis, sapientiae potentiaeque diuinae documentum sit hominis corpus pariter ac anima; item liber de *ira dei*, quo contra Epicureos ac Stoicos probat, neutrum deo indignum esse, neque vt irascatur; neque vt pios prosequatur gratia:

IVLII FIRMICI MATERNI liber de *errore profanarum religionum* ad Constantium et Constantem augustos, quo magno animi ardore christianorum caussam contra gentem superstitiosam et a veris sacris alienam agit atque imperatores, vt istius sacra penitus exstirpent, adhortatur:

AMBROSII varia scripta, quae huc referri solent. Sunt ista: liber de *bono mortis*, quo de immortalitate animorum et de iustorum praemiis, post hanc vitam certissime exspectandis, luculenter commentatur: de *fide resurrectionis* oratio, libro de excessu fratris Satyri subiuncta: *epistola* XXIX. et XXXI. ad Valentinianum imperatorem, ne aram victoriae in ethnicorum gratiam instaurari iubeat; vel Symmacho, hoc petenti, satisfaciat: libri sex in *hexaëmeron*, quorum maxima pars ex Basilii opere eiusdem argumenti descripta est: libri II. de *vocatione gentium*, quibus Ambrosius de necessitate gratiae euangelicae exponit:

AVGVSTINI libri duo ac viginti de *ciuitate dei* contra paganos, qui orbis calamitates et vastationem, vrbi Romae ab Alarico illatam, christianae religioni tribuebant; attamen auctor in istis et alia argumenta persequitur. Praeter libros hos alia Augustini scripta, quae paganis opposita sunt atque ad locum hunc pertinent, commemorantur, vti sunt: libri III. *contra academicos*: libri II. de *ordine*: liber de *vtilitate credendi*: liber de *vera religione*: liber de *animae immortalitate*: liber de *diuinatione daemonum*, cum variis *quaestionibus* multisque *epistolis*:

COMMODIANI, poetae christiani, *instructiones aduersus gentium deos, pro christiana disciplina*, ita scriptae, vt singulae per litteras versuum primas vocabulum aliquod referant; versus autem ita comparati sunt, vt numerus

hexa-

hexametri carminis vtcunque ſeruetur, neglecta ſyllabarum quantitate:

PAVLLI OROSII libri ſeptem *hiſtoriarum*, eum in finem ſcripti, vt calumniam paganæ gentis repelleret, chriſtiana ſacra eſſe cauſſam, cur tempora eſſent triſtia ac tot tantæque miſeriæ homines adfligerent:

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS, celebris inter chriſtianos poetæ, libri duo *aduerſus Q. Symmachum*, quibus dum dicti Symmachi relationem ad Valentinianum II. imperatorem pro *ara victoriæ*, qua deorum cultum inſtaurandum ſuadebat, refellit, cauſſam ſimul chriſtianæ religionis aduerſus ethnicos tuetur.

§. IV.

Quæ iam enarraui, ſcripta patrum eccleſiæ pro veritate ac diuina auctoritate religionis chriſtianæ, ea ab interitu ſunt vindicata atque ad nos delata. Fuerunt alii, qui operam in eodem argumento explanando ponerent atque itidem apologias pro chriſtianis ſcriberent; monimenta autem ipſa, induſtria eorum compoſita, ad ſuum interitum peruenerunt; nec aliud, niſi memoria illorum cum quibusdam fragmentis, conſeruatum eſt. Sunt iſti:

QVADRATVS, qui dicitur ab HIERONYMO * et EVSEBIO ** *apoſtolorum diſcipulus.* Poſt Publium martyrem Athenienſis fuit epiſcopus, quod nos itidem ex HIERONYMO *** atque EVSEBIO * videmus. Quum grauiſſima vexatio aduerſus chriſtianos fieret, litteris conſignauit pro illis *apologiam* eamque Adriano, Athenis hiemanti, obtulit anno chriſti CXXVI. vel CXXVII. vel vti IO. DALLAEVS ** ſuſpicatur, anno CXXIII. Superfuit defenſio hæc ſub initium ſeculi ſeptimi, quo tempore Euſebius Theſſalonicenſis in refutando Andrea quodam Quadrati ſcriptis vſus eſt,

 teſte

* de *viris illuſtribus cap.* XIX.
** *chronic.* p. 167.
*** *dicto loco.*
* *libr.* IV. *hiſtor. eccleſ. cap.* 23.
** de *ſcriptis Dionyſii Areopagitæ libr.* I. *cap.* 13. p. 83.

teste PHOTIO. * Postea monimentum hoc interiit; nec quidquam de eo, nisi fragmentum, ab EVSEBIO ** conseruatum atque ex eo ab aliis repetitum, ad nos peruenit:

ARISTIDES, qui eodem, quo Quadratus, tempore vixit, philosophus Atheniensis et vir eloquentissimus fuit atque *apologiam* pro christianis imperatori Adriano tradidit, nunc itidem deperditam. Testantur de ea HIERONYMVS *** et EVSEBIVS. * In ea Dionysii Areopagitae martyrium memoratum fuisse, VSVARDVS et ADO *Viennensis* referunt. **

ARISTO *Pellaeus*, qui Pellam, Palaestinae oppidum, patriam habuit atque ab hac nomen *Pellaeus* accepit. Erat gente iudaeus; relicta autem iudaeorum religione, christo nomen dedit ac tempore, quo Adrianus et Antoninus pius imperium summum tenebant, teste MAXIMO, *** scripsit διάλεξιν Παπίσκου καὶ Ἰάσωνος, qua iudaeum Alexandrinum Papiscum, cum christiano ebraeo Iasone disputantem ac denique conuictum introduxit. Laudant διάλεξιν hanc ORIGENES * ac HIERONYMVS; ** ipsius autem auctoris mentionem facit EVSEBIVS. *** Opus ex graeco latine pridem conuertit Celsus quidam; sed nec de opere; nec de versione quidquam exstat praeter interpretis praefationem ad Vigilium, quae legitur inter opuscula, CYPRIANO adscripta, * ac fragmenta nonnulla, a IO. ERNEST. GRABIO ** collecta:

MELITO, qui episcopus fuit Sardensis atque *apologiam* pro christianis scripsit eamque imperatori M. Aurelio Antonino exhibuit, quum qui christum confitebantur, maxime

---

* *codic.* CLXII. p. 343.
** *libr.* IV. *histor. eccles. cap.* 3.
*** de *viris illustribus cap.* XX.
* *libr.* IV. *histor. ecclesiastic. cap.* 3.
** in *martyrologiis.*
*** *commentar. ad Dionysium Areopagit. cap.* I. de *mystica theologia.*
* *contra Celsum libr.* IV. p. 199.
** in *epistol. ad Galatas* III, 13.
*** *libr.* IV. *histor. ecclesiastic. cap.* 6.
* p. 30.
** *spicileg. patrum secul.* II. *tom.* I. p. 131.

maxime vexarentur. Quo tempore defensionem hanc susceperit, de eo dissentiunt auctores. Alii referunt istam ad annum christianum CLXIX. alii ad annum CLXXVII. Minus conseruata ea est posteritati; fragmenta autem nonnulla exstant apud EVSEBIVM.*

CLAVDIVS APOLLINARIS, ecclesiæ Hierapolitanorum episcopus, qui composuit atque ad posteros transmisit: *volumen pro fide christianorum ad Marcum Antoninum Verum:* libros quinque *aduersus gentes:* duos alios de *veritate*, quorum monimentorum inter veteres HIERONYMVS** et EVSEBIVS*** mentionem faciunt. Non conseruata illa sunt; sed temporis iniuria interierunt:

MILTIADES, qui reliquit *apologiam pro christianis* πρὸς τοὺς κοσμικοὺς ἄρχοντας, teste EVSEBIO;* siue vt HIERONYMVS** loquitur, *ad principes illius temporis.* Per *principes* hos intelligunt alii præsides prouinciarum, quum eo tempore non plures; sed vnus tantum imperator romanus fuerit isque Commodus. At vero vti Miltiades ante tempora Commodi *apologiam* hanc conscribere potuit; ita alii non sine probabilitate existimant, per *principes* illos indicari imperatores Marcum Antoninum et Lucium. Scripta eius atque in his *apologia* quoque iniuria temporis ablata sunt:

APOLLONIVS, de quo EVSEBIVS*** tradit, eum litterarum humaniorum ac philosophiæ laude floruisse ac Commodo imperante, Romæ martyrium subiisse, quum antea a iudice rogatus, vt coram senatu rationem fidei suæ redderet, elegantissimam orationem pro defensione illius pronuntiasset. HIERONYMVS* refert illum inter scriptores ecclesiasticos ac dicit, eum *insigne volumen composuisse* pro sua fide et re christiana. Siue autem Apollonius oratio-

Dd 4 nem,

* *libr.* IV. *histor. ecclesiastic. cap.* 26. et in *chronico paschali*, quod *Alexandrinum* vocari solet, p. 259.
** de *viris illustribus cap.* XXVI.
*** *libr.* IV. *histor. ecclesiastic. cap.* 27.
* *libr.* V. *histor. ecclesiastic. cap.* 17.
** de *viris illustribus cap.* XXXIX
*** *libr.* V. *histor. ecclesiastic. cap.* 21.
* de *viris illustrib. cap.* XLII. p. 117.

nem, ante quam illam recitauit, litteris mandauerit, pro HIERONYMI teſtimonio; ſiue minus eamque ſtatim dixerit, quod EVSEBIVS innuere videtur; id tamen certum eſt, Euſebium apologiam illam, græce redditam, in ſuam *hiſtoriam martyrum*, nunc deperditam, transtuliſſe, vti ipſe enarrat: *

§. V.

Scripta, pro chriſtianis eorumque ſacris, maxime tempore perſequutionis compoſita atque in lucem edita, græce inprimis adpellari ſolent *apologiæ.* Vocabulum hoc duplici modo ſumi poteſt: vel late, ita vt defenſio ad vtrumque calumniarum genus ſimul ſpectet, quum veteres chriſtianæ profeſſionis homines non ſolum doctrinæ; ſed vitæ quoque prauæ per ſummam malitiam adcuſarentur; vel ſtricte, quando apologiæ maxime de defenſionibus vitæ veterum chriſtianorum aduerſus nefandas calumnias ſuperſtitioſarum gentium intelliguntur.

Ad apologias has lucem adferunt, qui ſingulari ſtudio de gentilium calumniis aduerſus chriſtianos eorumque religionem commentati ſunt ac varia earum genera enarrarunt. Princeps in illis eſt CHRISTIANVS KORTHOLTVS, qui in argumento hoc adcurate explanando diligentiſſime verſatus eſt. Primum edidit *tractatum de calumniis paganorum, in veteres chriſtianos ſparſis*, Kilonii MDCLXVIII. 4. deinde alium *tractatum de origine et natura chriſtianismi ex mente gentilium* MDCLXXII. 4. et tum: *librum de vita et moribus, chriſtianis primæuis per gentilium malitiam adfictis*, MDCLXXXIII. 4. Hæ tres commentationes, quæ ſeparatim in lucem prodierant, poſtea coniunctæ ſunt, vt vnum conſtituerent opus, hac inſcriptione ornatum ac iuris publici factum: *paganus obtrectator; ſiue de calumniis gentilium in veteres chriſtianos libri tres*, Kilon. MDCXCVIII. 4. Libro *primo* exponit auctor de *origine et natura chriſtianismi ex impia cauillantium ethnicorum ſententia* atque ediſſerit, quomodo gentes profanæ religioni

* *dicto loco.*

ligioni christianæ obiecerint, quod sit noua eiusque doctrina ex poetarum lacunis scitisque philosophorum, item ex iudæorum præceptis hausta: quod christiani diuersas sectas habeant eorumque religio reipublicæ minus recte consulat: quod doctores illorum barbaro atque inculto scribendi genere vtantur, ceter. Liber *secundus* tractat de *cultu veterum christianorum publico, gentium maledicentia sugillato* atque ostendit, quod antiquioribus christianæ professionis hominibus adtributa fuerit onolatria, vranolatria, heliolatria, ædœolatria, Serapidolatria, staurolatria, christolatria, martyrolatria, simulque agit de sacris christianorum arcanis atque de atheismo illis itidem obiecto. Accedit liber *tertius* de *vita et moribus priscorum christianorum malitiose a gentilibus exagitatis*, atque enarrat nefanda crimina, quorum christiani fuerunt adcusati, cuiusmodi sunt magia, factiones, crimen læsæ maiestatis, odium generis humani, epulæ Thyesteæ, inanis gloriæ studia, artes sordidæ, mala et calamitates publicæ, notæ et insignia occulta, et quæ sunt alia. Ex his facile intelligendum est, quales calumniæ aduersus veteres christianos adhibitæ fuerint. De nonnullis illarum doctissimi viri speciatim sunt commentati: ADAMVS RECHENBERGIVS de *atheismo, christianis olim a gentilibus obiecto*: * laudatus KORTHOLTVS de *atheismo, veteribus christianis ob templorum inprimis auersationem a gentilibus obiecto*, MDCLXXXIX. cuius etiam prodiit dissertatio de *nominibus, quibus per ludibrium et contemtum christiani olim a profanis adpellati deque notis occultis, quibus iidem se insigniuisse, crediti*, Kilon. MDCXCIII. STEPHANVS MORINVS de *calumnia gentilium; caput asininum esse christianorum deum:* ** THEODORVS HASAEVS *diatriba de onolatria; siue calumnia cultus asinini, a gentilibus olim iudæis et christianis impacta:* ZACHAR. GRAPIVS *schediasmate historico de calumnia ono-et chorolatriæ, iudæis et christianis olim adspersa*, Lips. MDCXCVI. adde CHRISTIAN. WORMIVM *dissert. de veris*

* quæ *dissertatio* exstat in eiusdem *exercitationib. in nouum testamentum, historiam ecclesiasticam et litterariam* p. 287. sqq.
** *dissertation.* p. 282.

ris caussis, cur delectatos humanis carnibus et promiscuo concubitu christianos calumniati sint ethnici, Hafniæ MDCXCV.

Scripta hæc eam ob caussam memoraui, atque ad locum hunc retuli, quoniam ab iis vtiliter legi possunt, quibus animus est, patrum apologias legere. Ad has facile recteque intelligendas præbent ista adiumentum lumenque adferunt, quemadmodum iam animaduerti. In ipsis apologiis patres probarunt præclaram industriam, non mediocrem ingenii vim atque eruditionem ac quamuis fateri debeamus, monimenta hæc non omni vitio carere: auctores eorum non semper solidam atque adcuratiorem disputandi rationem adhibuisse: maiorem vim in refutandis superstitiosorum hominum ineptis atque impiis fabulis ac grauissimis erroribus interdum monstrasse; quam in probandis veræ religionis nostræ dogmatibus factisque; sunt tamen caussæ, cur patres, vbi isti minus recte; aut adcurate quædam scripserint, merito excusemus ac temporis, quo isti vixerunt, rationem semper reputemus.

De apologiis, quas ab antiquioribus christianis doctoribus accepimus, commentati sunt ac notitiam earum suppeditarunt:

ADAMVS RECHENBERGIVS in *schediasmate historico*; siue in dissertatione de *apologiis doctorum veteris ecclesiæ*, Lipsiæ MDCLXXXV. *

HENRICVS LVDOLPH. BENTHEMIVS in *der vorstellung vnd betrachtung der schriften der alten kirchenlehrer von der wahrheit vnd göttlichkeit der christlichen religion*, Hamburgi MDCCXXVII. 8. qui liber ab auctore relictus ac cum IO. ALBERTI FABRICII *præfatione* in lucem editus est. **

IO. ALBERTVS FABRICIVS in *delectu argumentorum et syllabo scriptorum de veritate religionis christianæ*, vbi inter alios scriptores patres quoque ecclesiæ diligenter

* locum obtinuit in eiusdem *volumine exercitationum in nouum testamentum, historiam ecclesiasticam et litterariam varii argumenti*, p. 305.

** COLERI *auserlesene theolog. bibliothec, volum.* III. p. 282.

ter recensentur, qui pro veritate religionis christianae pugnarunt ac scripserunt, tam graeci; quam latini: quorum monimenta vel superstitiosis gentibus; vel iudaeis opposita: vel deperdita; vel conseruata sunt. Iam memoratis scriptis de apologiis patrum ecclesiasticorum adiungi potest: *compendium antiquitatum ecclesiasticarum, ex scriptoribus apologeticis eorumdemque commentatoribus compositum,* quod ipse iuris publici feci ac subiunxi: CONRADI SAMVEL. SCHVRTZFLEISCHII *controuersias et quaestiones insigniores antiquitatum ecclesiasticarum, ex libro eius manuscripto nunc primum editas,* Lipsiae MDCCXXXIII. 8. Quae doctissimi viri ad apologias patrum illustrandas ex antiquitatibus ecclesiasticis adtulerunt, HERALDVS, ELMENHORSTIVS, BALDVINVS, KORTHOLTVS, FELLVS atque alii, iam supra commemorati, ea in compendio hoc collecta ac iusto ordine disposita habentur. Legi et potest: IO. ANDREAE SCHMIDII commentatio de *doctorum primitiuae ecclesiae vario docendi disputandique genere,* Helmstadii MDCCI.

§. VI.

Patres sacri ordinis non solum contra gentes superstitiosas; sed etiam *iudaeos*, infensissimos religioni christianae, pugnarunt: errores eorum ac detestanda conuicia profligarunt: christi dogmata atque instituta vera, recta atque optima esse, ostenderunt. Eam in rem multa variaque scripta composuerunt, quorum alia conseruata atque in lucem edita sunt; alia manu exarata in bibliothecis adseruantur: alia denique interierunt. Quae ad aetatem nostram peruenerunt ac lucem publicam adspexerunt, in illorum numero sunt:

IVSTINI *martyris dialogus cum Tryphone iudaeo,* qui complectitur colloquium, cum iam nominato iudaeo per duos dies habitum circa annum CL. Ephesi: vt Iustinus Tryphoni promiserat, ab isto litteris mandatum. Dicatum illud Marco cuidam Pompeio, quem φίλτατον adpellat et quem IO. ERNESTVS GRABIVS * coniicit, fuisse illo

* *tom.* II. *spicileg.* p. 160.

illo tempore episcopum Hierosolymitanum. In duas partes dialogum hunc diuisum esse ac prioris extremum; posterioris initium nunc desiderari, praeter SYLBVRGIVM,* animaduertit paullo ante adductus GRABIVS.** Non diu ante martyrium suum scripsisse dialogum hunc Iustinum, ex eo colligendum est, quod ille apologiae suae ad imperatorem meminit. Adhibentur argumenta, vti adpellantur, *καθ' ἄνθρωπον* feliciter. Saepe caecitas mentis, pertinacia, obstinatio atque alia vitia aduersario eiusque sociis exprobrantur. Iustinum auctorem esse dialogi huius, CHRIST. GOTTL. KOCHIVS negauit; non defuerunt autem, qui ipsi repugnarent. Nata ex eo est controuersia, quam supra memoraui.

HIPPOLYTI, *episcopi et martyris, breuis demonstratio aduersus iudaeos*, quae primum prodiit latine tantum ex interpretatione *Francisci Turriani* cura *Anton. Posseuini*,*** *Carol. Ioseph. Imbonati*,* *Io. Albert. Fabricii.*** Deinde iam dictus *Fabricius**** idem opusculum primus graece, itidem cum *Turriani* latina versione in lucem emisit:

EVSEBII, episcopi Caesareensis, opus, quod inscriptum est: *demonstratio euangelica* ac consecratum Theodoto, episcopo Laodiceno. Collegit auctor ex prioris foederis libris testimonia vaticiniaque de christo atque ex illis probauit contra iudaeos, iesum esse verum messiam ac religionem nostram christianam veram religionem. Opus ipsum viginti libris constabat; decem autem priores tantum ad nos peruenerunt quumque adhuc primus initio vltimusque extrema parte mutilus fuisset, IO. ALBERT. FABRICIVS defectum hunc ex integriori codice suppleuit. Quodam modo subiungi possunt eiusdem EVSEBII *praeparationis euangelicae* libri XV. itidem ad Theodotum, episcopum Laodicenum. Exhibetur collectio pulcerrima argu-

* in *notis*.
** *tom.* II. *spicileg.* p. 161.
*** *tom.* I. *adparat. sacri.*
* *bibliothec. latin. ebraic.* p. 74.
** *tom.* I. *operum Hippolyti* p. 218.
*** *tom.* I. *dictorum operum* p. 2.

argumentorum, variorum notabilium monimentorum ac testimoniorum ex scriptoribus exteris, eo consilio instituta, vt per hoc opus animus lectoris praeparetur ad demonstrationes de veritate euangelii christi ex sacris litteris tanto facilius imbibendas admittendasque.

GREGORII *Nysseni ex veteri testamento delecta testimonia, cum adiecta quadam explicatione aduersus iudaeos*, quod opusculum primum latine tantum in lucem venerat; postea autem editum id est non solum latine; sed etiam graece, cura LAVRENTII ALEX. ZACAGNII.*

BASILII *Seleuciensis demonstratio contra iudaeos de saluatoris aduentu*, ex Danielis hebdomadibus; quam tamen non esse Basilii Seleuciensis, nonnulli doctissimi viri coniiciunt, Bigotius, Allixius, Garnerius, Caueus, quoniam praeter stili discrepantiam, ea nec veterum testimonium prae se habeat; nec in codicibus manu exaratis inter cetera Basilii huius scripta reperiatur. ** Alii denotant, auctorem vera falsis fabulisque miscere. *** Ex graeco sermone a *Turriano* in latinum conuersa est atque in *bibliothecas patrum*, cum Coloniensem; * tum Lugdunensem ** translata:

IO. CHRYSOSTOMI *aduersus iudaeos et gentiles demonstratio, quod christus sit deus, ex iis, quae multis in locis de eo dicta sunt apud prophetas;* praeter quam *demonstrationem*, exstant eiusdem *orationes aduersus iudaeos*, quarum quum sex adhuc in lucem editae fuissent, duae postea accesserunt. *** Lucem viderunt non solum in *operibus* eius; sed etiam separatim ac sex priores primum sunt editae a *Dauid. Hoeschelio*.

GREGENTII *disputatio cum Herbano iudaeo*, quam per dies quinque coram Abramio, rege homeritarum christia-

* *collectaneis monimentorum veterum ecclesiae graecae ac latin.* p. 288.
** exstat *demonstratio* haec in *operibus* eius, Parisiis MDCXXII. p. 194.
*** vide BASNAGII *animaduersionem*, quam *demonstrationi* huic praemisit, *tom.* I. CANISII *lection. antiquar.* p. 240.
* *tom.* V.
** *tomo* VIII. p. 495.
*** in MONTFAVCONII editione *tom.* I. p. 487.

stiano: coram episcopis, pluribus iudæis et tota ciuitate in metropoli Homeritidis Taphar, siue Saphar, in Arabia felici circa annum christi DXL: cum isto instituisse, perhibetur. *Acta* huius *disputationis* græce cum interpretatione latina ac notis in lucem emisit *Nicol. Gulonius*, Parisiis MDLXXXVI. 8. postea autem illa vtraque lingua in patrum volumina translata sunt.* Auctorem istorum esse PALLADIVM alexandrinum, CASP. BARTHIVS putat.**

Inter latinos antiquioris æui doctores pro christianis contra iudæos scripserunt:

TERTVLLIANVS, cuius liber *aduersus iudæos* ad nos delatus est, compositus occasione disputationis christiani cum proselyto. Ostendit auctor, ceremonias cultus leuitici ad certum tantum tempus præscriptas fuisse ac quem iudæi exspectent: quem vates diuini prædixerint, messiam iam aduenisse.

CYPRIANI *testimoniorum aduersus iudæos libri* III. ad Quirinum, quem filium carissimum adpellat. Cyprianum auctorem esse horum librorum, doctissimi nonnulli viri dubitant, ERASMVS, ANDREAS MASIVS; attamen sine caussa. Repugnant opinioni huic antiquiores scriptores, qui fide digni sunt ac memoratos *testimoniorum libros* Cypriano tribuunt, Hieronymus, Augustinus, Gennadius atque alii:***

AVGVSTINI *tractatus aduersus iudæos*; at vero *sermo contra iudæos, paganos, Arianos*, qui etiam Augustini nomen præfert, perperam ei attribuitur. Idem dicendum est de *tractatu contra quinque hæreses; siue contra quinque hostium genera*, paganos videlicet, iudæos, Manichæos, Sabellianos et Arianos ac de dialogo: *altercatio ecclesiæ et synagogæ* inscripto:

ISIDO-

* græce et latine sunt in *auctario græcolatino biblioth. patr. Ducæano*, Parisiis MDCXXIV. *tom.* I. latine tantum *bibliothec. patr. Lugdun. tom.* VI. p. 1014. Summam horum actorum exhibet IMBONATVS *bibliothec. latin. ebraic.* p. 58.

** *libr.* V. *aduersarior. cap.* 3.

*** vide FELLI *notas ad Cyprianum* p. 17.

ISIDORI *Hispalensis* libri duo *contra nequitiam iudaeorum*, quorum priori de natiuitate, passione, resurrectione, regno et iudicio domini agitur; posteriori autem de vocatione gentium, Hagenoae MDXXIX. 4.

§. VII.

Sunt plura alia scripta, quibus doctissimi viri iudaeorum errores profligarunt ac sanctissimae religionis nostrae veritatem ac diuinam auctoritatem ab istorum malitiosis calumniis defenderunt. Attamen non omnia monimenta haec ad vsum nostrum delata sunt. Alia ab interitu quidem se vindicarunt; publicam lucem autem haud adspexerunt; sed manu tantum exarata in bibliothecis adseruantur. Alia tantum abfuit, vt permanerent inter alias res, quae existunt, vt penitus interirent. Vtriusque generis quaedam nunc exempla memorabo. Inter ea, contra iudaeos composita, scripta, quae supersunt; manu exarata autem tantum in bibliothecis reperiuntur, locum habent:

ATHANASII Alexandrini *disputatio cum Zachaeo*, iudaeorum nomodidascalo; siue doctore legis; item *disputatio cum iudaeis de adoratione sanctae crucis et sacrarum imaginum*, quem vtrumque codicem manuscriptum memorat CAROLVS IOSEPH. IMBONATVS * ac testatur, eum esse in bibliotheca Vindobonensi:

ATHANASII iunioris *narratio graeca de imagine christi*, a iudaeis Beryti in ludibrium perpessionis dominicae cruci adfixa. Latine illa exstat ac recensetur itidem ab IMBONATO: **

BASILII *Seleuciensis* liber *contra iudaeos*, qui est in bibliotheca Vaticana, vti etiam IMBONATVS *** tradit. Eiusdem BASILII *demonstrationem aduersus iudaeos*, quae in lucem prodiit, omitto, quum illa iam antea a me adducta est:

GEN-

* *bibliotheca latino-ebraica* p. 318.

** *dicto loco.*

*** memorata *bibliothec.* p. 12.

GENNADII *confutatio erroris iudaici ex ſcriptura et rebus geſtis et ad chriſtianam religionem cohortatio, per modum dialogi*, quem librum, nondum editum, IO. ALBERT. FABRICIVS * recenſet.

Alia monimenta, quibus iudæi oppugnati ſunt, interierunt, vti ſunt:

CLAVDII APOLLINARIS Hierapolitani in Phrygia epiſcopi, *libri* II. *contra iudæos*, de quibus EVSEBII ac NICEPHORI teſtimonia ad nos delata ſunt:

MILTIADIS liber *contra iudæos*, qui ſingulare ſtudium pro religione chriſtiana probauit ac pro iſta non ſolum contra paganos; ſed etiam contra iudæos ſcripſit; neuter liber autem ad ætatem noſtram peruenit:

STEPHANI BOSTRENI, græci, opus, *contra iudæos* compoſitum; quod autem haud conſeruatum eſt. Meminit illius DAMASCENVS. **

VOCONII, Caſtellani, Mauritaniæ oppidi, epiſcopi, ſcripta, quæ compoſuit contra iudæos, Arianos et alios hæreticos. Teſtem rei huius habemus GENNADIVM. *** Quæ ſcriptor hic litteris mandauit, ea omnia iniuria temporis abſtulit. Sufficiant hæc de libris, aduerſus iudæos ſcriptis iisque vel nondum editis; vel deperditis. Quum enim notitiam hanc veluti in tranſitu ſuppeditare volui, non neceſſe eſſe arbitror, vt augeam illam atque amplificem. *

§. VIII.

Inter eos, qui errores eosque non leuioris momenti diſſeminabant atque in ciuitate chriſtiana multas faciebant turbas, locum quoque *hæretici* habebant. Aduer-

* in *delectu argumentorum et ſyllabo ſcriptorum de veritate religionis chriſtian.* p. 130.

** in *oration. de ſacris imaginibus.*

*** de *viris illuſtrib. cap.* LXXVIII.

* græcorum et latinorum ſcripta, antiquiori æuo contra iudæos compoſita, ſiue iſta in lucem emiſſa: vel manu tantum exarata ſuperſint; ſiue interciderint, percenſet WOLFIVS *biblioth. ebr. part.* II. p. 994. cui adiungatur FABRICIVS *delectu argumentor. et ſyllab. ſcriptor. de veritate religion. chriſt. cap.* II. et V.

Aduerſus illos patres eccleſiæ itidem in certamen deſcenderunt ac praua dogmata confutarunt; vera autem a malitia hoſtium defendebant. Qui ita pugnabant, eorum duo erant genera. Alii reſiſtebant hæreticis vniuerſe; alii ſingularibus eorum ſectis. Qui vniuerſe contra illos dimicarent, itidem diuerſi fuerunt, quum nonnulli maxime hiſtorice; quidam autem dogmatice ac polemice de hæreticis eorumque dogmatibus exponerent. Illos ſupra memoraui eorumque ſcripta inter monimenta hiſtorica, quæ patres eccleſiæ reliquerunt, numeraui; ad horum autem ordinem, qui de hæreſibus inprimis polemice commentati ſunt, nunc adducendi pertinent.

Supra commemoraui: TERTVLLIANI libri de *præſcriptionibus hæreticorum* adpendicem: PHILASTRIVM, EPIPHANIVM, AVGVSTINVM, auctorem *prædeſtinati.* Nunc adducendi ſunt:

CLEMENS *Alexandrinus* libris *ſtromatum*, quibus principum inter hæreticos peruerſa dogmata explodit:

IRENAEVS libris quinque *aduerſus hæreſes*, quorum primus ἔλεγχον, ſiue *detectionem:* ceteri quatuor ἀνατροπήν, ſiue *redargutionem* continent. Ita Irenæus in tractandis controuerſiis recto iuſtoque ordine vſus eſt ac primum errores hæreticorum recenſuit; poſtea autem iſtos refutauit, eo ſtudio, vt ex opere hoc non exigua eruditio eius atque induſtria adpareant idque laude, qua ornatur, omnino dignum ſit. Non omnium tamen vitiorum illud plane expers eſt. Adprobat interdum Irenæus ſententias, quæ falſæ ſunt atque erroneæ. In refutandis hæreticis non ſemper ſimplicem atque apoſtolicam diſputandi rationem ſequitur; ſed dum eadem arma adhibere vult, quibus vtuntur aduerſarii, pro ſolidis argumentis vanas nonnumquam adfert ſubtilitates. Nec diffitendum eſt, illum ratiocinandi leges interdum neglexiſſe ac nimio contradicendi ſtudio incitatum, alteram extremitatem deuitando, ab altera minus ſibi cauiſſe atque itidem a recta aberraſſe via. Sine dubio Irenæus græce ſcripſerat; minus latine; græcis autem caremus, præter ea, quæ a nonnullis ſeruata atque in lucem prolata ſunt:

ATHANASIVS, ſub cuius nomine exſtat *oratio κατὰ πασῶν αἱρέσεων, contra omnes hæreticos;* quam tamen in germanis Athanaſii monimentis numerandam eſſe, eruditiſſimi viri negant. Sique et illa ab Athanaſio vere ſcripta eſſet; minus tamen commode ad locum hunc referri poteſt.

EPIPHANIVS, quem ſupra quidem iam memoraui inter hiſtoricos ſcriptores de hæreticis; ille tamen et locum hunc tueri poteſt. Præbet ſe cum hiſtoricum; tum diſputatorem. Opus ipſum, quod ab eo accepimus, nomen habet πανάριον, vel κιβώτιον, id eſt, *arca;* ſiue *capſula medica*, quum in eo non ſolum hæreticorum ſententias referat; ſed etiam contra venenatos eorumdem morſus ſaluberrima remedia exhibeat, quemadmodum ipſe inſcriptionis huius rationem explicat. * Eam ob rem in ſcriptoribus polemicis iure numeratur. Diuiditur opus hoc in tres partes; ſiue libros, et continet octoginta hæreſes, pro ipſius Epiphanii calculo. Multum vtilitatis id adfert, in primis quia ceteris, quæ ante illud contra hæreſes ſcripta ſunt, copioſius eſt; nec pauca complectitur, ex antiquitatum monimentis hauſta; attamen vitiorum non expers eſt. Præbet documenta, ſatis euidentia, quæ monſtrant, auctorem muneri, hæreticos refutandi, non plane ſatisfeciſſe. Scribendi genus, quo vtitur, nullam præfert elegantiam: argumenta, contra aduerſarios propoſita, ſæpe nulla probandi virtute prædita ſunt: credulitatis vbique adparent indicia hæcque oſtendunt, Epiphanium aut non potuiſſe; aut noluiſſe vera a falſis diſcernere. Nec moderatio, in controuerſiis maxime neceſſaria, ita, vti decet, adhibita eſt:

THEODORETVS, cuius libri quinque *hæreticarum fabularum* exſtant. In eorum quatuor prioribus hæreſes non tantum recenſet; ſed breuiter etiam refutat; quintus autem θείων δογμάτων ἐπιτομὴν, ſiue compendium ſacræ doctrinæ, hæreticorum erroribus oppoſitum, exhibet. Neutiquam adulterinum eſſe *libri quarti caput duodecimum,* quo de Neſtorio agitur, vt GARNERIO et CAVEO viſum eſt,

* *anacephalæos. tom.* II. *oper.* p. 126.

eſt, IO. ALB. FABRICIVS * probat. Opus hoc Theodoreti cum eiusdem *dialogis* græce prodiit cura *Camilli Peruſci* auſpiciis Ardingelli cardinalis, Rom. MDXLVII. 4. Latine id vertit *Gentianus Heruetus*, Baſileæ MDXLIX. 4. Ad græca hæc monimenta adiungenda ſunt nonnulla latina, imprimis TERTVLLIANI liber de *præſcriptionibus contra hæreticos* ac VINCENTII *Lerinenſis commonitoria duo pro catholicæ fidei antiquitate et vniuerſalitate, aduerſus profanas omnium hæreſeon nouationes*, quos duos libros iam breuiter commemoraſſe ſufficiat, quoniam poſtea plura de illis dicendi ſpeciatimque narrandi, qualis aduerſus hæreticos diſputandi ratio ibi commendetur, habebo occaſionem.

§. IX.

Diſputarunt quoque eccleſiaſtici patres aduerſus ſingulares certosque hæreticos, qui antiquiore ætate multos ac varios errores diſſeminabant ac religionis chriſtianæ vera dogmata deprauare, malitioſe ſibi ſumebant. Erant illi gnoſtici, Marcionitæ, Manichæi, Nouatiani, Sabelliani, Origeniſtæ, Samoſateniani, Ariani, Apollinariſtæ, Priſcillianiſtæ, Iouinianus, Heluidiani, Luciferiani, Donatiſtæ, Pelagiani, Semipelagiani, Macedoniani, anthropomorphitæ, Neſtoriani, Eutychiani. Ita refutarunt:

I. *Gnoſticos* auctor *epiſtolæ*, quæ BARNABAE adſcribitur; minus autem germanum eius monimentum eſt. Gnoſticis eam oppoſitam eſſe, haud negabit, qui iſtam perlegerit. Nonnulli addunt POLYCARPVM ac perſuadent ſibi, eum *epiſtola ad Philippenſes* eosdem hæreticos ferire; alii autem exiſtimant, quæ de gnoſticis intelligantur, ea ad errores Simonis magi ſpectare:

II. *Marcionitas* TERTVLLIANVS libris quinque *aduerſus Marcionem*, qui et *aduerſus Praxeam* et *Hermogenem* ſcripſit, et auctor *dialogi de orthodoxa fide*; ſiue περὶ τῆς εἰς θεὸν ὀρθῆς πίστεως, aut *contra marcionitas*, vti et inſcribitur. Præfert Origenis nomen; nondum autem res

 explo-

* *biblioth. græc. volum.* VII. p. 437.

explorata eſt, Origenem eius auctorem eſſe et quamuis inter antiquiores ſcriptores Baſilius et Gregorius Nazianzenus id adfirment ac recentiore ætate *Io. Rudolph. Wetſtenius*, qui primus librum hunc, adnotationibus illuſtratum, græce et latine in lucem protulit, Baſileæ MDCLXXIV. 4. ad idem probandum omnes ingenii vires adhibeat; plerique tamen a ſententia hac diſcedunt:

III. *Manichæos* ARCHELAVS, qui diſputationem cum Manete inſtituit, huiusque *acta* ipſe ſyro ſermone litteris mandauit, poſtea latine reddita atque ex interpretatione hac ita edita, vt quæ græca apud Epiphanium habentur, ea adiungerentur: * ALEXANDER Lycopolita libro *πρὸς τὰς μανιχαίȣ δόξας*, *aduerſus manichæorum placita*, a *Franciſc. Combefiſio* ** in lucem emiſſo: DIDYMVS Alexandrinus, cuius librum *aduerſus manichæos* itidem edidit *Combefiſius* græce et latine; *** non integer autem iſte ad nos peruenit; aut præter hunc, contra eosdem hæreticos alium ſcripſit: * TITVS Boſtrenſis libris quatuor *contra Manichæos*, ex quibus libri tertii maior pars et quartus totus intercidit: duo priores integri cum tertii initio primum latine tantum: ** poſtea etiam græce prodierunt, *** vna cum SERAPIONIS libro *aduerſus manichæos*, itidem græce et latine: * FABIVS MARIVS VICTORINVS Afer, cuius exſtat liber ad Iuſtinum manichæum

---

* exſtant in ZACAGNII *collectaneis monumentorum veterum eccleſiæ græcæ ac latinæ* p. I VALESIVS *obſeruationibus eccleſ. in Socratem et Sozomenum* adiunxit quoque *Archelai diſputationem aduerſus manichæum*, latine.

** *bibliothec. græcor. patrum auctar. nouiſſim. part.* II. p. 3

*** iam *dict. auctar. part.* II. p. 21. Eſt quoque liber hic græce et latine in CANISII *lection. antiqu. tom.* I. p. 204. edition. *Basnagii.*

* colligitur hoc ex eo, quia a DAMASCENO in *parallelis* quædam ex DIDYMO *contra manichæos* adducuntur, quæ in hoc opuſculo non ſunt.

** ex verſione *Turriani* in CANISII *lectionib. antiqu. tom.* V. et *biblioth. patr. Lugdun. tom.* IV. p. 443.

*** CANISII *lection. antiqu. tom.* I. p. 59. edition. BASNAGII.

* itidem in CANISII *lection. antiqu.* excitato loco p. 43. dictæ editionis.

nichæum *contra duo principia manichæorum:* * AVGVSTINVS, princeps inter eos, qui manichæis reſtiterunt, ac felix veritatis defenſor, quia ipſi dogmata aduerſariorum adcurate perſpecta fuerunt. Scripta, quæ illis oppoſuit quæue ad ætatem noſtram peruenerunt, ſunt: liber vnus de *vtilitate credendi ad Honoratum:* liber vnus *de duabus animabus contra manichæos:* liber vnus *acta; ſeu diſputatio contra Fortunatum, Manichæi diſcipulum:* liber vnus *contra Adimantum, manichæi diſcipulum:* liber vnus *contra epiſtolam manichæi, quam vocant, fundamenti:* tres et triginta libri *contra Fauſtum manichæum:* libri duo de *actis cum Felice manichæo:* liber vnus de *natura boni contra manichæos:* liber vnus *contra Secundinum manichæum:* ** Liber de *fide contra manichæos* ac *commonitorium de recipiendis manichæis, qui conuertuntur,* Auguſtino quidem tribuuntur; perperam tamen, aliique ſcripta hæc eſſe adulterina, rectius iudicant. Enumeratis his ſcriptoribus addendus eſt: ZACHARIAS *ſcholaſticus* ob *diſputationem contra ea, quæ de duobus principiis a manichæo quodam ſcripta et proiecta in viam publicam reperit, Iuſtiniano imperatore,* ſcriptum breue vnius paginæ atque ex *Franc. Turriani* interpretatione latine editum: ***

IV. *Nouatianos* CYPRIANVS in *epiſtolis,* præcipue ad Cornelium et Antonianum ſcriptis; num autem et auctor ſit libri *ad Nouatianum, quod ſpes veniæ lapſis non ſit deneganda;* nec ne? de eo inter eruditos diſſenſio eſt: CORNELIVS *epiſtolis* cum ad Cyprianum; tum ad Fabium, antiochenum epiſcopum: DIONYSIVS Alexandrinus *epiſtola ad Nouatianum de ſchismate:* * PACIANVS, cuius *tres*

 epiſto-

* editus ille eſt a SIRMONDO *opuſc. dogmat. veter.* Pariſiis MDCXXX. 8. *tom.* I. et recuſus in eiusdem *oper. tom.* I. p. 409. et *bibliothec. patr. Lugdun. tom.* IV. p. 289.

** omnia hæc ſcripta ordine, quo iſta recenſui, AVGVSTINI *operum tom.* VIII. edition. benedictin. antuerp. exhibentur.

*** in *bibliothecis patrum Lugdunens. tom.* IX. p. 794. atque aliis: CANISII *lection. antiquar. tom.* I. p. 425. edit. *Basnagii.* Scriptores veteres contra manichæos recenſet quoque FABRICIVS *biblioth. græc. volum.* V. p. 289.

* integra exſtat apud EVSEBIVM *libr.* VI. *hiſtor. eccleſ. cap.* 45.

epiſtolæ ad Sympronianum, nouatianum, ab interitu ſe vindicarunt: * AMBROSIVS, qui duos libros de *pœnitentia*, contra nouatianos compoſitos, reliquit:

V. *Sabellianos* ATHANASIVS *oratione contra gregales Sabellii;* quam tamen Athanaſio tribuendam eſſe, nonnulli dubitant: BASILIVS *homilia* XXVII. *contra ſabellianos et Arium et anomœos*, ac *epiſtola* LXIV. exarata ad doctores eccleſiæ neocæſareenſis: inprimis EVSEBIVS cæſareenſis, cuius habentur libri duo *contra Marcellum* eiusque σύγγραμμα, quo pro ſabellianismo incautus propugnauerat. Primus eos ex manuſcripto codice recenſuit: latina interpretatione ac notis illuſtrauit *Rich. Montacutius*, in extremo Euſebii librorum de *demonſtratione euangelica.* Præter hos, libros tres de *eccleſiaſtica theologia* aduerſus eumdem Marcellum compoſuit, ad quos *Montacutius*, vt ad antea memoratos libros, operam ſuam contulit, quique itidem dictæ *demonſtrationi* additi ſunt. Nec tacere debeo de libro *aduerſus ſabellium;* ſiue potius de duabus *homiliis*, quæ latine tantum lucem viderunt ſtudio *Iacobi Sirmondi:* **

VI. *Samoſatenianos* ATHANASIVS *epiſtola de incarnatione verbi dei contra Paullum ſamoſatenſem;* cuius autem auctoritas ſuſpecta eſt, quia putant nonnulli, eam non ab Athanaſio; ſed ab alio ſcriptam eſſe, qui peruerſam neſtorianorum doctrinam, cum ſamoſateniana in re principali conſentientem, impugnare voluerit. Dubium quoque eſt, num huc referri debeat; nec ne, *refutatio hypocriſeos Meletii et Euſebii ſamoſatenſis de conſubſtantialitate*, quæ licet itidem ATHANASII nomen præ ſe habeat; attamen diſputatur de illius auctore. Continet ea reſponſionem ad epiſtolam, quam Meletius, Euſebius ſamoſatenſis aliique acaciani Iouiano imperatori tradiderunt ac ſignificarunt, ſe τὸ ὁμοούσιον adprobare ac doctrinam nicænam amplecti:

VII. *Ori-*

* *biblioth. patr. Lugdunenſ. tom.* IV. p. 305.

** in *opuſcul.* XIV. EVSEBII, quæ SIRMONDVS *tom.* II. *varior. opuſc.* Pariſiis MDCLXIII. 8. iuris publici fecit. Tranſlatæ deinde ſunt in *bibliothec. patrum Lugdunenſ. tom.* IV. p. I. et SIRMONDI *oper. tom.* I. Pariſiis MDCXCVI. fol.

VII. *Origeniſtas;* ſiue *origenianos*, AVGVSTINVS libro *ad Oroſium contra priſcillianiſtas et origeniſtas*, vbi contra origeniſtas copioſius; quam aduerſus priſcillianiſtas diſputat atque inprimis iſtorum ſententiam, pœnam damnatorum non fore æternam, refellit: HIERONYMVS *epiſtolis* ad *Pammachium et Oceanum de erroribus Origenis:* ad *Pammachium aduerſus hæreſes Ioannis, epiſcopi hieroſolymitani: ad Theophilum aduerſus* eumdem *Ioannem hieroſolymitanum;* item libris tribus *apologiæ aduerſus Rufinum;* nondum autem poſitum eſt ſupra omnem dubitationem, Origenem et ſectatores eius iure hæreticis adnumerari, ſatisque conſtat, antiquiore pariter ac recentiore ætate de hac re multa in vtramque partem diſputata eſſe, ita vt quamuis alii Origenem grauiorum errorum inſimularent; alii tamen eum defenderent:

VIII. *Arianos* ATHANASIVS, qui præcipuum ac conſtans ſtudium in profliganda hæreſi ariana poſuit ac multa ingenii monimenta aduerſus iſtam reliquit: quinque nimirum *orationes;* ſiue diſputationes *contra arianos*, quas ſolas ad arianismum vniuerſum refellendum ſufficere, PHOTIVS * pronuntiat: commentationem in effatum: *omnia mihi tradita ſunt a patre:* quatuor *epiſtolas ad Serapionem*, quarum prima, tertia et quarta ſpiritus ſancti; ſecunda autem filii diuinitatem tuetur: de *ſynodi nicænæ contra hæreſin arianam decretis*; item *epiſtolam de ſententia Dionyſii alexandrini:* aliam *epiſtolam* eamque *ad Adelphium epiſcopum contra arianos* ſcriptam et *ad Maximum philoſophum:* GREGORIVS *Nazianzenus*, qui itidem aduerſus arianos pugnauit, magis tamen oratorum; quam diſputatorum leges ſequutus, in *oratione ad arianos et de ſe ipſo* atque *oratione in laudem martyrum et aduerſus arianos;* vel eius fragmento, niſi cum aliis ſtatuere velis, id reliquias eſſe orationis cuiusdem Chryſoſtomi: BASILIVS *magnus*, cuius *orationes ſyllogiſticæ contra arianos: quod filius in diuinis ſit deus*, exſtant: ** CYRILLVS *alexandrinus*, inter cuius ſcripta

 pole-

* *codic.* CXI. p. 315.
** ab auctore, qui eſt DERODON, diſſertationis de *ſuppoſito* Arauſic. MDCXLIV. editæ.

polemica, huc ſpectantia, locum tenent: *theſaurus de ſancta et conſubſtantiali trinitate*, a nonnullis quidem in ſuſpicionem adulterini monimenti adductus; ab aliis autem Cyrillo vindicatus, * ac *dialogi nouem*, ideo loco hoc memorandi, quia ſeptem eorum priores de *ſancta trinitate* agunt; duo autem vltimi de *incarnatione vnigeniti et quod vnus ſit chriſtus:* EPIPHANIVS, qui poſteritati tradidit *ancoratum*, ancoram fidei; ſiue *epiſtolam reſponſoriam*, eaque præſertim doctrinam de trinitate expoſuit et diuinitatem chriſti contra arianos; ſpiritus ſancti autem contra macedonianos ab iis, quæ dicti aduerſarii obiiciunt, defendit; ſimul tamen et aliis hæreticis bellum indixit: CHRYSOSTOMVS in ſex *homiliis* de *incomprehenſibili dei natura*, contra anomæos. Ad ſcriptores hos græcos latini adiungendi ſunt, qui itidem cum arianis congreſſi ſeque veritatis vindices præbuerunt, vti ſcripta eorum, ad nos delata, luculenter ſatis teſtantur. In numero iſtorum ſunt: I) HILARII egregium opus de *trinitate* in duos ac decem libros diuiſum: liber de *ſynodis; ſeu de fide orientalium*, qui complectitur expoſitiones ſynodorum, maximam partem ab arianis; aut ſemiarianis contra recte ſentientes congregatarum: liber *contra arianos;* vel Auxentium; ſiue epiſtola ad catholicos contra arianos, quos maxime ex ſcriptura ſacra ſimpliciter ac recte intellecta, profligat: II) PHOEBADII liber *contra arianos*, quo firmienſem formulam, ad gallos miſſam, diiudicat atque infringit. Exiit ille primum cum quibusdam aliis, cura *Theod. Bezæ* ex officina Henr. Stephani MDLXX. 8 deinde ſtudio *Petri Pithœi*, Pariſ. MDLXXXVI. 4. atque a *Caſp. Barthio* illuſtratus, Francof. MDCXXIII. 8.** III) AVGVSTINI liber vnus *contra ſermonem arianorum: collatio cum Maximino, arianorum epiſcopo:* libri duo contra eumdem *Maximinum* ac libri quinque et decem de *trinitate*, quæ omnia monimenta vel eo nomine laudanda ſunt, quoniam in illis Auguſtinus aduerſarios per vim ſcriptu-

* conf. RAYNAVDVM *erotemat. de malis ac bonis libris, part.* I. *erotem.* 10. p. 134 et PETAVIVM *dogmat. theol. tom.* V. p. 308.

** eſt etiam *biblioth. patrum lugdunens. tom.* IV. p. 300.

ſcripturæ ſacræ ita repellit, vt rectam rationem, interpretandi iſtam, ſequatur: IV) AMBROSII libri quinque de *fide ad Gratianum auguſtum*, quibus adcurate ac diligenter de trinitate contra arianos diſputat, ac liber vnus de *incarnationis dominicæ ſacramento*, vbi præcipue arianos atque apollinariſtas perſtringit; *tractatus* autem *de filii dei diuinitate*; ſiue de *fide orthodoxa contra arianos* ipſi perperam tribuitur: V) HIERONYMI *epiſtolæ*, quas ad *Damaſum*, præſulem romanum, et ad *Marcum* presbyterum contra arianos ſcripſit: VI) FABII MARII VICTORINI libri quatuor *de ſanctiſſima trinitate aduerſus Candidum arianum*, qui dialectico more valde obſcuri notantur: * liber de *generatione verbi diuini* aduerſus eumdem Candidum, quem vna cum Candidi epiſtola de hoc argumento primus edidit *Iac. Zieglerus* cum ſuis in *geneſin et exodum commentariis* Baſil. MDXLVIII. fol. deinde cum aliis VICTORINI petauionenſis reliquiis ANDR. RIVINVS Lipſ. MDCLII. 8. item *hymni tres*, cum commentatione de *homouſio recipiendo*:** VII) FAVSTINI opuſculum de *trinitate*; ſiue *de fide contra arianos*, ſeptem libris; ſiue potius capitibus conſtans ac primum a *Iacob. Sirmondo* ſub *Fauſtini* nomine editum Pariſ. MDCL. 8. poſtea cum notis Oxon. MDCLXXVIII. 8. *** VIII) VIGILII tapſenſis *altercatio ſub nomine Athanaſii aduerſus Arium*; ſiue dialogi II. in concilio nicæno inter Athanaſium et Arium habiti, Probo iudice, quibuscum in plerisque conueniunt *dialogi*; *ſiue altercationes* III. ab Athanaſio contra Arium, Sabellium et Photinum coram Probo iudice inſtitutæ: libri duo ac decem de *trinitate*; *ſiue de vnita trinitate deitatis contra Mariuadum arianum*: liber de *vnitate trinitatis ad Optatum*; ſiue *dialogus* inter *Auguſtinum et Felicianum arianum*, qui et inter Auguſtini ſcripta referri ſolet: libri tres de *trinitate aduerſus Varimadum*; ſiue transpoſitis litteris Mariuadum, ſectæ arianæ diaconum, ſub nomine IDACII

* primum prodierunt Baſil. MDXXVIII. deinde translati ſunt in *bibliothecas patrum lugdunens. tom.* IV. p. 253. atque alias: etiam *orthodoxographa* MDLV. et HEROLDI *hæreſiologiam*.

** vide *bibliothec. patrum lugdunenſ. tom.* IV. p. 294.

*** *ibidem tom.* V. p. 637.

CLARI a Vigilio editi: liber *contra Palladium, arianum episcopum:* * IX) CEREALIS libellus *concertationis de fide trinitatis contra Maximinum*, arianum episcopum: ** X) ALCIMI ECDICII AVITI *collatio eius aliorumque coram rege Gundobaldo aduersus arianos*, quæ Alcimo adscribitur, quia eius fuerint præcipuæ et pene solæ in hac collatione disputandi partes: XI) FVLGENTII liber *aduersus arianos*, qui ad decem horum aduersariorum argumenta, maxime barbara atque obscura, totidem responsiones complectitur.

IX. *Eunomianos* BASILIVS *magnus* in *antirrhetico aduersus impium Eunomium*, in quinque libros diuiso, quorum tres priores maiore adcuratione atque industria scripti sunt, quam duo reliqui, forrasse ea ex caussa, quia auctori animus fuit, his istos supplere ac perfectiores reddere. Ex hac saltem dissimilitudine non est, quod cum nonnullis coniecturam faciamus, hos posteriores libros a Basilio haud profectos esse. Ad scriptum hoc Basilii impugnandum quum EVNOMIVS ἀπολογίας ἀπολογίαν in lucem edidisset; Basilius autem vitam commutasset cum morte, certamen suscepit GREGORIVS *nyssenus* in *orationibus*; siue *libris* XIII. *contra Eunomium*, quos λόγȣς ἀντιῤῥητικȣ̀ς adpellat. Præter alios; quorum tamen libros iniuria temporis nobis abstulit, eunomianam hæresin profligauit GREGORIVS *nazianzenus* in quinque, aut quatuor, si prima pro præfatione habeatur, *orationibus de theologia*, quibus contra eunomianos et macedonianos disputat: ***

X. *Macedonianos* ATHANASIVS, inter cuius scripta, ad nos delata, locum tenent quatuor *epistolæ* ad *Serapionem*, quarum prima, tertia et quarta vindicias diuinitatis spiritus sancti nobis exhibent, vti iam antea denotaui. *Dialogos*

---

* habentur opera hæc *biblioth. patrum lugdunens. tom.* VIII. p. 743. quæ et notis ac dissertationibus illustrata *Petr. Franc. Chiffletius* Diuion. MDCLXIV. 4. edidit.

** *tom.* VIII. *biblioth. patrum lugdun.* p. 671. et alibi, de quibus editionibus videatur HYDE *catalog. bibl. bodleian. part.* I. p. 153.

*** scriptores veteres contra eunomianam hæresin enarrant: FABRICIVS *bibliothec. græc. volum.* VIII. p. 250. et VOGTIVS *biblioth. histor. hæresiolog. tom.* I. *fascic.* 3. p. 505.

logos duos *contra macedonianos*, qui et Athanafii nomen præferunt, monimentum eius effe haud germanum, eruditi viri argumentis, non contemnendis, probant. * Athanafio adiungi debet BASILIVS ob librum de *fpiritu fancto ad Amphilochium*, macedonianis oppofitum. Ad quem fcriptus is eft, AMPHILOCHIVS ipfe in certamen cum hoftibus his veritatis cæleftis venit, ac quamuis liber illius de *fpiritu fancto, quod deus et quod adorandus quodque omnipotens fit*, perierit; ab interitu tamen vindicauit fe eusdem *epiftola fynodica*, qua pro fpiritus fancti diuinitate contra pneumatomachos propugnat. ** Nec prætermittendi funt: DIDYMVS *alexandrinus*, quoniam librum fcripfit de *fpiritu fancto*, cuius latina interpretatio, auctore Hieronymo, *** exftat et PASCHASIVS diaconus, qui memoriam nominis fui confecrauit duobus libris de *fpiritu fancto contra Macedonium*, Colon. MDXXXIX. 8. Helmftad. MDCXIII.*

XI. *Prifcillianiftas* AVGVSTINVS libro *ad Orofium contra prifcillianiftas et origeniftas*, quo prifcillianiftas breuiter perftringit, ea de cauffa, quia quum manichæos refutaffet, iam quædam iftorum dogmata impugnauerat; quantum autem liber hic ad origeniftas fpectat, illius antea mentionem feci, ac OROSIVS *commonitorio, fiue confultatione ad fanctum auguftinum de errore prifcillianiftarum et origeniftarum:*

XII. *Apollinariftas* Athanafius commentationibus de *incarnatione chrifti* ac de *falutari aduentu iefu chrifti*, contra Apollinarium, et de *humana natura fufcepta ab vnigenito verbo*, contra arianos et Apollinarium: GREGORIVS *nazianzenus* duabus *orationibus; fiue epiftolis ad Cledonium presbyterum aduerfus Apollinarium*, ac qui præ aliis operam

---

* ATHANASII *fragmentum contra macedonianos* edidit MONTFAVCONIVS *collection. nouæ patrum tom.* I. p. 102.

** eft in COTELERII *monumentor. ecclef. græc. tom.* II. p. 99.

*** liber hic inter HIERONYMI *opera* et in *bibliothecis patrum* fæpius editus eft, in tres libros diuifus, contra auctoris et Hieronymi mentem.

* funt quoque in *bibliothecis patrum.* De fcriptoribus antiquis contra macedonianorum hærefin exponit VOGTIVS *bibliothec. hiftor. hærefiolog. tom.* I. *fafcic.* I. p. 196.

ram in hæreticis his confutandis posuit, GREGORIVS *nyssenus.* Reliquit librum *contra Apollinarium ad Theophilum*, episcopum alexandrinum, * et *antirrheticum aduersus Apollinarium*, primum a *Laurent. Alexandr. Zacagnio* cum versione ac notis in lucem productum. ** Quibus libris quamuis Gregorius hic adcurate diligenterque aduersus Apollinarem disputet; ea tamen loquendi ratione vtitur, quæ illum facile in suspicionem falsæ doctrinæ adducere potest, quando præter alia, hypostaticam diuinæ et humanæ naturæ in christo vnitionem adpellat *mixtionem, commixtionem, temperationem:* dum de vtriusque naturæ coniunctione disserit, humanam a diuina ita adsumtam esse, pronuntiat, vt ab huius immensitate illam absorptam, abolitam atque exstinctam fuisse, adfirmare videatur. Sed hæc atque alia, durius dicta, mitiorem admittere interpretationem, paullo ante memoratus *Zacagnius* *** putat atque eximium hunc ecclesiæ græcæ doctorem a suspicione erroris, in quem Eutyches postea incidit, liberare adnititur. Nec mentio omittenda est: DAMASI duarum *epistolarum* contra Apollinarem eiusque sectatores: IO. CHRYSOSTOMI celebris *epistolæ ad Cæsarium monachum*, qua prauæ apollinaristarum sententiæ itidem profligatæ sunt; * neque LEONTII *Byzantini*, quia liber eius aduersus fraudes apollinaristarum ** ad nos peruenit:

XIII. *Do-*

* prodiit græce cura *Hoeschelii*, Lugdun. Batau. MDXCIII. 8. cum aliis Nysseni opusculis: latine ex interpretatione cum *Ducæi*, Ingolstad. MDXCVI. 8. tum *Turriani* in CANISII *lection. antiquar. tom.* I. p. 90.

** *collectan. monumentor. veter. eccles. græc. et latin.* p. 123.

*** *præfation.* dictorum *collectaneor.* §. 20. sqq.

* exstat epistola hæc latine tantum. Interpretationem hanc cum fragmentis græcis, præter alios, edidit BASNAGIVS Trai. ad Rhen. MDCLXXXVII. 8. ac postea litteris iterum describendam curauit in CANISII *lection. antiqu. tom.* I. p. 233. cum MAFFEII et HARDVINI adnotationibus. Quæ illius fata fuerint, PFAFFIVS *dissert. antirogerian.* p. 17. et KAPPIVS *dissertat. de Chrysostomi epistola ad Cæsarium monachum* enarrant.

** habetur CANISII *lection. antiqu. tom.* I. p 600. edit. BASNAGII et *biblioth. patr. lugd. tom.* IX. p. 707. Addendæ essent BASILII

duæ

XIII. *Donatiſtas* OPTATVS *mileuitanus*, cuius exſtat opus *de ſchismate donatiſtarum*, quod ſeptem quidem libris conſtat; ſeptimum autem eiusdem auctoris eſſe, docti viri dubitant, quoniam non ſolum iſte ſtilo ac quibusdam dogmatibus a reliquis diſcrepet; ſed etiam HIERONYMVS * teſtetur, Optatum ſex libros contra Parmenianum, ſectæ donatiſtarum apud Carthaginem epiſcopum, ſcripſiſſe, et ipſe Optatus hoc innuat; nec plures prima complectatur editio. Vnde facta eſt coniectura, ſeptimum librum poſt ſex priores ab Optato compoſitum; aut ab alio in lucem emiſſum eſſe. Sæpius libri hi prodierunt ac notis *Balduini*, *Barthii*, *Caſauboni*, *Albaſpinæi*, *Dupinii* ornati ſunt. Poſt Optatum AVGVSTINVS ſingulare ſtudium, donatiſtarum commenta oppugnandi, monſtrauit hancque in rem multos ingenii fetus excluſit, quorum alii perierunt: alii conſeruati ſunt. In his locum habent: *pſalmus contra partem Donati*, ordine litterarum diſpoſitus: libri tres *contra epiſtolam Parmeniani*: libri ſeptem de *baptiſmo contra donatiſtas*: libri tres *contra litteras Petiliani*, quorum primo partem epiſtolæ Petiliani, quum integram nactus nondum fuiſſet, et ſecundo integram Petiliani epiſtolam adiecit ac confutauit; tertio autem quæ *Petilianus* libro primo oppoſuerat, profligauit: libri quatuor contra *Cresconium*, grammaticum donatiſtam: de *vnico baptismo contra Petilianum*: *breuiculus collationis cum donatiſtis*: liber vnus *poſt collationem ad donatiſtas*: *ſermo ad cæſareenſis eccleſiæ plebem*, *Emerito præſente*, *dictus*: liber vnus *de geſtis cum Emerito*: libri duo *contra Gaudentium*, *donatiſtam epiſcopum*. De *epiſtola ad catholicos contra donatiſtas*, *vulgo de vnitate eccleſiæ libro* ac de *ſermone de Ruſticiano ſubdiacono*, *a donatiſtis rebaptizato et in diaconum ordinato*, dubitant eruditi viri, Auguſtino ſcripta hæc iure tribuenda eſſe; librum autem *contra Fulgen-*

duæ *epiſtolæ ad Apollinarium*, editæ in COTELERII *monumentor. tom.* II. p. 84 niſi conſtaret, eas ab arianis; vel apollinariſtis confictas eſſe. Scriptorum veterum, quæ hæreſi Apollinaris oppoſita ſunt, vberiorem notitiam ſuppeditat VOGTIVS *biblioth. hiſtor. hæreſeolog. tom.* I. *faſcicul.* I. p. 85. 199.

* de *ſcriptorib. eccleſiaſtic.* p. 110.

gentium donatistam in monimentis adulterinis numerandum esse, pro certo adfirmant: *

XIV. *Anthropomorphitas* CYRILLVS *alexandrinus* libro *contra anthropomorphitas*, quem *Bonau. Vulcanius* primus græce et latine cum adnotationibus vulgauit, Lugd. Batau. MDCV. 4.

XV. *Iouinianos* HIERONYMVS libris duobus *de virginitate aduersus Iouinianum: apologia aduersus* eumdem *Iouinianum ad Pammachium: aduersus defensorem Iouiniani ad Domnionem:*

XVI. *Heluidianos* HIERONYMVS libro de *perpetua virginitate aduersus Heluidium:*

XVII. *Luciferianos* itidem HIERONYMVS *dialogo aduersus luciferianos;* siue *altercatione luciferiani et orthodoxi:*

XVIII. *Pelagianos* HIERONYMVS *epistola ad Ctesiphontem aduersus Pelagium*, qua a Ctesiphonte consultus de quæstione: *vtrum peccatorum radicem ita quisquam valeat euellere, vt reliquiæ nullæ supersint?* eo modo respondet, vt simul præcipuos Pelagii errores reprehendat, ac *dialogo aduersus pelagianos*, qui tribus constat libris quoue Hieronymus ita differit, vt fictis nominibus vtatur et sub *Attici* nomine sectatorem veræ doctrinæ; *Critobuli* autem hæreticum eumque pelagianum loquentem sistat. Idem celeberrimus doctor in *præfationibus ad libros commentariorum in Ieremiam* pelagianos perstringit; sine tamen eorum nomine, ne Pelagium, virum magnæ auctoritatis, læderet atque ita facilius mentem eius ad veritatem amplectendam adduceret. Præter eum, AVGVSTINVS sectæ huic fortiter ac magno animo restitit. Abunde comprobant hoc scripta, quæ illius impugnandæ caussa singulari industria composuit, vti: libri tres de *peccatorum meritis et remissione et de baptismo paruulorum ad Marcellinum:* liber de *gratia noui testamenti*, qui inter *epistolas* eius locum tenet: liber de *spiritu et littera*, quo itidem gratiam diuinam ab aduersariorum impetu strenue defendit. Quemadmodum scriptis his

* conf. ITTIGII *historiam schismatis donatistarum*, quæ est in eiusdem *heptad. dissertationum*, subiuncta *adpendici dissertationis de hæresiarchis æui apostolici*, p. 321. sqq.

his dimicauit cum pelagianis; ita Pelagium ipſum adgreſſus eſt libro de *natura et gratia contra Pelagium ad Timaſium et Iacobum*, præterea autem in certamine hoc alia ingenii ſui monimenta ſtatuit, in quorum numero ſunt: liber; ſiue epiſtola de *perfectione iuſtitiæ hominis:* liber de *geſtis Pelagii ad Aurelium*, quo acta ſynodi dioſpolitanæ in Palæſtina, ob Pelagii cauſſam congregatæ, refert: duo libri de *gratia chriſti et de peccato originali ad Albinam, Pinianum et Melaniam:* libri duo de *nuptiis et de concupiſcentia ad Valerium comitem*, quorum priori pelagianorum calumniam, ac ſi quis, peccatum originale adſerendo, nuptias damnaret, repellit; poſteriori autem iſtum contra Iulianum defendit: libri quatuor de *anima eiusque origine*, quibus pro ſua ſententia, ſe neſcire, num animæ humanæ ex parentibus propagentur; an ſine vlla propagatione ſingulæ ſingulis dentur; pugnat: libri quatuor *contra duas epiſtolas pelagianorum ad Bonifacium, romanæ eccleſiæ epiſcopum:* libri ſex *contra Iulianum, hæreſis pelagianæ defenſorem*, eiusque quatuor libros, contra Auguſtini librum priorem de *nuptiis et concupiſcentia* ſcriptos. ex quorum primo quum adhuc quædam tantum excerpta nactus fuiſſet ac libro poſteriori de *nuptiis et concupiſcentia* confutaſſet; nunc autem ipſi integri operis copia facta eſſet, disquiſitionem illius non ſolum ſuſcepit; ſed etiam poſtquam contra hos Auguſtini libros *octo* nouos *libros* Iulianus ediderat, Auguſtinus et ad hos refellendos ſe contulit; morte autem impeditus, opus haud abſoluere potuit et tantum *ſex libros* reliquit. Habentur præterea Auguſtini *ſermones* et *epiſtolæ*, quibus itidem contra pelagianos disputatur, *ſermo* videlicet *habitus in baſilica maiorum de baptismo paruulorum contra pelagianos:* alius de *verbis euangelii Ioann. 6.* niſi manducaueritis carnem, *deque verbis apoſtoli et pſalmorum contra pelagianos;* ex epiſtolis autem huc ſpectat, quæ ſecundum recentiorem ordinem CLVII. numeratur * In ſcriptis his Auguſtinus ita cum pelagianis diſceptauit, vt neglecta debita cautione moderationeque, ipſe a recta via decli-

* de AVGVSTINI ſcriptis contra pelagianos editis, VOSSIVS *hiſtor. pelag. libr.* I, *cap.* 13, ſqq. p. 570. diſſeruit.

declinaret ac traderet a doctrina prædestinatianorum non longe remota, quum statuit, gratiam diuinam per se tam efficacem esse, vt per eam homines non possint non ad deum conuerti, eamque pariter ac perseuerantiæ donum non omnes; sed solos electos acccipere. Ac quamuis fateatur, fidem et gratiam amitti posse; putat tamen, eam omnino ab iis recuperandam esse, qui ad æternam vitam a deo sint prædestinati. At vero doctrina hæc Augustini de gratia diuerso modo exhibetur ac diiudicatur. Qui prædestinationem, ex absoluto numinis decreto profectam, defendunt, aliis persuadere adnituntur, Augustinum in certaminibus cum pelagianis modum haud excessisse quæque videantur duriora, ea cum veritate congruere. * Ab his discedunt, qui vel reformatis se opponunt; vel contra Iansenium; aut dominicanos pugnant, ita tamen vt ipsi inter se dissentiant. Alii fatentur, Augustinum in controuersiis cum pelagianis a recta via deflexisse, hacque de caussa arbitrantur, auctoritatem eius nec Caluini sectatoribus; nec iansenistis; nec dominicanis præsidio esse posse. Alii contra Augustinum defendunt atque existimant, illum neutiquam per id, quod nimium est, a vero aberrasse; sed nec Iansenium; nec alios, qualis sententia eius sit, recte intelligere. ** Quum nonnulli apud Adrumetum, Africæ ciuitatem, monachi ita prolapsi essent, vt omnia ad gratiam diuinam referendo, hominis libertatem tollerent, opposuit se illis Augustinus duabus commentationibus, quarum altera de *gratia et libero arbitrio ad Valentinum et cum illo monachos adrumetinos;* altera de *correptione et gratia* ad eosdem exponit. Denique scriptoribus, qui in certamen contra pelagianos venerunt, adnumerandus est: OROSIVS ob *apologeticum contra pelagianos de arbitrii voluntate:* ***

XIX. *Se-*

* conf. BASNAGII *histoire de l' eglise, libr.* XI. *cap.* 9. §. 19. p. 683. et PFAFFII *specim. histor. dogmat. de gratia et prædestinat. in primit. tubingens. part.* I. p. 95.

** pluribus hæc enarrat BVDDEVS *isagog. ad theolog. vniuers. libr.* II. *cap.* 7. §. 4. p. 1675.

*** conf. GARNERIVM *dissert. de scriptis aduersus hæresin pelagianam*, quæ inter *dissertationes* eius, *ad hæresin pelagianam pertinentes*, sexta est, *tom.* XII. *operum Augustini* p. 234. edit. antuerp.

XIX. *Semipelagianos* PROSPER *epiſtola ad Auguſtinum de reliquiis pelagianæ hæreſeos in Gallia ſoboleſcentibus*: alia *ad Rufinum de gratia et libero arbitrio;* item *libro contra collatorem* pro Auguſtino: *reſponſionibus ad capitula calumniantium gallorum*, itidem pro Auguſtino: *reſponſionibus ad capitula obiectionum vincentianarum*, pro eiusdem doctrina: *reſponſionibus ad excerpta, quæ de genuenſi ciuitate ſunt miſſa*, pro Auguſtino: *carmine de ingratis*, per quos pelagianos et ſemipelagianos, tamquam homines erga deum eiusque gratiam ingratos intelligit: HILARIVS Arelatenſis *epiſtola ad Auguſtinum*, quæ locum tenet inter auguſtinianas litteras: auctor operis, quod inſcribitur *de vocatione omnium gentium* et ab aliis Ambroſio: ab aliis Proſpero aquitano: a quibusdam Hilario arelatenſi: a nonnullis Proſpero aurelianenſi; vel Leoni magno tribuitur:

XX. *Neſtorianos* ex græcis confutarunt: PROCLVS *laudatione in ſanctiſſimam dei genetricem Mariam:* alia homilia de *incarnatione domini noſtri ieſu chriſti* et epiſtola de *fide ad Armeniæ presbyteros et archimandritas*, qua refellit Neſtorii et Theodori mopſueſteni errores; Theodori autem nullam mentionem fecit, ne Armenos, quibus cara erat eius memoria, offenderet: * CYRILLVS *alexandrinus*, qui magno ſtudio contra Neſtorium pugnauit ac ſcripſit: libros quinque *aduerſus Neſtorii blasphemias contradictionum: explanationem* XII. *capitulorum;* ſiue anathematismorum, aduerſus Neſtorium in ſynodo epheſina compoſitam: *apologeticum pro* XII. *capitulis*, contra orientis epiſcopos: *aduerſus impugnationem* XII. *capitulorum, a Theodoreto editam* ** et *apologeticum* ad imperatorem Theodoſium; num autem Cyrillus mentem Neſtorii recte ſit adſequutus ac propoſuerit; nec ne? de eo diſputatur: THEODOTVS ancyra-

* PROCLI ſcripta græce et latine edidit *Elmenhorſtius*, Lugd Batau. MDCXVII. 8. plura *Riccardus* Rom. MDCXXX. 4. homilias cum noua verſione ac notis *Combefiſius auctar. nou. biblioth. patr. tom.* I. Latine iſta exſtant *bibl. patr. lugd. tom.* VI. p. 589.

** THEODORETVS Neſtorium defendit in *reprehenſione duodecim capitulorum; ſiue anathematismorum Cyrilli* atque aliis ſcriptis.

cyranus homilia *contra Nestorium* * et libro *aduersus Nestorium*; siue *Nestorii ex scriptura et fide concilii nicæni confutatio*: ** IOANNES MAXENTIVS *capitulis*; *siue anathematismis contra nestorianos*: libris duobus *dialogorum contra nestorianos* ad Theophilum: LEONTIVS *byzantinus* libris tribus *contra eutychianos et nestorianos*, quorum latina tantum interpretatio habetur. Ex latinis scriptoribus accedunt: MARIVS MERCATOR, qui varia ingenii monimenta, hæresi nestorianæ opposita, reliquit: *comparationem* videlicet *dogmatum Paulli samosateni et Nestorii*; siue, vt alii commentationem hanc inscribunt, *epistolam de discrimine inter hæresin Nestorii et dogmata Paulli samosateni*, *Ebionis*, *Photini et Marcelli*; item *contradictiones aduersus anathematismos Nestorii*; siue *Nestorii anathematismos duodecim totidem anathematismis Cyrilli oppositos*, *a Mario latine versos*, *addita singulis refutatione*; *siue contradictione*: *præfationem in varios Nestorii sermones*, *latine a se versos*: IO. CASSIANVS, iam memorandus ob libros septem de *incarnatione christi*, contra Nestorium, quos a Leone, ea ætate romanorum sacrorum archidiacono, rogatus scripsit; commentariis autem *Alard. Gazæus* illustrauit: PROSPER aquitanus, cuius exstat *elegia*, inscripta: *epitaphium nestorianæ et pelagianæ hæreseos*: *** CAPREOLVS, episcopus carthaginensis, in *epistola de vna christi*, *veri dei et hominis*, *persona*, contra Nestorium, ad Vitalem et Constantinum, hispanos, exarata: * FAVSTVS regensis, cuius habetur libellus; siue *epistola* aduersus Nestorii errorem, ad Gratum diaconum: ** GELASIVS, pontifex romanus, qui inter

* legenda est in collectionibus conciliorum LABBEI et HARDVINI.

** ita librum hunc *Combefisius* inscripsit eumque cum noua versione atque adnotationibus in lucem emisit Paris. MDCLXXV. 8. antea autem iste prodiit studio *Franc.* cardinalis *Barberini*, Rom. MDCLXIX. 8.

*** in noua *operum* eius editione, Paris. MDCCXI. fol. p. 198.

* edita est a SIRMONDO *tom.* I *varior. opuscul.* Paris. MDCXXX. 8. et translata in eiusdem *operum tom.* I. p 361.

** primum in lucem exiit cura *Petr. Pithæi* MDLXXXVI. ac cum aliis auctoris scriptis recusa in *biblioth. patr. lugdun. tom.* VIII. p. 523 sqq.

inter generis huius auctores locum ſibi fecit libro de *duabus in chriſto naturis*, contra Eutychen et Neſtorium, ſæpius edito: * VIGILIVS *tapſenſis*, cuius libri quinque *aduerſus Neſtorium et Eutychen*, pro defenſione concilii chalcedonenſis, ad nos peruenerunt; nec ſolum coniunctim cum aliis ſcriptis; ſed et ſeparatim exierunt: ** BOETHIVS libro de *duabus naturis et vna perſona chriſti*, ad id quoque comparato, vt Eutychis ac Neſtorii praua doctrina impugnaretur: FACVNDVS hermianenſis, qui ſcripſit libros XII. *pro defenſione trium capitulorum concilii chalcedonenſis*, ad Iuſtinianum imperatorem: *** LIBERATVS, qui hiſtoriam controuerſiarum neſtorianæ et eutychianæ litteris mandauit, ſub titulo *breuiarii* eamque ita enarrauit, vt ſe ſimul defenſorem veritatis præberet: *

XXI. *Eutychianos* plerique eorum, qui contra Neſtorium ſcripſerunt, antea a me enumerati; præter hos autem, LEO magnus *ſermone; ſiue tractatu contra Eutychis hæreſin:* PETR. CHRYSOLOGVS *epiſtola ad Eutychen archimandritam*, qua eum adniſus eſt ad id adddducere, vt liberaret ſe ab errore ac veram doctrinam amplecteretur: ** RVSTICVS diaconus *diſputatione aduerſus acephalos:* ***

* in SICHARDI *antidoto aduerſus hæreſes:* HEROLDI *hæreſeologia:* SIMLERI ſcriptis veteribus latinis de *vna perſona, et duabus naturis chriſti* et in *biblioth. patrum.*

** primum prodierunt Tigur. MDXXXIX. 8. deinde in memorata HEROLDI *hæreſeologia:* SIMLERI *collectione*, itidem iam adducta: in *biblioth. patrum* ac denique in VIGILII *operibus*, a *Chifletio* editis.

*** iuris publici facti atque illuſtrati ſunt a *Sirmondo*, Pariſiis MDCXXIX. 8. ac litteris iterum deſcripti in eiusdem *operibus tom.* II. præterea autem cura *Priorii* ad extremum *Optati* Pariſ. MDCLXXV. fol. ac *biblioth. patr. lugd. tom.* X. p. I. FACVNDI *epiſtolam pro defenſione trium capitulorum* primus in lucem produxit DACHERIVS *ſpicileg. tom.* III. p. 307. edit. *de la Barre.*

* hiſtoriam hanc, notis illuſtratam, edidit *Garnerius*, Paris. MDCLXXV. Scriptores veteres de Neſtorio eiusque hæreſi percenſet FABRICIVS *biblioth. græc. volum.* IX. p. 286

** addita eſt *Gregorii thaumaturgi operibus*, a *Ger. Voſſio*, Mogunt. MDCIII. editis, p. 205.

*** exſtat in SICHARDI *antidoto contra hæreſes* p. 246. HEROLDI *hære-*

EVSTATHIVS berytenſis *apologia pro tomo Leonis romani* ad Timotheum Aelurum: LEONTIVS *byzantinus*, cuius *dubitationes hypotheticæ et definitiones contra eos, qui negant, eſſe in chriſto poſt vnionem duas veras naturas*, ex interpretatione *Franc. Turriani* latine ad nos peruenerunt.*

§. X.

Patrum eccleſiæ theologia polemica eam rationem præ ſe habet, vt in illa alia ſint laudanda; alia autem reprehendenda. Monimenta eorum, aduerſariis oppoſita et ad nos delata, adferre nobis multum vtilitatis, ſi illa quidem rite atque adcurate legantur atque intelligantur, quisque fatebitur, qui in iſtis verſatus eſt. Præbent ea lucem in rebus, quæ vel ad ſcripturam eiusque interpretationem; vel ad dogmata vera falſaque; vel ad hiſtoriam, maxime eccleſiaſticam; vel ad aliam doctrinæ ſanctioris diſciplinam pertinent. Nec tamen negandum eſt, a patribus eccleſiæ in controuerſiis ea dicta ac ſcripta eſſe, quæ omnino vitioſa ſunt, ſiue illi hoſtium errores refellant; ſiue dogmatum veritatem probare debeant. Cauſſæ horum næuorum variæ ſunt.

In illis locum habent: ignorantia linguarum orientis: artis bene cogitandi recteque atque adcurate ratiocinandi: aliarum rerum, quibus vt interpres codicis ſacri inſtructus ſit, neceſſe eſt. Ad cauſſas has accedebant aliæ. Dogmata ſanctiſſimæ religionis noſtræ, pro quibus pugnandum erat, patres hi nec diſtincte atque ordinate; nec adcurate ſemper tradiderunt: plus, quam decet, imitati ſunt oratores: debitam moderationem nonnumquam neglexerunt.

Inpri-

hæreſeologia p. 707. SIMLERI *ſcriptis veterum latinis aduerſus Neſtorium, Eutychen et acephalos* p. 140. et *biblioth. patrum lugdun. tom.* X. p. 349.

* quum iam in *bibliothec. theolog. tom.* I. p. 580. patres eccleſiæ, qui contra hæreticos pugnarunt, enumeraui, notitiam hanc, a me datam, et ad locum hunc referri poſſe, exiſtimo.

Inprimis memorandum eſt, fuiſſe inter antiquiores eccleſiæ doctores, qui nouam rationem diſputandi ac quum controuerſiæ natæ eſſent, contra aduerſarios feliciter pugnandi, inueniſſe ſibi perſuaderent eamque adhiberent. Spectabat illa ad methodum, hoſtibus præſcriptionem ac traditionem opponendi ac per vtramque dogmatis veritatem probandi. Hæcque eſt methodus, quæ poſtea præſulis romani adſectatoribus multum ſe commendauit; a noſtratibus autem atque a reformatis theologis docte firmeque confutata eſt.

Inter eos, qui de noua contra hæreticos diſputandi ratione cogitarunt, locum ſibi fecit TERTVLLIANVS libro de *præſcriptionibus contra hæreticos*, quo nouum modum, hæreticos profligandi, iniiſſe ac laudaſſe videtur. Vocabulo enim *præſcriptionis* talem ſignificandi vim tribuit, qualis in ſcholis iureconſultorum vſitata eſt, quumque per illud eam bonorum poſſeſſionem intelligit, quæ longiori temporis ſpatio ſe tuetur, hæreticis antiquitatem veræ doctrinæ opponit atque ex eo, quod illi noua dogmata tradant, conficit, hæc falſa eſſe atque erronea. Quem argumentandi modum non plane rectum atque adcuratum eſſe, iam dudum denotatum eſt. Idque et res ipſa monſtrat. Non eadem ratio eſt veritatis, ac bonorum, quorum homines domini ſunt, et quamuis veritatem, in ſe ſpectatam, errore antiquiorem eſſe, conſtet; contingere tamen poteſt, vt quis per longius tempus, per quod erroneum dogma adprobauit, ſe aliquando veritatem habuiſſe, ignoret. Adiungendus eſt VINCENTIVS *Lerinenſis* ob *commonitoria duo pro catholicæ fidei antiquitate et vniuerſalitate aduerſus profanas omnium hæreſeon nouationes*, quæ iam antea memoraui. Nunc addo, librum hunc eſſe, in quo Vincentius commendat traditionem eccleſiæ catholicæ, veluti certiſſimam controuerſiarum normam et, vt perſuadet ſibi, optimam rationem, hæreticos refellendi. Quocirca non mirum eſt, quod liber hic apud pontificis romani adſectatores in magno ſit honore atque exiſtimatione ſummisque laudibus in cælum efferatur. At vero traditiones minime rectam, certam facilemque viam monſtrare ad lites decidendas: immo cum

variis iisque maximis difficultatibus coniunctas esse, adeo vt vbi pedem tuto ponere liceat, in illis haud inueniatur, iam dudum doctores nostri ostenderunt atque in Vincentium censoriam animaduersionem merito adhibuerunt. Qua et ideo dignus declarari debet, quia peruersa caussa se ad opusculum hoc scribendum adduci passus est, fauore videlicet erga semipelagianos et odio in Augustinum, quemadmodum doctissimi viri * probarunt.

Quæ Tertullianus de methodo præscriptionis, contra hæreticos adhibenda, commentatus est, ea non malo consilio scripsit ac quamuis nonnulla hac in re ab isto tradita sint, in se haud probanda; mitiorem tamen interpretationem admittunt ac Tertullianus ipse, qui excusetur, dignus est. Hæreticorum caussa præscriptionem commendauit, non absolute; sed quodam modo et ipse diuinam auctoritatem sacrarum litterarum agnouit ac professus est. Pluribus argumentum hoc maxime contra pontificios enarrarunt doctissimi viri, ex quibus præter alios legendi sunt: IO. HVLSEMANNVS, ** GEORG. CALIXTVS, *** IO. CONRAD. DANNHAVERVS,* PETR. HABERKORNIVS,** IO. ANDR. SCHMIDIVS, *** FEVSTELIVS, * IO. FRANCISC. BVDDEVS, ** inprimis ex reformatis FRID. SPANHEMIVS. ***

CAPVT

* VOSSIVS *histor. Pelagian. libr.* I. *cap.* 10. IANSENIVS *de hæresi Pelagian. cap.* 17. RIVETVS *critic. sacr. libr.* IV. *cap.* 24. NORISIVS *histor. Pelagian. libr.* II. *cap.* 11.

** *disputation. de præscriptione, an opinio quædam mentis de dogmatibus theologicis, finito temporis tractu, possit præscribi?*

*** *digressione de arte noua.*

* *polemosoph. sacr.* p. 302.

** *disputationibus anti-Walenburchianis.*

*** *breuiario theologiæ polemicæ, specimen controuers. general. cum pontificiis exhibent.* p. 4.

* *miscellan. sacris et eruditis* p. 280.

** *isagog. ad vniuers. theolog. libr.* II. *cap.* 7. §. 3. p. 997.

*** *exercitation. de rebus fidei aduersus nouos methodistas pontificios, tom.* III. *oper.* p. 1079.

CAPVT XI.

DE PATRVM ECCLESIAE ERVDITIONE SACRA, SPECIATIM THEOLOGIA SYMBOLICA.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum summa §. I.
Exponitur primum de ipsis symbolis antiquioribus, quæ in scriptis patrum memorantur, generatim §. II.
Speciatim de antiquioribus symbolis cum priuatis §. III.
Tum publicis §. IV. V.
Item de symbolis orientalibus et occidentalibus §. VI.
Orthodoxis atque hæreticis § VII.
Deinde patres recensentur, qui scripta symbolica interpretati sunt atque illustrarunt §. VIII.

Quæ ad doctrinam remque symbolicam antiquioris ætatis pertinent, eorum notitia haurienda est maxime ex monimentis patrum et aliorum scriptorum ecclesiasticorum hancque ob caussam non vano atque inani consilio fit, vt commentationem quoque de patrum ecclesiæ theologia symbolica adiiciam, ea ratione scribendam, vt illa inprimis historica sit, non dogmatica; aut polemica, atque a me enarrentur symbola, quorum memoria in patrum scriptis conseruata est, vna cum quibusdam eorum expositionibus.

§. II.

Antiquiora symbola, quæ in patrum atque aliorum scriptorum ecclesiasticorum libris vel memorantur; vel recensentur atque exhibentur, si non integra; fragmenta tamen eorum, vbi inter se conferre velimus, facile videbimus, varia eorum esse genera ordinisque caussa recte istorum classes constitui.

Quodsi animum aduertimus ad istorum vsum, sunt illa vel *priuata;* vel *publica:* ad eorumdem gentes vel *orientalia;* vel *occidentalia:* vel ad ipsam doctrinam, cuius confessio fit, vel *orthodoxa;* vel *hæretica;* siue praua.

Quae singulorum sit ratio: quae de illis in patrum scriptis habeamus, distincte dispiciam. In symbolis his enumerandis ac notitia eorum suppeditanda operam collocarunt:

IACOBVS VSSERIVS, cuius exstat: *diatribe de romana ecclesiae symbolo apostolico vetere aliisque fidei formulis, tum ab occidentalibus; tum ab orientalibus in prima catechesi et baptismo proponi solitis*, Londini MDCXLVII. Oxoniae MDCLX. 4. ac cum eiusdem *annalibus veteris et noui testamenti*, Geneuae MDCCXXII. fol.

BALTHAS. BEBELIVS, cuius *synopsis historiae et doctrinae symbolorum antiquissimorum, vt et recentioris; seu augustanae confessionis*, post mortem eius studio filii *Io. Balthasaris*, prodiit, Argentorati MDCXC. 12. qui et alio loco* de symbolis his exponit. Praeter hos, commemorandi sunt:

GER. IO. VOSSIVS in *dissertationibus tribus de tribus symbolis, apostolico, Athanasiano et Constantinopolitano*, Amstelodami MDCXLII. MDCLXII. 4.

IO. CASPAR SVICERVS in *thesauro ecclesiastico:* **

LVDOVICVS ELL. DVPIN in *nouuelle bibliotheque des auteurs ecclesiastiques*, vbi singulis seculis indices symbolorum; siue formularum fidei subiecit:

IOSEPHVS BINGHAMVS in *originibus; siue antiquitatibus ecclesiasticis.* ***

§. III.

Symbolorum, quae adpellaui *priuata*, ea est ratio, vt illa nullam auctoritatem publicam prae se habuerint: illis non integri plures coetus; sed quidam tantum vsi sint fideique suae ediderint confessionem. Generis huius symbola, fragmenta saltem eorum, in patrum monimentis habentur varia, quae de veritate atque antiquitate doctrinae nostrae christianae testimonia praebent.

Sunt,

* *antiquitat. eccles. secul.* III. *articul.* 2. *section.* 2. p. 641. et *secul.* IV *articul.* 4. p. 859.

** *tom.* II. p. 1086.

*** *libr.* X. *cap.* 4. *volum.* IV. p. 79.

Sunt, qui putant, ſymbola recitari in ſcriptis Ignatii, Clementis romani, Polycarpi; monimenta autem, ex quibus illa adferuntur, nullam fidem habent ſique et ſcriptores iſti veluti in tranſitu capita quædam fidei memorant; nullam tamen fidei regulam, quam chriſtiani tempore iſto ſequuti ſint, exhibent. Idem dicendum eſt de iis, quæ ex ORIGENE * recenſentur, quando ille capita quædam doctrinæ, ab apoſtolis traditæ atque ad eccleſiam illius ætatis propagatæ, enarrat; alio autem loco ** hæc leguntur: *credo, vnum omnium conditorem eſſe et opificem: et qui ab illo eſt, deum verbum conſubſtantialem iuxtaque perennem eumque extremis temporibus hominem ex Maria adſumſiſſe, et in crucem actum et excitatum a mortuis: credo etiam ſpiritui ſancto, qui in omnem æternitatem exſiſtit.* Sed nec hæc probare, quod probare debeant, eruditi viri iam animaduerterunt. Ex quo adducta verba ſumuntur, *dialogus contra Marcionitas* minus recte Origeni, tamquam auctori ſuo, tribuitur.

Maiori iure huc referri poſſe videntur, quæ apud IRENAEVM *** ſcripta ſunt, eccleſiam ab apoſtolis eorumque diſcipulis accepiſſe *fidem in vnum deum patrem omnipotentem, qui fecit cælum et terram et mare et omnia, quæ in eis ſunt, et in vnum ieſum chriſtum, filium dei incarnatum pro ſalute noſtra et in ſpiritum ſanctum*, poſt quæ ſequuntur: *acceptam, inquam, hanc prædicationem, ac fidem, vti ante diximus, eccleſia tametſi per totum terrarum orbem ſparſa, ſummo ſtudio et cura, perinde atque vnam domum incolens, conſeruat, ac velut animam vnam atque vnum idemque cor habens, his æque fidem accommodat, et miro conſenſu, quaſi vno ore prædita, hæc prædicat, docet ac tradit.* Sed tamen qui rem adcurate perpendit, haud difficulter videbit, Irenæum voluiſſe quidem indicare, qualem doctrinam eccleſia ab apoſtolis acceperit; minus autem exhibere ſymbolum.

* περὶ ἀρχῶν *præfat.*

** *dialog. contra Marcionit.* 1.

*** *libr.* 1. *cap.* 10. *aduerſus hæreſes* p. 48. edit. MASSVETI.

Apud TERTVLLIANVM duplex fidei formula recitatur. Altera eſt longior, his compoſita verbis: * *creditur, vnum omnino deum eſſe, nec alium præter mundi conditorem, qui vniuerſum de nihilo produxerit, per verbum ſuum primo omnium emiſſum: id verbum filium eius adpellatum, in nomine dei varie viſum patriarchis, in prophetis ſemper auditum, poſtremo delatum ex ſpiritu dei patris et virtute in virginem Mariam, carnem factum in vtero eius, et ex ea natum hominem, et eſſe ieſum chriſtum: exinde prædicaſſe nouam legem, et nouam promiſſionem regni cælorum: virtutes feciſſe: fixum cruci, tertia die reſurrexiſſe, in cœlos ereptum ſedere ad dextram patris: miſiſſe vicariam vim ſpiritus ſancti, qui credentes agat: venturum cum claritate ad ſumendos ſanctos in vitæ æternæ et promiſſorum cæleſtium fructum, et ad profanos adiudicandos igni perpetuo, facta vtriusque partis reſuſcitatione cum carnis reſtitutione;* altera autem eaque breuior hæc eſt: ** *regula fidei vna omnino eſt, ſola, immobilis et irreformabilis, credendi ſcilicet in vnicum deum omnipotentem, mundi conditorem et filium eius ieſum chriſtum, natum ex virgine Maria, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertia die reſuſcitatum a mortuis, receptum in cælis, ſedentem nunc ad dextram patris, venturum iudicare viuos et mortuos, per carnis etiam reſurrectionem.* Quas confeſſiones eſſe ſymbola priuata, quamuis recte adfirmetur; minus tamen, vt quidam exiſtimant, ſymbolum apoſtolicum ibi inueniendum eſt.

EX CYPRIANI ſcriptis itidem fragmenta ſymboli fidei adducuntur, quum ille memoret, catholicos ac Nouatianos catechumenis, ſacro fonte abluendis, easdem propoſuiſſe interrogationes atque inter alia quæſiiſſe: *num credant in deum patrem et in chriſtum ipſius filium et in ſpiritum ſanctum? num credant remiſſionem peccatorum et vitam æternam per ſanctam eccleſiam.* *** Addunt alii GREGORII *thaumaturgi æxpoſitionem fidei:* LVCIANI, martyris, eccleſiæ Antiochenæ presbyteri, confeſſionem fidei, Sabel-

* de *præſcription. aduerſus hæretic. cap.* XIII. p. 235.
** de *velandis virginib. cap.* I. p. 192.
*** *epiſtol.* LXXVI. *ad Magnum* p. 252.

Sabellianis oppoſitam atque ab Athanaſio, Socrate, Hilario memoratam.

Eorum etiam doctorum eccleſiæ, qui poſt concilium Nicænum floruerunt, confeſſiones fidei ad nos delatæ ſunt. In illis locum habent: I.) HILARIVS *Pictauienſis*, qui duas confeſſiones ſcripſit atque vtraque diuinitatem chriſti egregie teſtatus eſt ac confirmauit. Priore inter alia dicitur: *eſt ante tempora et erat in principio apud deum, deus verbum. Qui eſt imago dei inuiſibilis;* item: *eſt vnigenitus deus: eſt deus verus: et deus magnus: ſuper omnia deus.* * II.) BASILIVS *magnus*, cuius ad nos peruenit *ſermo de fidei confeſſione;* ſiue de *vera ac pia fide*, qui cum quibusdam aliis partem operis conſtituit, quod ſub nomine *aſcetici* a nonnullis antiquioribus ſcriptoribus commemoratur: III.) EPIPHANIVS, apud quem itidem duæ ſunt fidei confeſſiones, quarum altera breuior eſt, in baptismo catechumenorum vſitata, *a ſanctis apoſtolis*, vt EPIPHANIVS ** ſcribit, *tradita et in eccleſia, in ſancta vrbe ab omnibus ſanctis epiſcopis, qui ſupra trecentos ac decem fuerint, præſcripta*, quæ verba non ita intelligenda ſunt, ac ſi ipſa hæc fidei formula tradita ſit ab apoſtolis; aut compoſita a patribus concilii, in ſancta vrbe Nicæa, vti adpellatur, celebrati; ſed ſignificant tantum, capita dictæ formulæ conuenire cum doctrina apoſtolorum ac patrum Nicænorum. Altera, apud Epiphanium conſeruata, formula longior eſt. Quum enim ea ætate, qua Valentinianus ac Valens imperium tenebant, hæretici eccleſiam erroribus perturbare, ſibi ſumerent; horum cauſſa autem neceſſe videretur, vt quædam confeſſionis capita adcuratius diſtinctiusque explicarentur, natæ ex eo ſunt acceſſiones. ***

§. IV.

A ſymbolis priuatis differunt *publica*, quæ in ſcriptis patrum ſæpe memorantur. Dicuntur *publica*, quia ab ipſis

* prior legitur *libr.* II. *ad Conſtantium* p. 1230. poſterior vero libro *de ſynodis* p. 1187.

** in *ancorato cap.* CXX. et CXXII. p. 122. *tom.* II. *oper.*

*** adde IOSEPHVM BINGHAMVM in *originibus; ſiue antiquitatibus eccleſiaſticis libr.* X. *cap.* 4. §. 15. p. 105. *volum.* IV.

ipſis chriſtianorum coetibus, non a quibusdam tantum eccleſiæ ſociis, adprobata ſunt hancque ob rem publicam auctoritatem præ ſe habent atque ad publicum vſum adhibentur. Ad eiusmodi ſymbola eaque ante concilium Nicænum condita referuntur: ſymbolum *romanum*, *Aquileienſe*, *orientale* atque *Antiochenum*.

Horum quoque ſymbolorum patres eccleſiæ mentionem faciunt nobisque notitiam ſuppeditant. Romanorum chriſtianorum cœtum proprium habuiſſe ſymbolum, *romanum* adpellatum, ex his VIGILII *Tapſitani* verbis * colligitur: *vniuerſitas profitetur, credere ſe in deum patrem omnipotentem, et in ieſum chriſtum filium eius, dominum noſtrum. Huic capitulo ob id iſte calumniatur: cur non dixit in vnum ieſum chriſtum, filium eius, iuxta Nicæni decretum concilii? ſed Roma, et antequam Nicæna ſynodus conueniret, a temporibus apoſtolorum vsque ad nunc, et ſub beatæ memoriæ Cæleſtino, cui iſte rectæ fidei teſtimonium reddidit, ita fidelibus ſymbolum tradidit: nec præiudicant verba, vbi ſenſus incolumis permanet.* Symboli huius meminit RVFINVS** nosque ex eo videre poſſumus, ita illud compoſitum fuiſſe: *credo in deum patrem omnipotentem, et in ieſum chriſtum, filium eius vnigenitum, dominum noſtrum, qui conceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Maria virgine, crucifixus ſub Pontio Pilato, mortuus et ſepultus: tertia die reſurrexit a mortuis, aſcendit ad cælum, ſedet ad dextram dei patris, inde venturus eſt iudicare viuos et mortuos. Et in ſpiritum ſanctum, ſanctam eccleſiam, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem.* Eccleſiam romanam omni cura prouidiſſe, ne vlla ſymboli huius fieret mutatio, ex AMBROSIO *** probatur.

Symbolum *Aquileienſe* hoc fuit: *credo in deum patrem omnipotentem, inuiſibilem et impaſſibilem. Et in chriſtum ieſum, vnicum filium eius, dominum noſtrum, qui natus eſt de ſpiritu ſancto ex Maria virgine, crucifixus ſub Pontio Pilato et ſepultus, deſcendit ad inferna. Tertia die reſurrexit a mor-*

* *aduerſus Neſtorium et Eutychen libr.* IV.
** *expoſitione in ſymbol. apoſtolic.*
*** *epiſtol.* LXXXI.

mortuis, adſcendit in cælos, ſedet ad dextram patris: inde venturus eſt, iudicare viuos et mortuos. Et in ſpiritum ſanctum, ſanctam eccleſiam catholicam, remiſſionem peccatorum, huius carnis reſurrectionem, quod relatum legimus apud RVFINVM.* Quum et ſymbolis, de quibus iam diſſerere cœpi, ſymbolum *orientale* atque *Antiochenum* adnumeraui, nunc illa prætereo, ea mente, vt poſtea quædam de iſtis dicam, quando de ſymbolis eccleſiæ orientalis generatim a me exponendum eſt.

§. V.

Symbola publica itidem inter ſe differunt aliaque ſunt *particularia;* alia autem *vniuerſa.* Per illa, quæ *particularia* a me adpellantur, intelligo ſymbola, a ſingulari chriſtianorum cœtu; vel a quibusdam tantum eccleſiis recepta; hæc autem; ſiue *vniuerſa* ſunt, quæ omnes chriſtiani, recte ſentientes, plerique ſaltem, adprobant ac de dogmatibus eorum conſentiunt. Generis huius ſunt: ſymbolum *apoſtolicum*, *Nicænum, Nicæno-Conſtantinopolitanum* atque *Athanaſianum.*

De his quoque ſymbolis ea patres eccleſiæ in monimentis ſuis litteris mandarunt, quæ ad hiſtoriam iſtorum lucem præferunt. De ſymbolo *apoſtolico,* ſpeciatim de origine eius ſatisque haud commentati ſunt; fuerunt autem, qui illud explicarent atque illuſtrarent, poſtea a me enumerandi. Qua forma ſymbolum *Nicænum* compoſitum: quibus verbis illud expreſſum atque a concilio Nicæno publicatum ſit, id relatum legimus apud varios eccleſiæ patres, Euſebium, Theodoretum, Socratem, Athanaſium, Hilarium, Baſilium atque alios, quos recenſet THOMAS ITTIGIVS** cuique addi poteſt IOSEPHVS BINGHAMVS.*** Verba illius ita recitantur: *credimus in vnum deum, patrem omnipotentem, omnium viſibilium et inuiſibilium creatorem: et in vnum dominum ieſum chriſtum, filium dei, genitum ex patre, vnigenitum, hoc eſt, ex ſubſtantia patris: deum de deo,*

* *dicto loco.*
** *hiſtoria concilii Nicæni* p. 44
*** *originib. ſiue antiquit. eccleſ. volum.* IV. p. 104.

deo, lumen de lumine, deum verum de deo vero, genitum; non factum: consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt, quæ in cælo sunt et in terra. Qui propter nos homines et propter salutem nostram descendit, incarnatusque et homo factus est, et passus. Qui resurrexit tertia post die: adscendit ad cælos: venturus est, vt viuos iudicet et mortuos. Credimus et in spiritum sanctum; eos autem, qui dicunt, fuit aliquando tempus, quum non esset, et antequam gigneretur, non erat; vel quod de non exstantibus factus est; aut qui ex altera substantia; vel essentia dicunt esse filium dei, aut creatum; aut conuersioni mutationique obnoxium, anathemate ferit sancta catholica et apostolica ecclesia. In concilio Constantinopolitano, quod in œcumenicis secundum numeratur, symbolum Nicænum confirmatum ac propter varias hæreses, maxime Macedonii, auctum est. De persona prima addita sunt: *factorem cæli et terræ, visibilium omnium et inuisibilium:* de secunda, *natum ante omnia secula: de spiritu sancto ex Maria virgine: crucifixus est pro nobis sub Pontio Pilato et sepultus: sedet ad dextram dei, cuius regni non erit finis:* denique de tertia: *dominum et viuificantem, qui ex patre procedit: qui cum patre et filio simul adoratur et glorificatur.* Propter accessiones has symbolum Nicænum adpellatur symbolum *Nicæno-Constantinopolitanum*, quod itidem ex monumentis patrum enarrandum atque illustrandum est. Symbolum, quod *Athanasianum* dicitur, ad ipsum quidem Athanasium, celeberrimum illum inter patres sacri ordinis doctorem, originem suam haud refert, quod eruditissimi viri abunde probarunt, ac quamuis de auctore eius magna sit dissensio idque alii Vigilio Tapsensi; alii Eusebio Vercellensi; alii Vincentio Lerinensi; vel Venantio Fortunato atque aliis tribuant: immo vix fieri possit, vt quid hac de re pro certo adfirmetur nosque monstremus sapientiam, vbi ignorantiam nostram profiteamur; sine antiquitate tamen symbolum hoc haud adcurate intelligere atque interpretari licet, siue ad auctorem; siue ad argumenta resque eius animum aduertamus.

§. VI.

§. VI.

Sequitur ea ſymbolorum diſcrepantia, qua alia *occidentalia*; alia *orientalia* eſſe, ſupra a me dictum eſt, propter diuerſitatem nationum ac prouinciarum, vbi illa condita ac recepta ſunt, quemadmodum ipſa eccleſia vel occidentalis eſt; vel orientalis. Ante concilium Nicænum itidem apud chriſtianos orientis, vti in eccleſia occidentali, ſymbola vſitata fuiſſe, antiqua monimenta probant ac ſimul oſtendunt, ea etiam eſſe vel particularia; vel vniuerſalia.

De ſymbolis orientalibus, ſi notitiam eorum nobis comparare volumus, præter alia monimenta, patrum etiam eccleſiæ ſcripta conſulere debemus. Exſtitiſſe ſymbola hæc iam ante concilium Nicænum, ſatis eſt certum. Quum Romana atque aliæ eccleſiæ occidentis ante dictum concilium ſymbola ſua habuerunt, quod antea probauimus, nulla adparet ratio, cur non idem de orientis eccleſiis ſit ſtatuendum. Euſebius Cæſareenſis quum in concilio Nicæno ſe a ſuſpicione prauæ doctrinæ liberare vellet, ſymbolum, ea ætate vſitatum, loco confeſſionis ſuæ exhibuit ac quædam tantum addidit, vt declararet, ſe ab errore eſſe alienum; hoc autem minus fieri potuiſſet, niſi eo tempore ac per conſequentiam ante concilium Nicænum ſymbolum eccleſiæ orientalis exſtitiſſet. Formulæ ipſius, quam Euſebius tradidit, verba hæc fuerunt: *credimus in vnum deum, patrem omnipotentem, viſibilium omnium et inuiſibilium creatorem: et in vnum dominum ieſum chriſtum, dei verbum, deum de deo, lumen de lumine, vitam ex vita, filium vnigenitum, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia ſecula ex deo patre genitum, per quem omnia facta ſunt: qui propter noſtram ſalutem incarnatus eſt, et inter homines verſatus: qui paſſus eſt, et reſurrexit tertia die: adſcendit ad patrem et iterum venturus eſt cum gloria, vt viuos iudicet ac mortuos. Credimus etiam in vnum ſpiritum ſanctum. Horum vnumquemque ſubſiſtere credentes: patrem vere patrem, filium vere filium, et ſpiritum ſanctum vere ſpiritum ſanctum: ſicut et dominus noſter, quum diſcipulos ſuos ad prædicandum mitteret, dixit: ite ac docete*

omnes

omnes gentes, baptizantes eas, in nomine patris, filii et spiritus sancti. Ipse EVSEBIVS testatur hoc in *epistola ad Caesareenses* apud SOCRATEM. *

Quale symbolum apud christianos orientis vsitatum fuerit ante concilium Nicaenum, definire haud licet, eam ob caussam, quoniam illud in variis ecclesiis varium quoque fuit ac diuersum. Aliae formulae erant breuiores: aliae longiores. In illis; siue breuioribus locum tenet symbolum *Hierosolymitanum;* quod tamen in veterum scriptorum libris etiam diuersa ratione recensetur. In liturgia, quae Iacobo tribuitur, illud ita legitur: *credo in vnum deum patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, et in vnum dominum iesum christum, filium dei,* quibus addita sunt: *et reliqua symboli fidei.* Perfectius ecclesiae huius symbolum habemus in CYRILLI, Hierosolymitani episcopi, *catechesibus*, in quibus illud explicatur. Differt id a symbolo Nicaeno ac Constantinopolitano hocque facile videmus, si ista inter se conferamus. Breuius quoque, vt videtur, ecclesiae Alexandrinae symbolum fuit, quod Arius et Euzoius, dictae ecclesiae presbyteri, verae doctrinae addictos se simulantes, imperatori Constantino exhibuerunt. Legitur illud apud SOCRATEM ** et SOZOMENVM. *** Longioris in ecclesia orientali vsitati symboli maximam partem Eusebium in synodo Nicaena recitasse, eruditi viri animaduertunt haecque est Eusebii formula, quam antea memoraui. Quod symbolum apud orientis christianos fuerit commune, saltem in praecipuis ac nobilissimis; vel plurimis ecclesiis, haud definiri potest. Non omittendum est symbolum *Antiochenum*, conditum in concilio Antiocheno tertio, anno CCLXX. atque ita ante concilium Nicaenum congregato, in quo Paullus Samosatenus errorum conuictus ac condemnatus est. Exstat epistola, quam patres ad dictum Paullum Samosatenum scripserunt, antequam quid aduersus illum sancirent, graece ac latine saepius edita.

§. VII.

* *libr.* I. *cap.* 10. *aduersus haereses* p. 48. edit. MASSVETI.
** *histor. ecclesiast. libr.* I. *cap.* 26.
*** *libr.* II. *histor. ecclesiast. cap.* 27.

§. VII.

Venio ad eam ſymbolorum differentiam, qua alia *orthodoxa:* alia *hæretica* eſſe, ſupra ſcripſi. Quæ *orthodoxa* dicuntur, ea ſunt confeſſiones veræ doctrinæ: *hæretica* autem prauorum dogmatum, ab hæreticis compoſita, eum in finem, vt errores ſtabilirent ac propagarent ac quamuis nonnulli ex illorum ordine ſymbolis orthodoxis interdum ſubſcriberent; fraudulenti tamen hac in re erant; nec alia; niſi peruerſa ſententia ſymbola hæc adprobabant.

Prodierunt ſymbola Arianorum, Pelagianorum, Neſtorianorum atque aliorum hæreticorum, de quibus teſtimonia etiam ſuppetunt in patrum eccleſiæ libris. Recenſuit illa ſingulari diligentia PETRVS ZORNIVS in *noua collectione plusquam* LX. *ſymbolorum; ſiue confeſſionum fidei, quas in veteri eccleſia inde a primis ſeculis vsque ad* XII. *hæretici; vel viri alii patribus ſuſpecti in tanta ſenſuum de ſacris diſcrepantia edidere,* * ad quam de argumento hoc prouocaſſe ſufficiat.

§. VIII.

Oſtendi igitur ac probaui, patres eccleſiaſticos inſeruire nobis ad theologiam ſymbolicam, quum antiquiora ſymbola memorant atque ad hiſtoriam illorum lucem præferunt. Non ſola tamen vtilitas hæc ab iſtis exſpectanda eſt. Patres hi interpretantur etiam dicta ſymbola, maxime apoſtolicum atque ita vſum quoque dogmaticum quodam modo præbent. Scripta hæc nunc enarrabo. Plerique ad id contulerunt ſe, vt ſymbolum *apoſtolicum* recenſerent atque explanarent, in quibus locum ſibi fecit:

RVFINVS, qui inter veteres princeps eſt interpres. Scripſit *expoſitionem in ſymbolum apoſtolorum*, quæ conſeruata et ad nos translata eſt. Non primus tamen fuit, qui ſymbolum hoc explanaret, id quod ipſe indicat, quando non

* exſtat illa in *opuſculis* eiusdem *ſacr. tom.* I. p. 164.

non procul ab initio *expositionis* dicit: *et quidem comperi, nonnullos illustrium tractatorum aliqua de his pie et breuiter edidisse; Photinum vero hæreticum scio eatenus conscripsisse, non vt rationem dictorum audientibus explanaret; sed vt simpliciter et fideliter dicta ad argumentum sui dogmatis traheret.* Patet ex verbis his, notissimum hæreticum illum Photinum symbolum hoc explicasse, ea ratione, quod quisque facile coniicere potest, vt sensum peruerteret atque ad errorem suum traheret. Ipsum Rufinum verum auctorem *expositionis* huius esse, de eo nunc eruditi viri consentiunt atque ostendunt, illam a nonnullis Hieronymo; vel Cypriano falso attributam atque illorum *operibus* adiunctam fuisse. Locum suum iustum obtinuit in RVFINI *operibus*, quæ lucem viderunt Lugduni MDLXX. Parisiis MDLXXX. Priusquam Rufinus adgreditur ad explicationem ipsam; id, quod de origine symboli apostolici sentiat, exponit. Compositum id esse, putat ab ipsis apostolis, ita vt singuli symbolas suas conferrent et formula ipsa a symbolis collatis diceretur *symbolum*. Ex eo nata est vulgaris; peruersa tamen sententia, symbolum hoc ad apostolos originem suam referre atque *apostolicum* adpellari, quia ab apostolis concinnatum sit, quæ opinio satis longe est confutata. Rufini verba, quibus ad hanc sententiam proponendam vtitur, hæc sunt: *omnes ergo in vno positi et spiritu sancto repleti; breue istud futuræ sibi, vt diximus, prædicationis iudicium, conferendo in vnum, quod sentiebat vnusquisque, componunt atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt.* In ipsa explicatione Rufinus eam commentandi rationem sequutus est, vt animaduerteret, quæ sit symbolorum, in diuersis ecclesiis receptorum, differentia, ac verborum sensum inuestigaret. Quando ad articulum de *descensu christi ad inferos* venit, eum in symbolis ecclesiarum romanæ atque orientalis haud inueniri, scribit putatque, verbis his nihil aliud, nisi christi sepulturam, significari. Dogma de *ecclesia* quum illustrat, libros scripturæ sacræ recenset atque animaduertit, quibus auctoritas canonica sit tribuenda, iis nimirum veteris testamenti, qui in codice ebræo habeantur quosque et nos canonicos esse, existimamus; præterea autem etiam de apocryphis disserit. De *vnitate ecclesiæ* ita ver-

verba facit, vt inter alia præcipuas hæreſes enumeret ac doctrinam de *corporum reſurrectione* recenſeat. Monſtrat, illam de eiusdem corporis reſurrectione intelligendam eſſe.* Præter Rufinum alii inter patres induſtriam ad ſymbolum apoſtolicum illuſtrandum atque explanandum adhibuerunt. Numerandi ſunt in his interpretibus:

AMPHILOCHIVS in *expoſitione ſymboli;* ſiue potius ſententiis, quæ ex variis eius ſcriptis collectæ coniunctim exhibentur ac diuerſa capita ſymboli apoſtolici breuiter illuſtrantur. **

AVGVSTINVS, cuius duo libri huc referendi ſunt. Alter eſt liber de *fide et ſymbolo*, qui ſymboli apoſtolici expoſitionem complectitur, breuem quidem; attamen planam. Spectat illa ad ſingula ſymboli capita atque oſtendit, quibus erroribus illa oppoſita ſint verba. Ipſe hoc teſtatur dicitque: *ſub ipſis ergo paucis verbis in ſymbolo conſtitutis plerique hæretici venena ſua occultare conati ſunt: quibus reſtitit et reſiſtit diuina miſericordia per ſpiritales viros, qui catholicam fidem, non tantum in illis verbis accipere et credere; ſed etiam domino reuelante intelligere atque cognoſcere meruerunt.* *** Sic in explicatione verborum: *credo in deum patrem omnipotentem,* obſeruat, in illis reiici illorum errorem, qui adfirmabant, non omne a deo creatum eſſe; ſiue materiam communem cum deo æternitatem habere, quam peruerſam ſententiam non ſolum pagani philoſophi defenderunt; ſed nonnulli quoque inter antiquos hæreticos eamdem adprobarunt. In articulo ſecundo, quando de chriſto agitur, nullam mentionem facit *deſcen-*

 ſus

* præter auctores de ſcriptoribus eccleſiaſticis, videantur: NORISIVS *libr.* I. *hiſtor. Pelagian. cap.* 2. *tom.* I. *oper.* p. II. ac de *ſynodo quinta cap.* XIII. *dict. tom. operum* p. 801. DOVCINVS *hiſtoire des mouuemens arriuez dans l' egliſe au ſuiet d' Origene et de ſa doctrine* p. 145. DE RVBEIS *monimentis eccleſiæ Aquileienſis*, variis locis: CACCIARVS *hiſtorica diſſertatione de vita, fide ac Euſebiana ipſa Rufini translatione*, quam *poſteriori parti hiſtoriæ eccleſiaſticæ Euſebii*, ex Rufini interpretatione ſubiecit: FONTANINVS *hiſtor. litterar. Aquileiens.* p. 381.

** ſunt *biblioth. max. patr. Lugdun. tom.* VI. p. 1078.

*** in *prooemio.*

ſus ad inferos; in articulo autem de ſpiritu ſancto recenſet dogmata de *ſancta eccleſia catholica*, de *remiſſione peccatorum*, de *carnis reſurrectione* et de *vita æterna.* Exſtat ſcriptum hoc non ſolum in AVGVSTINI *operibus;* ſed prodiit etiam ſeparatim, cum AVGVSTINI libris IV. de *doctrina chriſtiana* cumque VINCENTII *Lerinenſis commonitorio*, cura GEORGII CALIXTI, Helmſtadii MDCXXIX. et iterum MDCLV. Alterum Auguſtini monimentum, quod huc pertinet, liber eſt de *ſymbolo ad catechumenos.* Memorantur ſub Auguſtini nomine quatuor *ſermones*, qui de *ſymbolo ad catechumenos* exponunt; minus autem exiſtimandum eſt, omnes orationes has monimenta eſſe germana; ſed ſatis graues rationes eruditi viri enarrant, cur tres poſteriores ſermones pro adulterinis ſcriptis haberi debeant ac ſtatuendum ſit, ſolum ſermonem primum, vt verum monimentum, adductum Auguſtini librum de *ſymbolo ad catechumenos* conſtituere atque exhibere. Continetur illo elegans ſymboli apoſtolici explicatio ac capita doctrinæ eadem recenſentur, quæ in libro, antea memorato, de *fide ac ſymbolo* habentur. Addunt nonnulli tertium AVGVSTINI librum, *enchiridion* eius *ad Laurentium;* minus autem recte atque adcurate. Complectitur quidem libellus hic ſummam doctrinæ chriſtianæ; minus autem ſymbolum.

MAXIMVS, epiſcopus Taurinenſis, cuius homilia de *expoſitione ſymboli* exſtat. Breuior illa eſt. *

EVSEBIVS, qui ſub *Euſebii Emiſſeni*, Ariani et græci ſcriptoris, nomine bis fuit editus; alii autem melius illum *gallicanum epiſcopum* adpellant. ** Commemoratur ille a me loco hoc ob duas *homilias de ſymbolo*, quibus capita ſymboli apoſtolici breuiter illuſtrantur; deſunt autem nonnulla poſteriorque non integra ad nos peruenit. ***

VENAN-

* locum obtinuit in *maxima bibliothec. patrum Lugdun. tom.* VI. p. 42.

** FABRICII *bibliothec. græc. volumin.* XIII. p. 799.

*** ſunt *homiliæ* hæ etiam in *maxima patrum bibliothec. Lugdun. tom.* VI. p. 628.

VENANTIVS FORTVNATVS, inter cuius ſcripta locum habent *expoſitiones breues orationis dominicæ* et *ſymboli apoſtolici.* *

PETRVS CHRYSOLOGVS, cuius *ſermones* quodam modo huc referri poſſunt, quoniam in illis leguntur, quæ ſymbolum apoſtolicum itidem illuſtrant. **

Iam enumeratis eccleſiæ patribus, qui ſymbolo apoſtolico lucem adtulerunt, nonnulli alios, etiam eiusdem ſymboli interpretes, adiungunt, nominatim Ambroſium, Leonem magnum, Chryſoſtomum, Athanaſium. Recenſet hos, tamquam ſymboli apoſtolici explanatores, ac commendat IO. BONA; *** quales autem putantur, tales re ipſa non ſunt. In AMBROSII *operibus* locum quidem obtinuit *tractatus in ſymbolum apoſtolicum;* eum autem non germanum; ſed adulterinum ingenii monimentum eſſe, eruditi viri ſatis probant atque inter alia referunt, librum hunc in codicibus manu exaratis inſcribi: *tractatus de trinitate et reſurrectione.* Ex variis ſententiis ac teſtimoniis patrum illum collectum ac compoſitum eſſe, alii monent ac merito exiſtimant, eum Ambroſio indignum eſſe. Nec LEONI *magno* inter ſymboli apoſtolici interpretes iure locus tribuitur. In ſermone enim, * ad quem BONA prouocat, Leo magnus nec integrum ſymbolum; nec vllum illius caput expoſuit; ſed adduxit id tantum, vt teſtimonium de IESU CHRISTO. Idem dicendum eſt de altero LEONIS loco, ** cuius Bona etiam mentionem facit. Ibi enim nihil aliud agit, quam vt ſententias quasdam ſymboli huius, de patre nimirum

Gg 3 ac

* exſtant in *maxim. bibliotheca patrum Lugdun. tom.* x. p. 592. et *orthodoxograph.* p. 1221.

** in *maxim. bibliothec. patrum. Lugdun. tom.* VII. p. 888. ſqq.

*** de *diuina pſalmodia cap.* XVI. p. 445.

* *ſermone* XI. de *paſſione domini* p. 133. *operum*, edition. QVESNELLI.

** *epiſtola ad Flauianum, epiſcopum Conſtantinopolitanum, contra Eutychis perfidiam et hæreſin,* p. 242.

ac filio recenſeat easque ita comparatas eſſe, adfirmet, vt illis *omnium fere hæreticorum machinæ deſtruantur.* Nec CHRYSOSTOMVM ad locum hunc pertinere, ex eo euidens eſt, quia *homilia de ſymbolo*, ex qua teſtimonium ſumitur, non eſt Chryſoſtomi; ſed quod BONA ipſe fatetur: *ſcriptoris latini eſt.* Ac quamuis ille explanatoribus ſymboli apoſtolici etiam ATHANASIVM ob *epiſtolam* eius *ad Iouianum* adnumeret; nec is tamen locum hunc tueri poteſt. Dicta enim *epiſtola* non ad apoſtolicum; ſed ad Nicænum ſymbolum ſpectat.

Ad ſymbolum *Nicænum* enarrandum et illuſtrandum qui operam adhiberet, nullus fere inter patres ſacri ordinis fuit: nullum ſaltem eorum ſcriptum, quod expoſitionem dicti ſymboli exhibeat, quantum ſcio, prodiit et ad nos translatum eſt. In paullo ante memorata *epiſtola Athanaſii ad Iouianum* ſunt nonnulla, quæ ſymbolo Nicæno lucem adferunt.* Addi et poteſt: eiusdem *epiſtola ad Epictetum, Corinthiorum epiſcopum*, ** aliaque in reliquis Athanaſii ſcriptis reperiri, quæ ſymbolo Nicæno lucem præbeant, facile nobis perſuadere licet. Exſtat quoque THEODOTI *Ancyrani expoſitio ſymboli ſanctorum* CCCXV. *patrum concilii Nicæni*, græce ac latine edita interprete LVCA HOLSTENIO, Romæ MDCLXIX. 8. qua autem continetur *confutatio* Neſtorii. Eam ob cauſſam, quum FRANCISCVS COMBEFISIVS illam iterum in lucem emitteret, inſcripta iſta fuit: *liber aduerſus Neſtorium; ſiue Neſtorii ex ſcriptura et fide concilii Nicæni confutatio*, Pariſiis MDCLXXV. 8.***

In locum eorum ſcriptorum, quæ a patribus haud compoſita ſunt ac quibus nunc caremus, quodam modo ſub-

* *tom.* I. *oper.* p. 245.

** *tom.* I. *oper.* p. 581. et apud EPIPHANIVM *hæreſ.* LXXVII. p. 997.

*** eſt quoque liber hic *maxim. patrum bibliothec. Lugdun. tom.* XXVII. p. 173.

ſubſtitui poteſt: IO. CASPAR. SVICERI *ſymbolum Nicæno-Conſtantinopolitanum expoſitum et ex antiquitate eccleſiaſtica illuſtratum*, Traiecti ad Rhenum MDCCXVIII. 4. Illo enim auctor ſymbolo Nicæno largiorem lucem accendit: ex patrum monimentis omnia diligenter collegit, quæ ad ſymboli huius interpretationem adiumenta præbere putauit atque ita optimam exponendi rationem ſequutus eſt: optimum ſubſidium, antiquitatis nimirum eccleſiaſticæ, adhibuit. Minus tamen negandum eſt, multa in librum hunc translata eſſe, quæ SVICERVS in *theſauro* ſuo *eccleſiaſtico* dixerat.

Quod denique ad ſymbolum *Athanaſianum* adtinet, inter veteres VENANTIVS FORTVNATVS ſcripſit *expoſitionem fidei catholicæ;* ſiue ſymboli Athanaſiani, quam LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS primus in lucem emiſit ac diſſertationem de ſymbolo hoc addidit. *

---

* *anecdotor. latinor. tom.* II. p. 212.



CAPVT XII.

DE PATRVM ECCLESIAE ERVDITIONE SACRA, SPECIATIM THEOLOGIA CATECHETICA.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum summa indicatur §. I. *Atque exponitur de patribus ecclesiæ, qui in scholis catecheticis docuerunt* §. II. *Ac scripta catechetica reliquerunt, cum inter græcos* §. III. *Tum inter latinos* §. IV.

Quum nunc de patrum ecclesiæ theologia catechetica exponam, dicendorum duas partes constituo eumque ordinem mihi præscribo, vt primum de ipsa catechesi, a patribus instituta, differam atque ex antiquitate ecclesiastica ostendam, illos, viros quoque, dignitate ac fama insignes, catechetarum munere perfunctos esse. Quibus dictis, pergam ad scripta catechetica, quæ doctores illi veteres reliquerunt, eo animo, vt notitiam istorum suppeditem.

§. II.

In antiquiore ecclesia patres omnino fuerunt, qui iunioribus elementa doctrinæ vitæque christianæ traderent ac catechetarum munus obirent. Docuerunt in scholis catecheticis, quarum princeps fuit ac multum floruit Alexandrina; præter hanc autem et in aliis locis eiusmodi scholæ erant.

Schola catechetica, quæ Alexandriæ maxime celebris fuit, sæpe apud antiquos scriptores memoratur ac dicitur: διδασκαλεῖον τῆς κατηχήσεως, item ἱερῶν λόγων, *schola catecheseos*, *sacrarum litterarum.* Præfuerunt illi ac docendi munere perfuncti sunt viri, qui doctrinæ, vitæ ac meritorum multam laudem sibi compararunt. Numerantur in illis Pantænus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Origenes, Heraclas, Dionysius Alexandrinus, Achillas, Athenodorus, Theognostus, Macarius, Basilius atque

que alii. Quae de ſchola hac litteris mandata ſunt, ea non plane inter ſe conſentiunt; nec ſatis exploratum eſt, quo ordine: quo tempore quisque in ſchola hac docuerit. Immo ea rei huius ratio eſt, vt iſta haud definiri poſſit. Legantur: PHILIPPVS SIDETES, * GVIL. CAVEVS, ** IO. ANDR. SCHMIDIVS, *** GREGORIVS LANGEMACKIVS, * IO. GEORG. MICHAELIS ** ac quae alibi a me dicta ſunt. *** Non Alexandriae tantum ſchola fuit catechetica; ſed etiam in aliis regionibus atque oppidis ſcholae generis huius conſtitutae ſunt, in quibus itidem eccleſiae doctores patresque praeceptorum partes implerunt. Catecheticus doctor exſtitit Antiochiae Babylas: Caeſareae Origenes, vbi etiam ſchola catechetica floruit. Romae atque in aliis locis inſtitutioni catecheticae plures operam dederunt, graeci pariter ac latini. Commemorantur in illis: Gregorius Neocaeſareenſis, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyſſenus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Tertullianus, Cyprianus, Optatus Mileuitanus, Auguſtinus atque alii.

§. III.

Patres eccleſiae non ſolum operam ad id adhibuerunt, vt rudiores inſtituerent atque ad cognitionem eorum, quae ad principia doctrinae chriſtianae pertinent, adducerent, quemadmodum ex antea dictis patet; ſed etiam ſcripta catechetica compoſuerunt, quo-

 rum

* in *fragmento*, quod DODWELLVS ad calcem *diſſertationum in Irenaeum* et poſt eum FABRICIVS *luc. ſalutar. euang. cap.* IX. p. 185. edidit.

** *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſtic. tom.* I. p. 80.

*** *praefatione ad Hyperii libellum de catecheſi.*

* *hiſtor. catechetic. part.* I. *cap.* 5. p. 86.

** *exercitation. de ſcholae Alexandrinae, ſic dictae catecheticae origine, progreſſu ac praecipuis doctoribus*, quae eſt in *ſymbol. litterar. ad increment. ſcientiar. omne genus, a viris amice collatis, part.* III. *volum.* I.

*** *introduction. in libros eccleſiae Lutheran. ſymbol.* p. 555. *hiſtor. eccleſiaſtic. noui teſtament.* p. 691. 1054. maxime in *der einleitung in die catechetiſche hiſtorie*, quam BVDDEI *catechet. theolog.* praemiſi.

rum nonnulla conseruata atque ad nos delata sunt. Pleraque græci antiquiores christianorum doctores reliquerunt. Exstant, quæ nunc commemorabo:

CYRILLI *Hierosolymitani catecheses* XVIII. φωτιζομένων, *ad competentes*; siue ad eos, qui quum adhuc catechumeni fuissent, nunc salutaris aquæ participes fieri debebant. Sunt illæ catecheses σχεδιασθεῖσαι, *ex tempore dictæ*. In istis postquam de peccato, baptismo ac reliquis præcipuis doctrinæ christianæ capitibus disseruit, symbolum ecclesiæ Hierosolymitanæ fuse explicat. Præter eas, eiusdem CYRILLI ad nos transmissæ sunt *catecheses mystagogicæ quinque* πρὸς τοὺς νεοφωτίστους, ad eos, qui recens sunt baptizati, vbi præcipue de baptismo ac sacra cœna agit atque officia recenset, quæ a baptizatis sint præstanda. Fidem atque auctoritatem harum catecheseon infringere ac labefactare, nonnulli non dubitarunt, ita vt priores catecheses plane adulterinas; posteriores autem saltem interpolatas; vel corruptas esse, aliis persuadere, adniterentur. Ex nostratibus contra illas disputarunt: IO. GEORG. DORSCHEVS,* IO. HVLSEMANNVS.** Inprimis reformatæ ecclesiæ doctores ac scriptores contra eas pugnarunt, ex quibus nominasse sufficiat: ANDREAM RIVETVM,*** EDMVNDVM ALBERTINVM, * ROBERT. COCVM,** IO. HENRIC. HOTTINGERVM,*** CASIMIR. OVDINVM.* De reliquis taceo. Sed satis firma sunt argumenta, quibus probatur, Cyrillum vere auctorem esse catecheseon. Confirmant hoc inter veteres scriptores HIERONYMVS, THEODORETVS atque alii testimoniis suis. Adscribuntur catecheses hæ Cyrillo in antiquis codicibus manuscriptis, qui seruantur in bibliothecis: quibus vsi sunt editores. Nec difficile est, ad argumenta respondere, quibus aduersarii contra catecheses has earumque γνησιότητα pugnant.

* in *dem achten religionsscrupel* p. 144.
** in *dem Calixtinischen gewissenswurm* p. 960.
*** *critic. sacr. libr.* III. *cap.* 8. et 10.
* de *eucharistia* p. 422.
** in *censura scriptor.* p. 238.
*** in *elencho scriptorum suppositorum* p. 78.
* *commentar. de scriptor. eccles. tom.* I. p. 459.

gnant. Præter alios, ſatisfecerunt illis ac catecheſes has defenderunt: NATALIS ALEXANDER, * GVIL. CAVEVS, ** THOMAS MILLESIVS, *** ANTONIVS AVGVSTIN. TOVTTAEVS, TILLEMONTIVS atque alii. * Quum in catecheſibus his luculenter adfirmatur, chriſti corpus ac ſanguinem in ſacra cœna re ipſa præſentia eſſe, mirum non eſt, illas reformatis diſplicere. Nec his relictum eſt, quo aduerſus teſtimonium hoc ſententiam ſuam tueantur. Spectant huc præter memorata, alia patrum eccleſiæ monimenta catechetica atque in his ſunt:

GREGORII *Nazianzeni oratio* εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα, *in ſanctum baptisma.* ** Non omnem quidem doctrinam catecheticam tradit; illuſtre tamen illius caput de baptismo diſerte exponit, ac poſtquam monſtrauit, quanta ſit baptismi præſtantia: quam magnum beneficium a deo per illum in nos conferatur, de baptismi differentia agit ac quid de ea ſtatuendum ſit, enarrat. Baptismum non eſſe differendum, docet hancque ſententiam ab iis, quæ opponi poterant, defendit. Infantes ſacro fonte abluendos eſſe, adfirmat; ita tamen, ſi id periculum vrgeat. Propoſita quæſtione: *quid autem de iis dices, qui adhuc tenera ætate ſunt; nec aut damnum; aut gratiam ſentiunt? an eos baptizabimus?* addit reſponſionem hanc: *ita prorſus, ſi quod periculum vrgeat. Præſtat enim, absque ſenſu ſignificari; quam ſine ſigillo et initiatione abſcedere. Atque huius rei ratio nobis eſt circumciſio, die octauo peragi ſolita, quæ baptismi figuram quodammodo gerebat atque iis, qui rationis adhuc expertes erant, offerebatur.* Loquitur etiam Nazianzenus de exorciſmo deque variis ritibus, eo tempore in baptismo vſitatis; nec alium baptismum adprobat,

* *hiſtor. eccleſiaſtic. ſecul.* IV. *cap.* 6. *articul.* 12. p. 119.

** *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſ. part.* I. p. 212.

*** *præfation. ad Cyrilli opera.*

* videantur de controuerſia hac: FABRICIVS *bibliothec. græc. volum.* VII. p. 545. DEYLINGIVS *diſſertation. de Cyrillo Hieroſolymitano, a corruptelis pontificiis purgato*, quæ in eiusdem *obſeruationibus miſcellaneis* eſt, §. 6. p. 124.

** exſtat in *oper.* eius *tom.* I. p. 637.

bat, nisi eum, qui fiat in nomine patris, filii et spiritus sancti. In fine capita quædam fidei christianæ recenset, ab iis credenda, qui baptismo essent initiandi, ea ratione, vt ad hæreticos sui temporis respiciat.

GREGORII *Nysseni λόγος κατηχητικὸς ὁ μέγας, ἐν κεφαλαίοις τεσσαράκοντα διῃρημένος, oratio catechetica, quæ dicitur magna, diuisa in quadraginta capita*, qua inter alia disserit de trinitate: de diuinitate christi: de attributis diuinis: de redemtione generis humani: de baptismo, ac docendi modum ad eos accommodat, quorum officium est, catechumenos erudire:

BASILII *magni* libri duo de *baptismo*, qui etiam in scriptis catecheticis numerari solent, quamuis in illis non tam dogmata fidei tradantur; quam officia commendentur illis, qui ad baptismum accipiendum accedere volunt; aut illum iam acceperunt. Prior liber tribus capitibus constat horumque tertio ostenditur, qui per baptismum iterum natus sit, eumdem mysteriorum diuinorum participem fieri debere. Posterior complectitur responsionem ad tredecim quæstiones. Quæ sub eiusdem BASILII nomine lucem adspexit: *ἔκθεσις πίστεως ἐν συντόμῳ, expositio fidei in compendio*, illa a nonnullis etiam ad locum hunc refertur; non satis autem apte. Non alia dogmata ibi traduntur, nisi de trinitate ac de christo:

IO. CHRYSOSTOMI *homiliæ*, quarum nonnullis de baptismo exponitur atque alia capita catechetica illustrantur, inprimis *homilia* XXI. *ad populum Antiochenum*, quæ continet *catechesin ad illuminandos*.

§. IV.

Inter patres ecclesiæ latinæ nulli sunt, quorum scripta catechetica nunc adducere possem ac commemorare, præter Augustinum. Solus hic monimentum catecheticum reliquit, librum elegantem ac lectione dignum, quo non dogmata quidem catechetica traduntur atque explicantur; sed vti inscriptio quoque docet, de ratione tantum, catechumenos erudiendi, exponitur; hoc tamen non impedit, quominus et liber hic iure ad locum hunc referatur.

Reli-

Reliquit AVGVSTINVS librum de *catechizandis rudibus.* Scripſit illum rogatus a Deogratias, qui erat diaconus eccleſiæ Carthaginienſis, id quod ipſe verbis his indicat: * *petiiſti me, frater Deogratias, vt aliquid ad te de catechizandis rudibus, quod tibi vſui eſſet, ſcriberem. Dixiſti enim, quod ſæpe apud Carthaginem, vbi diaconus es, ad te adducuntur, qui fide chriſtiana primitus imbuendi ſunt, eo quod exiſtimeris, habere catechizandi vberem facultatem, et doctrina fidei et ſuauitate ſermonis; te autem pene ſemper anguſtias pati, id ipſum quod credendo chriſtiani ſumus, quo pacto commode intimandum ſit; vnde exordienda, quo vsque ſit perducenda narratio; vtrum exhortationem aliquam terminata narratione adhibere debeamus; an præcepta ſola, quibus obſeruandis, cui loquimur, nouerit chriſtianam vitam profeſſionemque retineri.* Patet ex his luculenter, patres ac doctores eccleſiæ ſingularem operam in inſtitutione catechetica collocaſſe; ſimul autem quodam modo, quid libro hoc contineatur. Poſt procemium accedit ad ipſam rem eiusque expoſitionem, quæ commode in duas partes diuidi poteſt. In priore tradit præcepta, quorum ſummam atque ordinem ipſe ita enarrat: ** *itaque prius de modo narratinis, quod te velle cognoui; tum de præcipiendo atque cohortando; poſtea de hac hilaritate comparanda, quæ deus ſuggeſſerit, diſſeremus.* Tria igitur præceptorum capita conſtituit. Primum diſſerit de *modo narrationis;* intelligit autem per *narrationem* ipſam doctrinam religionis chriſtianæ, quæ in ſcriptura ſacra veteris et noui teſtamenti continetur, quatenus catechumeno perſpicue tradenda et ad fidem atque amorem adplicanda eſt. In hac narratione inſtituenda vult Auguſtinus, vt ſemper animus ad tria momenta aduertatur: I) ad *ipſas res*, quæ ex ſolis ſcripturæ ſacræ libris ſint proponendæ, ita vt a primo Moſis libro initium fiat ac per libros ceteros primum veteris: deinde noui teſtamenti ſuſcipiatur progreſſio ac quæ omni

---

* in *principio* libri huius.

** *cap.* II.

omni tempore ecclesiæ ſint reuelata, hiſtorice recenſeantur; catechumeni autem ſemper ad chriſtum in ſcriptura veteris teſtamenti promiſſum; noui exhibitum ducantur: II) ad *ſcopum*, qui in catecheſi is eſſe debeat, vt in animis catechumenorum cum fides in ieſum chriſtum; tum amor erga deum atque alios excitetur. Quam in rem in iſta narratione ſemper id agendum eſſe, monet, vt ſolide catechumenis ſingularis dei erga homines amor commendetur, quippe qui in promiſſione atque ipſo aduentu ieſu chriſti illuſtris ſit ac conſpicuus, eum in finem, vt catechumeni videant, grauiſſimam omnino eſſe cauſſam, cur deus amari debeat: III) ad *prudentiam*, quæ cum in explorando catechumeni animo atque indaganda ratione, cur chriſtianam religionem velit amplecti; tum in ipſa narratione ſit adhibenda, eo modo, vt ſuauitas cum grauitate et pondere ſermonis coniungatur et quæ non neceſſaria; aut difficiliora ſint, remoueantur. In ſecundo capite prioris partis agitur de *præcipiendo et cohortando*. Monet AVGVSTINVS, inſtitutæ narrationi addendam eſſe cohortationem, vt catechumenus aduerſus ſcandala, ſiue ſint externa; ſiue interna, præmuniatur, qua in re argumenta præcipue capienda ſint a veritate de reſurrectione mortuorum, de iudicio extremo deque vita et morte æterna. Inter alia recte quoque obſeruat, catechetam reſpicere debere ad diuerſitatem catechumenorum, quoniam cum in narratione; tum in cohortatione aliter cum doctis; aliter cum illis, qui litterarum ſint expertes, agere deceat. Tertium denique caput exponit de *hilaritate comparanda*, non catechumeni; ſed catechetæ. Namque quum facile tædium illius, qui rudiores docere debet, animum occupare poſſit, de quo etiam Deogratias fuerat conqueſtus, nec hoc momentum intactum relinquere voluit AVGVSTINVS. Hinc non ſolum cauſſas eiusmodi tædii enarrat; ſed etiam remedia, per quæ id ex animo ſit eiiciendum, commendat. Poſterior libri huius pars continet duos ſermones, alterum longiorem; alterum vero breuiſſimum, eum in finem compoſitos, vt exemplum præbeant, quomodo ſit erudiendus, qui ad chriſtianorum ſacra accedere velit. Ex qua libri huius ſumma, iam

iam a nobis exhibita, haud difficulter eſt intelligendum, illum eſſe egregium antiquioris catecheſeos monimentum. Edidit IO. BENEDICTVS CARPZOVIVS *diſputationem ad librum Auguſtini de catechizandis rudibus.* * Adiungunt nonnulli eiusdem AVGVSTINI librum de *fide ac ſymbolo,* quem iam antea recenſui atque in ſcriptis ſymbolicis numeraui, non vitioſe, vt mihi quidem videtur, quoniam is expoſitionem ſymboli apoſtolic complectitur. Expoſitionis huius quum iterum mentionem facio, nunc addo, quod antea omiſſum fuerat, AVGVSTINVM illam in ſynodo Hipponenſi anno CCCXCIII. tradidiſſe ac deinde ſub inſcriptione de *fide et ſymbolo* edidiſſe. Ipſe hoc ita narrat: *per idem tempus coram epiſopis hoc mihi iubentibus, qui plenarium totius Africæ concilium Hipponeregio habebant, de fide et ſymbolo presbyter diſputaui. Quam diſputationem nonnullis eorum, qui nos familiarius diligebant, ſtudioſiſſime inſtantibus, in librum contuli, in quo de rebus ipſis ita diſſeritur, vt tamen non fiat verborum illa contextio, quæ tenenda memoriter competentibus traditur.* ** Auguſtino adiungunt nonnulli, tamquam ſcriptorem catecheticum, AMBROSIVM ob librum de *myſteriis*, ſub nomine eius editum; quem autem ingenii monimentum eſſe adulterinum, ſatis conſtat. Nec ad locum hunc pertinent: THEOPHILI *Antiocheni* libri *ad Autolycum:* CLEMENTIS *Alexandrini* libri ὑποτυπώσεων, ORIGENIS libri de *principiis:* LACTANTII libri *inſtitutionum diuinarum*, quemadmodum fuerunt, qui hoc ſibi perſuaderent ac iam memoratos libros vna cum quibusdam aliis ſcriptis catecheticis adnumerarent. Quamuis enim illi fidem præ ſe ferant ac germana ſint ingenii monimenta; minus tamen exhibent compendia doctrinæ chriſtianæ, quod ſupra probaui: minus complectuntur inſtitutiones catecheticas.

---

* eſt in eiusdem *diſputationibus theologic.* p. 857.

** *libr.* I. *retractat. cap.* 17.

CAPVT

CAPVT XIII.

DE PATRVM ECCLESIAE ERVDITIONE SACRA, SPECIATIM THEOLOGIA MORALI.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

De patrum eccleſiæ doctrina morali generatim §. I.

Speciatim de iis, qui doctrinam moralem explanarunt partim oblata occaſione §. II.

Partim ex inſtituto, ea diſcrepantia, vt alia eorum ſcripta maxime pertineant ad ethicam chriſtianam §. III. IV. V.

Alia ad iurisprudentiam diuinam §. VI.

Quædam etiam ſcriptis myſticis adnumerentur § VII.

Vltimo loco quæritur: quali in pretio patrum theologia moralis habenda ſit §. VIII. IX.

Hacque occaſione patrum errores morales recenſentur §. X.

Controuerſiaque de patrum doctrina morali enarratur §. XI.

Quum patres eccleſiæ curas ſuas ac cogitationes ad id conferrent, vt ſalutem ciuitatis chriſtianæ conſeruarent pariter atque augerent; non ſolum interpretati ſunt dogmata fidei quæque ad ſalutarem cognitionem pertinent; ſed præcepta quoque vitæ ſanctioris tradiderunt ac commendarunt. Vtrique igitur theologiæ, cum dogmaticæ; tum morali, operam dederunt ac monimenta etiam vtriusque doctrinæ ſcripta reliquerunt.

§. II.

Methodus, qua patres in expoſitione rerum moralium vtuntur, varia eſt. Alii ea, quæ ad mores hominum ſpectant, oblata occaſione: alii ſingulari ſtudio atque ex inſtituto pertractant. Qui prioris generis ſunt, eorum itidem diſcrepantia eſt ſique ad modum, quo moralia argumenta explanarunt, reſpiciamus, commentationes iſtorum in quatuor claſſes diuidi poſſunt.

Ad

Ad *primam* claſſem referri poſſunt commentationes eorum *homileticæ*, ita conſcriptæ ac recitatæ, vt vel ipſa earum argumenta ſint moralia ac nunc de virtutibus; nunc de vitiis; nuncde officiis ex ethica ac iurisprudentia christiana exponatur. Exempla nobis præbent: ORIGENES, EPHRAEMVS *Syrus*, BASILIVS *magnus*, GREGORIVS *Nyſſenus*, GREGORIVS *Nazianzenus*, MACARIVS, CHRYSOSTOMVS, CYRILLVS *Alexandrinus*, BASILIVS *Seleucienſis* atque alii, quibus ex latinis addi poſſunt: AVGVSTINVS, MAXIMVS, PETRVS *Chryſologus*, LEO *magnus*. De reliquis taceo. Ad claſſem *ſecundam* referendas eſſe exiſtimo commentationes *exegeticas*; ſiue iſtæ ad integrum librum; ſiue ad ſingularia effata codicis ſacri ſpectent, ita inſtitutæ, vt interpretes non ſolum ipſa dicta diuina explanauerint; ſed ſimul quoque monſtrauerint, quomodo illa ad ſanctioris vitæ ſtudia ſint adhibenda. Accedit claſſis *tertia* hæcque complectitur commentationes *dogmaticas*, quarum ea eſt ratio, vt præter dogmatis expoſitionem digreſſiones morales exhibeant, ac denique claſſis quoque *quarta*, commentationum quippe *hiſtoricarum*, quibus exempla ſanctorum ad imitandum ante oculos poſita ſunt. Methodus hæc paradigmatica, moralia tradendi, ab iis adhibita eſt, qui vitas resque virorum, laude virtutum ac meritorum de ciuitate chriſtiana atque aliorum piorum ac ſanctorum hominum litteris mandarunt ac monimenta hæc ingenii poſteris tradiderunt, vt haberent illi exempla, quæ ſequerentur. Sunt in illorum numero, qui res primorum chriſtianorum: inſignes eorum virtutes: eximia ſanctimoniæ documenta enarrarunt: qui ſpeciatim defenſiones horum chriſti ſectatorum ſcripſerunt hacque occaſione ex laudabili eorum viuendi ratione probarunt, iſtos eſſe innocentes ac omnium vitiorum criminumque, quorum malitioſe adcuſentur, plane expertes eſſe: qui acta martyrum collegerunt ac curarunt, vt illa ab interitu vindicari poſſent ac diligenter legerentur publice ac priuatim; qui præterea ſingulari ſtudio conſcriptas vitas celebrium patrum eccleſiæ ac ſanctorum ediderunt atque in orationibus ſacris memoriam illorum poſteris commendarunt. Qui huiusmodi ſcriptores morales exſtiterint: quæ reliquerint monimenta, ſupra memoraui.

§. III.

Quemadmodum nonnulli inter patres ecclesiæ ea, quæ ad vitam ſanctiorem pertinent, oblata occaſione tradiderunt; ita alii fuerunt, qui ex inſtituto ſingularia capita doctrinæ moralis explanarent. Quæ ab iis, huc ſpectantia, ſcripta accepimus, ea vbi inter ſe conferantur, facile videbimus, illorum eſſe diuerſitatem. Sunt in illis, quæ maxime de rebus ethicæ chriſtianæ exponunt: ſunt quoque in eorum numero, quæ ſi quis ad iurisprudentiam diuinam referre velit, non plane ille reprehendendus eſt.

§. IV.

Differunt præterea horum patrum ſcripta moralia in dicendi ratione; ſiue qui adhibitus eſt, in ſtilo. Qui tribus primis ſeculis floruerunt, illi ſectati ſunt ſtilum ſimplicem, humilem planumque; attamen cum vi, animos ad preces ac ſanctas adfectiones commouendi, coniunctum. Alieni erant ab eloquentia turgida, quam poſtea nonnulli, præſertim ſeculo quarto, ſectati ſunt.

Nullus quoque inter hos patres exſtitit, qui compendium ac ſyſtema theologiæ moralis conſcriberet: qui adcuratiorem ac naturalem ordinem: firmiorem probandi confirmandique rationem ſequeretur.

§. V.

Generatim hæc poſtquam a me dicta ſunt, venio ſpeciatim ad ipſa patrum ſcripta moralia, eo animo, vt illa diſtincte recenſeam; in qua tamen commemoratione ea omitto, quibus auctores oblata tantum occaſione de moribus hominum diſſeruerunt ac ſtudia ſanctimoniæ commendarunt, quum iam antea de illis expoſui. Eos potius primum enumerabo, qui ſeculo ſecundo ac tertio floruerunt ac monimenta moralia, ex inſtituto compoſita, ad nos transmiſerunt.

Inter illos, qui ſine antea capto conſilio de rebus moralibus diſſeruerunt ac cum argumentis principalibus, in quibus

quibus enarrandis verſati ſunt, diſſertationes iſtas coniunxerunt, principatum tenent patres apoſtolici, CLEMENS *romanus*, IGNATIVS, POLYCARPVS, quorum monimenta, quæ germana et ad nos delata ſunt, magnum momentum habent ad ſanctimoniæ exercitationem hancque ob rem maxime digna lectione. Coniungunt patres illi vbique agenda cum credendis, ac monſtrant ſingulare ſtudium, homines ad ſalutarem viuamque fidei cognitionem adducendi. Scribendi genus, quo vtuntur, luculenter oſtendit, animos eorum plenos fuiſſe gratiæ diuinæ, ac vim prodit ad aliorum mentes ſalutariter commouendi, ſi quidem ſcripta eorum rite legantur.

Merito addenda eſſet BARNABAE *epiſtola*, vt doctrinæ moralis monimentum; de auctore autem eius quum diſputatur, dimitto illam, vna cum *canonibus apoſtolorum* ac *conſtitutionibus apoſtolicis*, quæ CLEMENTI *romano* tribuuntur. Quamuis enim in illis multa ſint, quæ ad diſciplinam veteris eccleſiæ ſpectant, atque ad argumenta moralia quodammodo referri poſſint; res tamen ſatis explorata eſt, ſcripta hæc eſſe adulterina.

Maiori iure ad locum hunc pertinent monimenta, quorum commemorationem nunc faciam. Sunt in illis:

IVSTINI *martyris* duæ *epiſtolæ:* altera *ad Diognetum:* altera *ad Zenam et Serenum* ſcripta. Illa exarata eſt *ad Diognetum*, quem Iuſtinus κράτιστον vocat et religionis chriſtianæ pernoſcendæ cupidum fuiſſe teſtatur. Exponit de religione chriſtianorum atque oſtendit, quæ ſit differentia inter horum ac hominum ſuperſtitioſorum et iudæorum ſacra: quæ ſit veritas ac præſtantia religionis eorum, qui chriſti doctrinam ac diſciplinam ſequuntur. Nonnulli epiſtolam hanc Iuſtino abiudicant atque aliis perſuadere adnituntur, illam antiquioris eſſe auctoris; plerique autem repugnant atque animaduertunt, argumenta, quibus iſti vtantur, non magnum habere momentum; nec ad firmiorem probationem ſufficere. Quum epiſtola hæc varia complectitur de vita ac moribus chriſtianorum, cauſſa hæc eſt, cur illa in patrum ſcriptis moralibus numerari ſoleat. Maiori tamen iure locum hunc tuetur epiſtola altera, eaque *ad Zenam et Serenum* fratres, quippe quæ tota eſt mora-

lis, ſpeciatim ethica ac de virtutibus diſtincte exponit, ita vt alias præcipue Zenæ ac Sereno; alias autem generatim chriſtianæ profeſſionis hominibus commendet hosque inter alia hortetur, vt prauis cupiditatibus inuidiæ atque iræ reſiſtant. Tradit quoque ea, quæ ad diſcrimen naturæ et gratiæ ſpectant, tamquam ad rem principalem in theologia morali, adcurate interpretanda. Inter alia animaduertit, quando homo, qui a natura regatur, iracundiam excuſare velit, illum verbis his vti: *eiusmodi ſum naturæ et non poſſum non irasci;* addit autem IVSTINVS: *etiam ſi ſecundum naturam viuas, nondum tamen id credentis eſt*, * atque ita haud obſcure naturam a gratia diſtinguit. De ratione, qua doctrinam moralem Iuſtinus enarrauerit, GEBHARDVS THEODORVS MEIERVS ita iudicat: IVSTINVS *martyr paræneſes dogmatibus, et hæc illis admiſcet: in probandis dogmatibus dialecticum; vel oratorem agit, rarius analyticum. Aliquando enim philoſophatur. Scripturam ſacram et fontem doctrinæ de moribus agnoſcit, quamuis in interpretatione et accommodatione eiusdem infelicior nonnumquam videatur. Deinde non omnia morum vel dogmata; vel præcepta attigit, nec quæ attigit, in ordinem redegit. Denique dictione ad docendum aptiſſima vtitur.* ** In *apologiis* quum chriſtianos defendit atque ad probandam eorum innocentiam argumentum ſumit ex ſanctitate, quam illi ſectentur, atque ita illuſtria exempla ad imitationem nobis ante oculos ponit, nec ſine fructu ſanctioris vitæ *apologiæ* iſtæ leguntur, quod iam antea animaduerti ac de ſcriptoribus apologeticis vberius diſſerui. Ex memorata IVSTINI *epiſtola ad Zenam et Serenum* IACOBVS SCHALLERVS *ethicam chriſtianam* in ſingularem diſſertationem transtulit, Argentorati MDCLXVI. Legi et poteſt: IO. ANDREAE SCHMIDII diſſertatio de *Iuſtini theologia morali*, Helmſtadii MDCXCVIII.

CLEMENTIS *Alexandrini pædagogus*, tribus libris, ita ſcriptus, vt nonnulli ſibi perſuadeant, exhiberi iſto compendium doctrinæ moralis; quod autem, ſi adcurate lo-

qui

* *oper.* p. 504.

** *introduct. ad theolog. moral. ſtudium cap.* IX. §. 5.

qui velimus, ibi non eſt. In *primo* libro de pædagogo, qui ſit filius dei, eiusque officio: de diſcipulis; ſiue chriſtianis, qui ab eo erudiendi ſunt, deque aliis rebus diſſerit: *ſecundo* hortatur chriſtianos ad temperantiam in cibo, potu, ſuppellectili vaſorum, conuiuiis, riſu: ad abſtinentiam ab omni turpi ſermone: ab vnguentis et coronis: a ſtratorum magnificentia nimioque ſomno: a calceis auro intertextis: ab ornamento gemmarum; *tertio* autem exponit de cultu corporis, balneis, diuitiis atque aliis, quæ eiusdem generis ſunt. Cur Clemens librum hunc *pædagogum* inſcripſerit, indicat ille initio libri primi, ab iis, qui priſtinis erroribus reiectis, *protreptico;* ſiue exhortatorio libro, antea ſcripto, ſi ſatis inſtructi doctrinam chriſtianæ religionis cognouiſſent, nunc *pædagogum* legendum eſſe, vt ex eo videant, quomodo prioris vitæ peccata ac vitia ſint emendanda; ſanctior autem viuendi ratio amplectenda. Per *pædagogum* intelligit chriſtum, qui ſit filius dei, in quem nullum cadat peccatum: nos ne peccemus, pædagogo nos inſtituat, vt homo: qui homines, vt creaturas ſuas amet. Exſtant quoque libri *ſtromatum*, quorum et commemoratio fieri poteſt, quoniam in illis quoque de rebus moralibus exponitur multaque præcepta de moribus ac vita recte inſtituenda habentur, ſpeciatim de libris edendis, de ſpe ac caritate, de matrimonio, de continentia, martyrio, amore erga inimicos atque aliis generis huius argumentis. Nec eiusdem libellus: *quis diues ſalutem conſequi poſſit?* plane omittendus eſt, quum ille ita ſcriptus eſt, vt facile materiam piarum meditationum præbeat: vt pios mentis motus excitare poſſit, vbi is cum debita attentione legatur. Doctrinam moralem, quam in libris ſuis ſcriptam nobis reliquit, non plane expertem eſſe næuorum, ſatis eſt monſtratum, poſtea a nobis quoque enarrandum. Communem cum reliquis eccleſiæ patribus docendi methodum ſequutus eſt, de iuſto atque adcuratiori ordine: de compendio: de ſyſtemate ſcribendo negligens. Antea adductus GEBHARDVS THEODOR. MEIERVS* hanc tulit ſententiam: *recte Clemens morum doctrinam ex*

* *introduction. in vniuerſ. theol. moral. ſtudium cap.* x. §. 14.

ſcriptura ſancta deriuandam ducit, vti vel ex primo pædagogi libro conſtat, ſed in interpretatione nimium ἀλληγορίζει, et dicta ſcripturarum placitis eorum, qui foris ſunt, ſæpius accommodat. Sunt hi audiendi, verum vt ranæ, non vt philomelæ. Demonſtrat ſubinde, ita tamen, vt argumentum, ſub inuolucris obſcurorum verborum latitans, primo intuitu non euiuis pateat. Hoc namque egit, vt ſi qui ſcripta ſua legant, ſint laborioſi et acres ad inueniendum, quemadmodum in fine ſeptimi ſtromatum libri loquitur. Multa, non omnia, chriſtianorum officia, absque tamen ordine, quem in ſtromatum libris ſtudioſe neglexit, ſtrenue, qui eſt ipſius zelus, vrget, ita vt nonnumquam rigidior videatur. Caue autem, facias cum auctore in omnibus, non ſemel enim grauiter lapſus eſt. Scilicet lapſis ſecundam tantum concedit pœnitentiam: ſecundas nuptias damnat, et fornicationem dicit eſſe, ab vno matrimonio ad plura prolabi: merita operum aſſerit: perfectum chriſtianum non debere iurare; nec poſſe iudicio contendere cum aliis coram vel gentilibus; vel fidelibus, exiſtimat.

TERTVLLIANI ſcripta, quorum duo genera ſunt. Alia compoſuit, antequam ſe ad Montaniſtas adiungeret; ſiue ante lapſum. In his ſunt, quæ ad locum hunc referri poſſunt, quum argumenta moralia complectuntur, libri nimirum de *pœnitentia*, cuius auctorem eſſe Tertullianum, negat quidem Erasmus; merito autem repugnant illi plerique doctiſſimi viri ac grauiora ſententiæ contrariæ argumenta adferunt. Poſtquam de natura ac neceſſitate pœnitentiæ diſſeruit, de peccatis verba facit eaque in ſpiritualia ac corporalia diuidit; ſiue vti alias adpellantur, interna atque externa, monetque, vtraque ita comparata eſſe, vt illa pœnitentiam requirant. Addit, inprimis catechumenis pœnitentiam commendandam eſſe, quia in illis ſemper prioris vitæ deſiderium ſit; poſt primam pœnitentiam fieri poſſe ſecundam, hancque agendam eſſe per actum quemdam, per exomologeſin eiusque diſciplinam, qua pœnitentes ſe proſternant: habitu ac victu ſingulari vtantur: ſacco ac cineri incubent: corpus ſordibus obſcurent: animum mœroribus deiiciant: dies noctesque ad deum preces faciant: lacrimas profundant, ingemiſcant, ieiunia inſtituant: alias pœnitentiæ huius exercitationes faciant. Quem iam re-

censui, liber de *pœnitentia*, scriptus esse dicitur a Tertulliano, adhuc iuuene et in flore ætatis ac conuersionis posito, quæ et caussa sit, cur præferat zelum, feruorem, stilum elegantiorem. In eodem numero est liber eius de *oratione*, quem integrum cum suis ac *Guil. Pancirolli* notis edidit *Ludouicus Antonius Muratorius*. Continetur illo interpretatio orationis dominicæ. Præfatus est auctor nonnulla de præstantia atque auctoritate orationis huius, quum illa sit precationis formula, ab ipso christo præscripta. Alia Tertulliani monimenta, post illius lapsum composita, sunt inque his, præter alia, locum habent: libri de *pudicitia*, de *fuga in persequutione*, de *ieiunio*, de *monogamia*, de *spectaculis*, de *idolotria*, de *cultu feminarum*, de *virginibus velandis* atque alii. In illis ea quoque habentur, quæ ad mores hominum spectant ac fructus omnino adferunt, si recte legantur; non desunt tamen, quæ et merito reprehenduntur. Quum enim in societate Montanistarum esset, iusto atque æquo seuiorem iudicem morum interdum se præbuit. Actiones improbauit, tamquam prauas; quæ tamen, in se spectatæ, non malæ sunt, sique et fiant, saltem excusari possunt. Quemadmodum nonnumquam de rebus ipsis deque morali actionum ratione minus adcurate iudicauit; ita quoque ad probandum interdum argumenta adhibita, quæ nullum pondus habent: immo inepta sunt.

GREGORII *thaumaturgi epistola canonica de iis, qui barbarorum incursu lapsi essent*, quam nonnulli patrum scriptis moralibus adnumerant; minus autem adcurate. Agit enim de pœnitentia ac disciplina ecclesiastica atque ita argumentum pertractat, quod non tam theologiæ moralis; quam iuris ecclesiastici est.

CYPRIANI scripta varia, quæ loco hoc iure commemorari possunt. Sunt ista I) liber de *habitu virginum*, quo Cyprianus virgines hortatur, vt ab omni luxu: a vano habitu ac vestium ornatu abstineant: vt virginitatem diligenter custodiant atque ab ea multa bona, tamquam præmia exspectent: vt castitatem pudicitiamque omni studio sectentur. II) liber de *oratione dominica*, vbi Cyprianus primum orationem hanc commendat ac postea ostendit, qua mente: qua ratione ad deum sit orandum:

orationem ipsám interpretatur atque exponit de necessitate precationis: de mente, qua ratione composita illa esse debeat inter orandum: de tempore, quando a nobis sit orandum: III) liber; siue sermo de *mortalitate*, quo quæstionem explicat atque illustrat: num homines christianos deceat, tempore pestilentiæ mortem pertimescere suosque iam exstinctos defiere? IV) de *eleemosyna*, vbi Cyprianus christianos hortatur ad misericordiam, vt illam erga pauperes ac calamitate adflictos exerceant: V) liber de *bono patientiæ*, quo monstrat, sapientem illum esse ac bene sibi consulere, qui in miseriis patientem se præbeat: VI) sermo de *zelo et liuore*, quo multa argumenta enarrantur, ob quæ ab inuidia abhorrere debeamus: VII) addunt nonnulli libellum de *pudicitia;* eum autem esse Cypriani, disputatur. In *epistolis* eius nonnullæ itidem argumenti moralis sunt ac præcepta de moribus bene formandis exhibent.

§. VI.

Qui quarto ac sequentibus seculis floruerunt, ordinis sacri patres moralia pertractarunt, non solum data occasione ac veluti in transitu; sed etiam singulari opera atque ex instituto, inprimis quum pelagiana certamina efficerent, vt argumenta quædam theologiæ moralis a doctoribus his diligentius enarrarentur. In his tamen fuerunt, qui tenue dicendi genus atque apostolicum proponendi modum negligerent ac turgidæ operam darent eloquentiæ; nec debitæ adcurationis, siue quid explicandum; siue probandum fuerit, studiosi essent. Ad ætatem hanc sequentia cum græcorum; tum latinorum patrum monimenta pertinent:

BASILII *magni* scripta, quorum magna pars *homiliis* absoluitur ac quamuis multis argumenta moralia enarrentur, de *ieiunio*, de *gratiarum actione*, de *ira*, de *inuidia*, de *abdicatione rerum*, in *ebrietatem et luxum*, de *humilitate* atque aliæ; a singulari tamen illarum commemoratione abstineo, quum istæ oblata tantum occasione compositæ sunt. Præcipue referenda huc sunt *ethica;* siue *moralia*, regulis tradita, quibus veluti summa doctrinæ christianæ de

de moribus continetur ac ſingula effata ſcripturæ ſacræ teſtimoniis comprobantur. Nec omitti debent eiusdem *aſcctica; ſiue de inſtitutionibus monachorum ſermones duo;* item: *regulæ fuſius diſputatæ* ac *regulæ compendioſe expoſitæ;* præter hæc autem, conciones morales XXIV. ex libris BASILII a SIMEONE *magiſtro* excerptæ, adiungendæ ſunt. Omnia hæc ingenii monimenta, quæ a BASILIO accepimus, multa recte, perſpicue ac præclare dicta nobis exhibent; quia autem ille vitæ, monachorum propriæ, nimium pretium ſtatuebat, in id adductus eſt, vt doctrinam moralem ad hoc viuendi genus adcommodaret ac monſtraret, ſe vitiis næuisque haud carere.

GREGORII *Nyſſeni*, monimenta moralia, quorum multa ſuperſunt. In eorum numero ſunt: liber de *vita Moſis*, quam myſtice enarrat, vt habeat occaſionem, perfectæ vitæ exemplum chriſtianis præſcribendi: liber de *virginitate*, quam vehementer commendat ac quæ cum illa coniuncta ſint, commoda longe recenſet: liber de *perfectione et qualem oporteat eſſe chriſtianum*, ad Olympium monachum: *epiſtola de iis, qui adeunt Hieroſolyma*, quæ et ſeparatim cum latina interpretatione notisque *Petri Molinæi* prodiit, a me iam adducta, quoniam etiam in ſcriptis moralibus numerari poteſt, quum deteſtandæ ſuperſtitioni peregrinationum religioſarum oppoſita eſt. Quodſi Gregorii huius ſermones morales: in *orationem dominicam:* in *octo beatitudines:* de *pauperibus, caritate complectendis: contra fœneratores:* de *fugienda fornicatione* atque alios adiungere velimus, facile videbimus, Gregorium hunc doctrinam moralem multum illuſtraſſe ac diligenter curaſſe, vt homines vitæ ſanctiori ſtudeant. Id reprehenditur recte, illum allegoricam ſcripturæ ſacræ interpretationem nimio ſtudio ſectatum eſſe:

EPHRAEMI *Syri* ſctipta, quæ pleraque complectuntur argumenta, ad vitam chriſtianorum ſanctiorem ſpectantia, de *ſacerdotio*, de *caritate*, de *amore pauperum*, de *virtutibus et vitiis*, de *timore dei*, de *longanimitate*, de *patientia, impatientia, lenitate, iracundia, obedientia, inobedientia*, de *recta viuendi ratione*, de *vita ſpirituali*, de *morbo linguæ* ac plures aliæ generis huius commentationes, quibus ſi eiusdem ſermones; ſiue homilias atque ab aliis memoratos

commentarios in scripturæ sacræ libros addamus, facile patet, non exiguum esse numerum scriptorum, quibus Ephræmus memoriam suam posteris commendauit. Ad sanctimoniæ studia excitanda atque augenda non solum præclara præcepta scripsit; sed illustre quoque exemplum ad imitationem reliquit. Vtitur stilo, qui simplex est ac simul grauis: qui cum facile intelligitur; tum ad animos commouendos valet. Bene de scriptis his GVIL. CAVEVS hæc pronuntiat monetque: *leues plane sunt et futiles vt plurimum exceptiunculæ, quæ scriptis eius intentari solent. Si quæ occurrant, quæ sancto patri minus digna; aut quæ aliis locis non bene conuenire videntur; nostræ potius syriace loquendi modorum inscitiæ; vel versionibus ex versione male factis, quam Ephræmi inelegantiæ et inscitiæ imputari possent; quin si reuera errores essent, summo hominis zelo, simplicitati ac pietati condonari debeant.*

MACARII, senioris Aegyptii, scripta, quæ omnia ad doctrinam moralem spectant. Præter *homilias*, reliquit *opuscula*, eaque de *custodia cordis*, de *perfectione spiritus*, de *oratione*, de *potentia* et *discretione mentis*, de *caritate*, de *libertate mentis*. Ex iis luculenter patet, istum non solum ipsum vitæ sanctiori, summæ temperantiæ, patientiæ, precationi atque aliis virtutibus singularem operam dedisse, sed etiam studia illarum aliis diligenter commendasse. Quum ita Macarius hic gratia diuina atque experientia instructus esset, adhibuit quoque scribendi genus, quod magnam vim habet, mentem humanam commouendi atque ad id, quod pium sanctumque est, incitandi. Recte de eo IO. GEORG. PRITIVS dicit: * *constare autem vel ex prima operum eius inspectione poterit omnibus, virum fuisse Macarium vt sanctitatis studiosissimum; ita in rebus diuinis et spiritualibus, si vllum alium, longe experientissimum, et admirandis diuinæ gratiæ dotibus cumulate exornatum: quales qui sunt, illi vero maxime omnium existant idonei, qui, qua luce diuina collustrantur, alios perfundant.*

IO. CHRYSOSTOMI scripta, quibus permulta sanctioris vitæ argumenta enarrauit. Sunt illa diuersi generis ex-

stant-

* *præfatione ad Macarii opera* §. XV.

ſtantque eius *ſermones*, *epiſtolæ* atque *opuſcula*, quibus omnibus doctrinam moralem illuſtrauit, vel oblata occaſione; vel ſingulari ſtudio. Inter ſcripta ex inſtituto compoſita atque ad vitam hominum ſpectantia, locum habent: libri de *compunctione cordis ad Demetrium*; et *ad Stelechium* de eodem argumento, conſcripti a Chryſoſtomo, adhuc lectore, ſaltem diacono: *quod regulares feminæ viris cohabitare non debeant: in eos, qui ſorores adoptiuas habent:* opus de *virginitate:* libri *aduerſus vitæ monaſticæ vituperatores:* libri duo *ad viduam iuniorem:* liber, paullo ante obitum ſcriptus, *quod nemo læditur, niſi a ſe ipſo.* De vita, pie recteque inſtituenda, Chryſoſtomus, non ſolum præclare expoſuit omnique ſtudio alios ad ſanctimoniæ exercitationem hortatus eſt; ſed etiam quæ dedit, præcepta præclaro exemplo confirmauit, quum conſtat, eum vitæ ſanctiori multam operam dediſſe. Sunt tamen, quæ in eo merito reprehenduntur. Primum enim viuendi rationem, quæ monachorum propria eſt, magni æſtimabat atque in eximio honore habebat. Deinde quum eloquentiæ, qua valebat, non iuſtum ac ſapientem modum teneret, planum ac ſimplex dicendi genus, quod doctrina moralis requirit, neglexit. De Chryſoſtomo quum IO. FRANCISCVS BVDDEVS diſſerit, bene animaduertit hoc dicitque: *in ſcriptis eius multa recte et præclare dicta, nemo temere diffitebitur; ſemper tamen meminiſſe oportet, eum oratorem eſſe, adeoque nec in verbis; nec ſententiis, vbique exactum. Namque ad demulcendas aures, ad concitandos in adfectum animos, magis; quam ad conuincendum intellectum, quam ad veritatem; aut ἀκριβῶς proponendam; aut rite demonſtrandam, iſtorum hominum ſermo comparatus eſſe ſolet.* *

AMBROSII libri, in quibus multa, ad doctrinam moralem ſpectantia, habentur. In illis eſt libellus de *dignitate humanæ conditionis*, quo egregium argumentum enarratur atque oſtenditur, hominis naturam dei ſummam ſapientiam, potentiam ac bonitatem præ ſe ferre: animale, quod ratione careat, longe antecedere, ſique præſtantiæ huius diligens ac recta fiat meditatio, animos noſtros commouere

* *iſagog. ad theologiam vniuerſam libr.* II. *cap.* 4. §. 5. p. 633.

mouere illam posse ad colendum deum aliaque peragenda, quæ in lege diuina sunt præscripta. Exstat eiusdem opusculum de *bono mortis*, in illorum gratiam conscriptum, qui cupiunt, vt per beatam mortem a molestiis miseriisque liberentur, ac præter hoc alia scripta, quæ huc referri possunt. Peruenerunt ad nos libri de *Caino et Abele*, de *Noacho et arca*, de *Abrahamo*, de *Isaaco et anima*, de *Iacobo et vita beata*, de *Iosepho*, de *Dauide*, de *Elia et ieiunio*, de *Nabutha iezrælita*, de *Tobia; siue aduersus fœneratores.* Quum Ambrosius in libris his historiam sacram de patriarchis atque aliis sanctis hominibus recenset atque illustrat, occasionem sumit, exempla virtutum ac vitiorum exhibendi ac methodo, doctrinam moralem tradendi, paradigmatica vtitur. Nec prætermittendi sunt libri eius tres de *officiis*, quibus auctor præcipue quidem ecclesiæ ministros instruit atque ostendit, quomodo illi munus suum recte riteque administrare debeant; quum autem plura officia ministris ecclesiæ cum omnibus christianis sint communia, ea quoque edisserit, ex quibus christi sectatores, cuiuscumque ordinis ac status, vtilitatem capere possunt. Rectius tamen opus hoc locum suum tuetur inter scripta iurisprudentiæ diuinæ, quæ singularem eamque secundam partem theologiæ moralis constituit. Dignus est Ambrosius laude, qua GEBHARDVS THEODORVS MEIERVS * eum ita ornat: *imitandus est Ambrosius in dictione, in sententiis, in interpretandis scripturis, in ratione excerpendi et compilandi scrinia aliorum doctorum, in modo tractandi τὰ ἠθικὰ, et denique in omni sua vita. Theologi moralis, præsertim vbi paræneticum agit, dictio sit modesta, pie iucunda et ciuilis necesse est, vt alibi declaratum. Iam vero dictoni Ambrosianæ adest modestia quædam ac pia iucunditas, grataque ciuilitas, vt vel hoc nomine merito Ambrosius audiat. Deinde, nil æque animis nostris hæret, ac sententiæ argute dictæ; quarum propterea insignis est vsus in vita et moribus hominum formandis ac regendis. Illarum summus artifex vel vulgo perhibetur Seneca, cui tamen hac in re præferendus noster Ambrosius, quod mollior ac sedatior incedat. Sententias loquitur*

melle

* *introduct. in vniuers. theol. moral. studium. cap.* XI. §. 18.

melle ac papauere sparsas, melleas perpetua semper dignissimas vita.

HIERONYMI *epistolæ* aliæque commentationes: de *vita clericorum ad Nepotianum: institutio monachi ad Rusticum:* de *monogamia:* de *custodia virginitatis ad Demetriadem:* de *seruanda viduitate ad Saluinam;* item: *exhortatio de laude vitæ solitariæ ad Heliodorum: inuitatio ad secessum bethlehemiticum ad Marcellum*, atque alia generis huius scripta; quæ tamen parum iuuant studia veræ theologiæ moralis. Solitariam enim vitam Hieronymus nimis commendat atque in matrimonium iniquum se præbet. Quum ipse feruido ac concitato ingenio animoque esset, omnis fere moderationis oblitus est, adfectuique sæpe ita indulsit, vt neque rectæ rationis; neque scripturæ sacræ normam earumque effata sequeretur. Quæ IO. DALLAEVS de eo ac quibusdam aliis patribus pronuntiat, ea non penitus improbanda sunt, quando iste scribit: *hic mos apud patres frequens est, maxime apud Tertullianum, Ambrosium et Hieronymum, qui quum ingenio sint feruido ac concitato, quam in partem propendent, eo tanto impetu feruntur, vt quos quidem laudant, eos inter angelos; quos vero vituperant, inter diabolos collocare videantur. Ita, quæ credenda putant, non aliter commendant, quam si totidem essent christianismi fundamenta, quæ reiiciunt ac refutant, non aliter explodunt, quam si merum atheismum spirarent.* * Paucis: Hieronymus de doctrina morali neque præceptis; neque exemplo bene meritus est.

AVGVSTINI scripta, qui in doctrina morali explananda ac moribus hominum recte formandis laudabilem operam posuit, non solum oblata occasione, in homiliis ac scripturæ sacræ interpretationibus; sed etiam in libris ac commentationibus, singulari studio conscriptis. Spectat huc: *enchiridion ad Laurentium de fide, spe et caritate*, vbi non solum dogmata fidei traduntur; sed ea etiam, quæ ad vitam pertinent. Exstant quoque eiusdem libri de *fide et operibus:* de *agone christiano*, quo hortatur ad pugnam contra diabolum ac prauas cupiditates: ad corpus serui-tuti

* de *vsu patrum libr.* 1. *cap.* 8. p. 177.

tuti subiiciendum: ad christum fide amplectendum vultque simul, vt hæreses deuitentur. Scripsit præterea Augustinus de *continentia:* de *opere monachorum,* quo libro caussam agit eorum monachorum, qui manibus suis ac propriis alimentis se sustentebant contra illos, qui aliorum tantum liberalitate alebantur hosque ignauiæ atque arrogantiæ insimulat. In fine crinitos monachos reprehendit ac petit, ne contra præceptum apostolicum in coma nutrienda pergant. Generis huius alia monimenta adiungi debent: liber de *patientia:* alius de *vtilitate ieiunii:* libri duo de *moribus ecclesiæ catholicæ et manichæorum,* quorum prior velut compendium doctrinæ moralis complectitur ac fundamenti loco ponitur, solum deum esse animæ nostræ summum bonum hocque nomine supra omnia amandum idque oraculis veteris ac noui testamenti comprobatur. Quibus expositis, ostendit Augustinus, virtutes omnes nihil aliud esse, quam diuersos amoris diuini modos: temperantiam nimirum esse amorem, quo quis se deo purum et incorruptum seruet: fortitudinem, amorem, quo quis omnia libenter pro gloria dei patiatur, id quod etiam de aliis virtutibus dicendum. Ad regulam hanc christianorum mores diiudicat ac libro secundo monstrat, ab ea mores Manichæorum longe discedere. Nec prætermittendi sunt libri duo *soliloquiorum,* eo consilio scripti, vt ex illis discamus, quomodo in cognitione dei ac virtute proficere queamus. Sunt alia doctoris huius monimenta moralia; quæ autem non tam ad ethicam; quam ad iurisprudentiam diuinam; siue ad eam theologiæ moralis partem pertinent, qua de legibus diuinis officiisque hominum exponitur, libri de *coniugiis adulterinis:* de *mendacio*: *contra mendacium*, de quibus atque aliorum patrum huiusmodi scriptis postea plura dicenda erunt. Argumenta moralia pertractandi, eam rationem Augustinus sequutus est, vt ab aliis patribus discrepet, qui præsertim ante eum in doctrina morum ingenia sua exercuerunt. Ab eloquentiæ nimio studio, a simplici planoque dicendi genere abstinuit, quumque inprimis scholæ inseruire: eruditionem vimque ingenii sui monstrare vellet, philosophos eorumque docendi methodum sectatus est: varios casus formauit: varias quæstiones subtiles

tiles excogitauit propofuitque ac reliquit exemplum, quod doctores fcholaftici, præfertim, vti adpellantur, *moraliftæ* ac *cafuiftæ*, imitarentur.

SALVIANI monimenta, omni laude ac lectione digna, quibus doctrinæ morali lucem adtulit. In illis funt libri VIII. de *prouidentia et gubernatione dei deque iufto ac præfente eius iudicio*, ad Salonium epifcopum, difcipulum olim eius. Quum deus eo tempore chriftianorum flagitiis irritatus, orbem romanum per Gothos et Vandalos, hærefi Arianæ addictos, adfligeret, multorum querelæ factæ funt contra deum, eum vel negligere res humanas; vel fi curaret illas, in hac tamen vita iudicium non exercere; aut fi quod exerceret; id tamen iniquum videri. Impiis his querelis, immo blasphemiis vt Saluianus fortiter refifteret, occafionem fumfit, adductos libros de prouidentia dei fcribendi ac monftrandi, per calamitates, quibus gentes adfligantur, deum iuftiffimum iudicium adhibere hocque rationibus, teftimoniis atque exemplis probandi. Omnia hæc Saluianus copiofe grauiterque exponit, eum in finem, vt flagitiofos atque impios homines ad pœnitentiam incitet ac commoueat. Reliquit etiam SALVIANVS libros quatuor *aduerfus auaritiam, præfertim clericorum et facerdotum*, fub ficto *Timothei* nomine editos. Digni illi itidem funt, qui legantur. Difputat contra auaritiam atque oftendit, illam vitium effe omnium vitiorum grauiffimum et maxime deteftabile ac quibus homines ifti fpeciem conciliare velint, ea omnia effe vana. Addi poffunt eiusdem *epiftolæ*, in quibus etiam continentur argumenta, ad vitam ac mores hominum fpectantia.

IO. CASSIANI libri duodecim de *inftitutis cœnobiorum*, in quorum octo pofterioribus de octo vitiis capitalibus differit: de *fpiritu* videlicet *gaftrimargiæ*; fiue infani ventris ftudii: de *fpiritu fornicationis*, *phylargyriæ*, *iræ*, *triftitiæ*, *acediæ*, *cenodoxiæ*, *fuperbiæ*, in quibus multa legenda funt non fine vtilitate; adcommodata autem eft Caffiani doctrina moralis præcipue ad monafticum vitæ genus.

LEONIS *magni* fcripta, inter quæ funt *fermones* atque *epiftolæ* quam plurimæ. In illis; fiue *fermonibus* Leo non raro morales res pertractat ac de virtutibus vitiisque differit

rit enarratque, quæ illarum commoda; horum autem incommoda ſint. Quum ita non ex inſtituto; ſed data tantum occaſione doctrinæ morali lucem adtulit, dimitto *ſermones* hos ac de *epiſtolis* memoro, in illis præcipue ea ſcripta eſſe, quæ ad diſciplinam eccleſiaſticam ritusque ac ceremonias pertinent. De omnibus tamen hoc minus dicendum eſt. In *epiſtola;* ſiue libello *ad Demetriadem virginem*, exponitur de *humilitate chriſtiana;* de auctore autem eius disputatur. Sunt, qui illam PROSPERO *Aquitanico* tribuunt. Repugnat PASCHASIVS QVESNELLVS, qui LEONIS *opera* edidit, ac ſingulari *diſſertatione* * probare adnititur, epiſtolam hanc omnino a Leone exaratam fuiſſe. Ita Leo hic non magnum locum inter patres, qui theologiæ morali illuſtrandæ operam dederunt, ſibi fecit.

GREGORII *magni* libri *moralium;* ſiue *expoſitio in Iobum*, quæ non interpretationem libri Iobi complectitur, vti inſcriptio eius indicare videtur; ſed promtuarium tantum rerum moralium. Operis huius auctoritas olim magna fuit eamque fabulis ac commentis maiorem reddere, nonnulli conati ſunt; minus autem viam ad veram pietatem oſtendit Gregorius et quum curas cogitationesque maxime ad ritus ac ceremonias ſeruandás ac multiplicandas contulit, dicendum omnino eſt, Gregorium hunc ſanctimoniæ ſtudiis magis nocuiſſe; quam profuiſſe. Idem pronuntiandum eſt de reliquis eius ſcriptis: de *libro paſtoralis curæ* ad Ioannem, Rauennæ epiſcopum: de *libris dialogorum, de vita et miraculis patrum italicorum et de æternitate animarum*, de quorum fide autem disputatur aliique maxime inter reformatos negant, Gregorium magnum horum *dialogorum* auctorem eſſe atque argumenta adferunt, quæ ſententiam eorum probabilem reddunt; alii autem iique pontificii libros monimentis Gregorii, vt germanos ingenii fetus, adnumerant. Exſtant etiam eiusdem libri *epiſtolarum*, in quibus itidem res morales habentur; multæ autem earum ſunt adulterinæ. In primis memorandus eſt liber de *conflictatione virtutum et vitiorum*, qui ab aliis Auguſtino: ab

* quæ eſt *quarta* inter reliquas *diſſertationes*, a QVESNELLO in *tomum* II. *Leonis* translatas, p. 221.

ab aliis Ambrofio adfcribitur; minus autem vere. Gregorium enim auctorem effe, ideo alii ftatuunt, quoniam libellus hic in libris *moralium fuper Iob* de verbo ad verbum contineatur. Omnia hæc fi expendamus, facile ex iis colligendum eft, Gregorii magni monimenta de doctrina morali non magni effe momenti. Eo tempore doctrina moralis iam multum corrumpi cœpit. Verum effe chriftianum, peruerfa erat perfuafio, qui talis videbatur; reipfa autem non erat: fpeciem tantum fanctioris vitæ præ fe ferebat ac fuperftitiofos ritus præceptaque humana adcurate fequebatur; vt autem pectora plena effent fidei atque amoris, id haud curabant:

ISIDORI *Pelufiotæ epiftolæ*, quarum quinque libri prodierunt cum notis. Inter varia argumenta, quæ ibi habentur, funt etiam moralia hæcque eft cauffa, cur, quando de patrum ecclefiæ theologia morali exponitur, illius etiam mentio fiat. Multa diuini humanique iuris capita explicat ac de iis præcipit, quæ ad vitam recte pieque inftituendam fpectant. Eam ob rem GEBHARDVS THEODORVS MEIERVS de Ifidoro hoc fcribit: *placuit ipfi epiftolari fcribendi genere fcripturam et alia occurrentia dubia explanare, quamuis nonnullæ epiftolæ orationi fimiliores videantur. Vti autem Chryfoftomi difcipulus; ita ipfius doctrinæ addictior fuit, vt non raro Chryfoftomum imitatum fuiffe, aliquando et exfcripfiffe deprehendatur. De rebus expetendis fugiendisque differuit erudite, et multa iuris cum diuini; tum humani capita luculentis epiftolis illuftrauit. Et vero quia τὰ πρακ]ὰ ipfius funt fæpe πολυτικώ]ερα, ideo et iuris romani interpretes fubinde ad epiftolas Ifidori prouocare folent. Nobis in theologia morali Ifidorus poft Chryfoftomum locum habebit.* *

ISIDORI *Hifpalenfis* varia monimenta, ob quæ ille ad locum hunc referri poteft. Sunt illa: libri tres *fententiarum*, magnam partem ex GREGORII *magni* libris *moralium* excerpti: libri duo *foliloquiorum:* libellus de *contemtu*

* *introduct. in vniuerf. theol. moral. ftudium cap.* XII. §. 20.

temtu mundi: oratio de *flendis ſemper peccatis ad correctionem vitæ.*

§. VI.

Inter patrum eccleſiæ ſcripta moralia ſunt nonnulla, quæ ad *iurisprudentiam diuinam* pertinent, ad diſciplinam illam, qua de legibus dei deque officiis hominum exponitur, ita conſcripta, vt in aliis maior; in aliis minor induſtria probata ſit ac commentationes nunc longiores; nunc breuiores exhibeantur.

Argumenta iurisprudentiæ a patribus eccleſiæ ſæpe explanata ſunt oblata occaſione, vel in homiliis ac ſermonibus; vel in interpretationibus ſcripturarum ſacrarum; vel alio tempore atque opportunitate; cuiusmodi tamen ſcripta omitto. Quum et fuerunt, qui ex inſtituto iurisprudentiæ diuinæ lucem adferrent, ad horum monimenta enarranda me conuerto. Sunt iſta:

TERTVLLIANI liber de *ſpectaculis*, quo contra illa diſputat atque oſtendit, chriſtianorum officium eſſe, vt a ludis his abhorreant; nec eorum ſint ſpectatores. Vt ſententiam ſuam probet, non ſolum ad ea reſpondet, quæ pro ſpectaculis adferuntur; ſed etiam recenſet varia argumenta, quæ illis repugnant. In illis ſumtum eſt quoddam a baptismo noſtro, quo nos renuntiauerimus diabolo et pompæ et angelis eius, per conſequentiam etiam ſpectaculis, quum illa ad pompam diaboli pertineant. Ita quoque alii veterum chriſtianorum doctores hac de re ſtatuunt, Theophilus Antiochenus, Cyprianus, Chryſoſtomus, Epiphanius atque alii; nec ab eo, quod verum eſt, diſcedunt. Diuerſa erant horum ſpectaculorum genera. Referri et huc poteſt TERTVLLIANI liber de *cultu feminarum.* Intelligit per *cultum* ornatum corporis eiusque partium, ac varias rationes enarrat, cur feminæ illum haud ſectari debeant, quia de carne gloriari, nemini liceat: quia id a feminis curandum ſit, vt ſolis maritis placeant: quia deo diſpliceant eumque reprehendant, quæ cutem medicamentis vngant, genas rubore maculent, oculos fuligine collinant: quia nomine chriſtiano indignum ſit, fictam faciem geſtare, quibus ſimplicitas

citas omnis ſit præſcripta: effigiem mentiri: adpetere, quod datum non ſit. Addit veluti nouum argumentum, ſuſpicionem impudicitiæ eſſe vitandam; nec ad pudicitiam chriſtianam ſufficere, vt illa in pectore, feminæ omnino ſit; ſed neceſſe quoque eſſe, vt iſta videatur caſta ac pudica:

CYPRIANI liber de *habitu virginum*, vbi virgines hortatur, vt ab inani cultu ac vanis ornamentis abſtineant: veram continentiæ ac pudicitiæ laudem ſibi concilient: omnia fugiant, quæ homines ad prauas cupiditates atque ad peccata incitare; deum autem ad iram ac pœnas infligendas commouere poſſint. Addit, ſectanda eſſe æterna ac diuina: imitandum chriſtum: virgines non gloriari debere de ſuis diuitiis iubetque, veſtium inſignia negligere: ceruſſam non adhibere ad nouum colorem corpori adferendum, quoniam, vbi hoc fiat, deus, qui corpus formauerit, reprehendatur: cum viris balnea non celebrare. Spectant huc alia quædam Cypriani ſcripta atque in his de *opere et eleemoſynis*, quo multas ac grauiores rationes recenſet, ob quas miſericordia ac liberalitas erga pauperes monſtranda ſit, item liber de *zelo et liuore*, contra inuidiam, quam deteſtabile eſſe vitium, luculenter monſtratur.

AVGVSTINI libri duo de *coniugiis adulterinis ad Pollentium*, quibus Paulli verba ſententiamque de coniugio, I *Corinth.* VII. illuſtrat diſputatque de diuortio ac de quæſtionibus, quæ ad illud ſpectant: num diuortium fieri poſſit ſique id factum ſit, num liceat, nouum matrimonii fœdus inire. Prodierunt libri hi non ſolum in AVGVSTINI *operibus;* ſed etiam ſeparatim cum *Io. Schilteri* notis, Ienæ MDCXCVIII. 4. Exſtant nonnulla alia Auguſtini ſcripta, quæ ad locum hunc referri ſolent. In his eſt liber de *mendacio*, quo explanat mendacii naturam ac poſtquam quæſtionem propoſuit: num mendacium dicere liceat? octo mendaciorum genera recenſet atque adfirmat, numquam eſſe mentiendum. Idem ſtatuit libro *contra mendacium ad Conſentium.* Reſpondet ibi ad ſcripta, quæ ipſi diiudicanda miſerat Conſentius de adhibendo vſu mendacii ad detegendos latentes Priſcillianiſtas, qui ſe catholicos

 eſſe,

esse, simulabant, atque ostendit, nec mendaces per mendacia; nec blasphemos per blasphemias quaerendos esse. Refellit Priscillianistarum opinionem, ad occultandam religionem religiosos debere mentiri ac monstrat, quae proferantur, dicta atque exempla haud probare, quod probare debeant sique et mendacium ad salutem huius atque alterius vitae vtile ac necessarium videatur; illud tamen impium esse, maxime in rebus, quae ad religionem pertineant, vitandum. Moralia argumenta, quae in iurisprudentia diuina pertractantur, Augustinus ea ratione tradidit, vt ab iis patribus, qui ante eum in doctrina morum christianorum versati sunt, discrepet ac quam ita sibi adquisiuit, singulari laude celebris sit. Primus fere est, qui leges diuinas ad facta atque ad actiones singulares adplicauit: varios, vti vocantur, casus conscientiae excogitauit: quae moueri possent, dubia secum expendit ac reliquit exemplum, quod doctores scholastici, praesertim *moralistae* ac *casuistae* adpellati, imitarentur.

AMBROSII libri tres de *officiis*, quod inter patrum scripta iurisprudentiae diuinae princeps opus est. Imitari voluit Ciceronem in libris eius de *officiis*, idque feliciter praestitit: immo eum, quem veluti exemplum ob oculos posuit, multum superauit. Generatim quidem libri hi inscripti sunt de *officiis*; exponunt autem speciatim de officiis ministrorum ecclesiae ac monstrant, quomodo illi munus suum recte ac rite administrare debeant. In principio ostendit Ambrosius, episcopi proprium munus esse docere; sibi autem discendum esse, vt doceat. Quibus explanatis, progreditur atque enarrat, qua ratione sit loquendum ac tacendum, decorum quale debeat seruare ac de iocis statuit, quamuis illi nonnumquam honesti sint; eos tamen in ecclesiasticis viris omnino proscribendos; vocem autem puram ac simplicem esse oportere. Tria in rebus peragendis adhibenda esse, addit, nimirum vt rationi adpetitus subiiciatur: vt in studiis iusta seruetur moderatio: vt denique suo quaeque tempore atque ordine gerantur. Indicant haec quidem ac multa alia, quae sequuntur, Ambrosium praecipere de officiis, omnium christianorum communibus; attamen opus hoc praecipue ad ministros ecclesiae

spectat.

ſpectat. Confirmant hoc etiam codices manuſcripti, qui titulum de *officiis miniſtrorum* præ ſe ferunt. * Eadem inſcriptio eſt in Benedictinorum editione AMBROSII *operum*, ** quæ duobus voluminibus cura IACOBI FRISCHII et NICOLAI LE NOVRRY Pariſiis MDCLXXXVI. MDCXC. lucem adſpexit. Libri hi ipſi non ſolum cum reliquis Ambroſii ſcriptis coniunctim prodierunt; ſed etiam ſeparatim editi ſunt, Argentorati MDCXLIV. cum præfatione IO. HENRICI BOECLERI, ac Stutgardiæ MDCXCVIII. 8. cura MICHAEL. FOERTSCHII, qui ad illos illuſtrandos diſſertationes adiecit. Earum *prima* exhibet analyſin librorum de officiis Ambroſii: *ſecunda* agit de philoſophia morali et iurisprudentia naturali chriſtiana veteris eccleſiæ doctorum: *tertia* de officii chriſtiani efficacia. In præmiſſo indice quinque diſſertationum mentio fit; non plures autem exhibentur, quam memoratæ tres duæque poſteriores, quarta ac quinta, itidem promiſſæ deſunt.

§. VII.

Exſtant præterea patrum ſcripta moralia, quæ vt ab aliis diſtinguantur ac proprium locum obtineant, a nonnullis *myſtica* vocantur; hæc autem adpellandi ratio minus eſt apta. Quodſi theologia myſtica *impura* intelligitur, illa antiquis eccleſiæ doctoribus, recte ſentientibus, haud attribui poteſt, quoniam illa falſa eſt, ſiue ad eius dogmata; ſiue ad dicendi genus animum aduertamus; vbi autem ſermo eſt de *pura* theologia myſtica, non eſt cauſſa, cur inter moralia patrum monimenta conſtituere velimus ſingularem ordinem eumque myſticorum.

Ex ordine eorum patrum, quibus ſcripta myſtica tribuuntur, a nonnullis adducuntur:

DIONYSIVS *Areopagita*, fictus ille ſcriptor, ſub cuius nomine inter alia adulterina monimenta circumfertur opuſculum de *myſtica theologia*; minus autem recte ad lo-

 cum

* vide: DVPIN *bibliothequ. des auteurs eccleſiaſtiqu. tom.* II. p. 257.
** ibi opus hoc primum locum *tomi ſecundi* obtinuit.

cum hunc refertur. Suppoſitum illud eſt; nec quidquam ex theologia morali complectitur:

CLEMENS *Alexandrinus*, qui quum hominem chriſtianum, quem *gnoſticum* vocat, æque ac Stoici ſuum ſapientem, prorſus ἀπαθῆ eſſe debere voluit, merito alii ſententiam hanc reiecerunt ac ſtatuerunt, Clementem per opinionem hanc fundamenta iecilſe theologiæ myſticæ, eiusque impuræ. At vero propter ſolam doctrinam de homine, omnium affectuum experte: propter vnicum dogma Stoicorum, inter magiſtros ac defenſores prauæ theologiæ myſticæ haud numerari poteſt; nec adfirmare licet, Clementem doctrinam moralem myſticam, quæ impura eſt, tradidiſſe:

EPHRAEMVS *Syrus*, de quo omnino pronuntiandum eſt, inter multa ſcripta moralia, ab ipſo relicta, quædam ita compoſita eſſe, vt illa iure locum inter monimenta myſtica tueantur, ea nimirum pura atque orthodoxa:

MACARIVS, ſenior, de quo idem pronuntiandum eſt, quod diximus de Ephræmo. Sunt in eius *homiliis* atque *opusculis*, quæ antea recenſui, monimenta, quæ myſtica adpellare licet, ſenſu nimirum ſano rectoque. Minus igitur patres hi in theologia morali a reliquis ita diſtinguendi ſunt, vt ſingularem ordinem conſtituant, quemadmodum nonnulli rem diſponunt. Præſertim inter noſtrates: GOTHOFREDVS ARNOLDVS in *hiſtoria et deſcriptione theologiæ myſticæ* ordinem hunc ſequutus eſt. Ea ſane, quæ ad theologiam myſticam pertinent, non ſingularia eique ſoli propria; ſed omni theologiæ morali communia ſunt. Quando enim exponitur ibi de rebus, quæ ſublime quid præ ſe habent, de vnione fidelium cum deo, ſpeciatim cum chriſto: de operationibus gratiæ diuinæ in anima: de mente, a prauarum cupiditatum ſordibus omni ſtudio purganda: de vitiis ex intimis cordis receſſibus eiiciendis perdomandisque prorſus ac ſubigendis adfectibus: quando ſimilia argumenta pertractantur, doctrina huiusmodi adpellari ſolet myſtica: qui eam tradunt, illi dicuntur myſtici. Sermo tamen eſt de puriore theologia myſtica, id quod iam antea monui.

§. VIII.

§. VIII.

Quid de patrum ecclesiæ theologia morali ſit ſtatuendum: qua in exiſtimatione illa haberi debeat, quæſtio eſt, quæ diſtinctam reſponſionem poſtulat. Quodſi enim ad methodum animum aduertimus, qua patres in argumentis moralibus enarrandis vſi ſunt, non penitus illa laudanda; aut adprobanda eſt. Qualem methodum in aliis patrum ſcriptis ſanctioris doctrinæ deprehendimus, quando iſti dogmata vel tradunt atque explicant; vel ab aduerſariis defendunt; talem etiam in moralibus eorum monimentis habemus. Neque adcuratioris ordinis; neque iuſtæ ac ſolidæ probationis ſtudioſi erant.

Intelligendum hoc eſt præcipue de patribus, qui maxime tribus prioribus ſeculis vixerunt. Verſati illi multum ſunt in illis, quæ ad ἄσκησιν ſpectabant ac quum alios inſtigarent ac commouerent ad ſtudia ſanctioris vitæ, ipſa methodus aſcetica poſtulauit, vt adcuratum ordinem negligerent. Seculo quarto ac quinto antiquioris eccleſiæ doctores cœperunt, id diligenter curare, vt ſcholæ inſeruirent ac methodi ordinisque regulas ſequerentur. In illis princeps fuit Auguſtinus ac permultos nactus eſt adſeclas.

§. IX.

Ad patrum dogmata moralia ipſa ſi animos conuertimus eademque cum iudicio diligenter contemplamur, videbimus ſane in ſcriptis illorum præcepta atque effata præclara, omni lectione digna ac diligenter cuſtodienda. Nec tamen negandum eſt, illos vti in reliquis theologiæ partibus; ita in hac quoque a veritatis via ſæpe aberraſſe ac variæ imbecillitatis documenta reliquiſſe. Generatim ab eo, quod verum eſt, deflexerunt, quum diſcrimen naturæ ac gratiæ vel non exploratum habuerint; vel non adcurate adplicauerint.

Eo factum eſt, vt de principiis deque morali ratione actionum humanarum non ſemper recte iudicarent ac quod gratiæ diuinæ debemus, id naturæ tribuerent; nec vere

definirent, quæ ſint naturæ: quæ gratiæ opera. Quum certamina Pelagiana non tam in eccleſia orientali; quam occidentali fierent inque hac maior diligentia ad inueſtiganda dogmata de peccato originali deque hominum corruptione naturali adhiberetur, fieri aliter non poterat, quam vt doctores eccleſiæ occidentalis de principio actionum humanarum moralium, num illæ naturæ; an gratiæ ſint adſcribendæ numque homo naturalis in rebus ſpiritualibus liberum arbitrium habeat; nec ne, adcuratius ſtatuerent; quam patres orientales. Hi tamen poſtquam cognouerant, quæ contra Pelagianos diſputata fuerant, meliora tradere cœperunt.

§. X.

Speciatim patres in errores doctrinæ moralis inciderunt, quando de ratione morali actionum noſtrarum iudicare ac determinare debebant, num bonæ illæ ſint; an malæ: num licitæ; an illicitæ. Philoſophorum gentilium ſententias, quæ pulcræ quidem ac præclaræ videbantur; re ipſa autem non erant, maxime ex ſchola Platonicorum ac Stoicorum, nonnumquam adprobarunt, laudarunt ac cum dogmatibus chriſtianis coniunxerunt, ſine prudentia; ſine, quæ adhiberi debuiſſet, omni circumſpectione. Qualia ſint vitia, quibus patres eccleſiæ theologiam moralem contaminarunt, vt videamus, quædam eorum exempla memorabo. Varia illa ſunt ac ſpectant:

I) ad *coniugium*, a quo nonnulli inter patres plane alieni fuerunt: vehementer ac nonnumquam iniurioſe aduerſus illud pugnarunt; vitam autem cælibem ac ſolitariam, perpetuam virginitatem ac continentiam ſummo ſtudio commendarunt. Teſtem habemus TERTVLLIANVM, * qui hæc reliquit: *quod denique ſcriptum eſt, melius eſt, nubere; quam vri: quale hoc bonum eſt, oro te, quod mali comparatio commendat? vt ideo melius ſit nubere, quia deterius eſt vri. At enim quanto melius eſt, neque nubere; neque vri? Etiam in perſequutionibus melius eſt, ex permiſſu fugere*

* *libro ad vxorem cap.* III. p. 183. *oper.*

fugere de oppido, quam comprehenſum et diſtortum negare: atque iſto beatiores, qui valent beata teſtimonii confeſſione non excidere. Poſſum dicere, quod permittitur, bonum non eſt. Quid enim? Neceſſe eſt mori mihi. Si ploro, bonum eſt. Quod ſi timeo quod permittitur, ſuſpectam habet permiſſionis ſuæ cauſſam. Quod autem melius eſt, nemo permiſit, vt indubitatum et ſua ſinceritate manifeſtum. Non propterea adpetenda ſunt quædam, quia non vetantur: etſi quodammodo vetantur, quum alia illis præferuntur. Prælatio enim ſuperior, diſſuaſio eſt infimorum. Non ideo quid bonum eſt, nec ideo malum non eſt, quia non obeſt. Similia aliis locis pronuntiat. Poſtquam Paulli verba adduxerat: *melius eſt nubere; quam vri,* addit: *quæ vox licet ad eos pertineat, qui innupti, vel vidui a fide deprehenduntur; quia tamen omnes eam ad nubendi licentiam amplectuntur, velim pertractare, quale bonum oſtendat, quod melius eſt pœna; quod non poteſt videri bonum, niſi peſſimo comparatum; vt ideo bonum ſit nubere, quia deterius eſt ardere. Bonum ita eſt, ſi perſeueret nomen obtinens ſine comparatione, non dico mali; ſed etiam boni alterius; vt et ſi bono alii comparatur, et alio adumbratur, nihilominus remaneat in boni nomine. Ceterum, ſi per mali conditionem cogitur bonum dici, non tam bonum eſt quam genus mali inferioris, quod a ſuperiore malo obſcuratum ad nomen boni impellitur. Aufer denique conditionem comparationis, vt non dicas, melius eſt nubere; quam vri; et quæro, an dicere audeas, melius eſt nubere; non adiiciens quid ſit id, quod melius eſt. Ergo quod non melius, vtique nec bonum; quia abſtuliſti et remouiſti conditionem comparationis, quæ dum melius illud facit, ita bonum haberi cogit. Melius eſt nubere quam vri; ſic accipiendum eſt, quomodo melius eſt vno oculo, quam duobus carere: ſi tamen a comparatione diſcedas, non erit melius, vnum oculum habere, quia nec bonum.* * Fuerunt alii inter patres, qui inique de matrimonio ſentirent ac nimium pretium cælibatui tribuerent. In numero illorum ſunt: AMBROSIVS, qui matrimonium fere in rebus turpibus numerauit: HIERONYMVS, qui omni ſtudio omnique

Ii 5 occa-

* de *exhortatione caſtitatis cap.* III. p. 666.

occasione vitam cælibem perpetuamque virginitatem commendauit: alios ad huiusmodi viuendi genus incitauit non solum ore scriptisque; sed etiam proprio exemplo. Solitariam vitam adpellat perfectam, quum qui illam amplectantur, illi curis rerum seculi careant ac tranquillitate animi fruantur et quæ diuina ac cælestia sunt, attente ac diligenter contemplentur ac multam ea peragendi habeant opportunitatem, quæ ad salutem sempiternam consequendam pertinent. In monimentis eius, quæ conseruata atque ad nos delata sunt, exstant: libri de *virginitate aduersus Iouinianum: exhortatio de laude vitæ solitariæ ad Heliodorum: inuitatio ad secessum Bethlehemiticum ad Marcellam: exhortatio ad perfectam vitam ad Lucinium Boetium:* de *relinquendo seculo ad Exuperantium,* vna cum aliis epistolis: de *vita clericorum, ad Nepotianum: institutio monachi ad Rusticum* aliaque argumenti huius scripta, quorum et supra facta est commemoratio.

II) ad *nuptias secundas*, quas patres nonnulli plane improbarunt; nec sine iniuria interdum de illis pronuntiarunt, si et ipsum matrimonium permitterent primasque nuptias fieri posse, putarent. ATHENAGORAS nuptias secundas adpellat *honestum adulterium.* * CLEMENS *Alexandrinus* matrimonium ipsum non reiicit: immo dignitatem eius commendat; arbitratur tamen, secunda vota haud conuenire perfectioni euangelicæ. ** Eadem damnat TERTVLLIANVS; *** nec caussam erroris huius sumendam esse puto a Montanismo, in quem Tertullianum incidisse, constat, quoniam alii patres iique orthodoxi erga nuptias secundas itidem iniquiores fuerunt. In eos, qui matrimonii fœdus iterum ineunt, maxime iniurium se præbet HIERONYMVS. Comparat illos cum immundis arcæ Noæ animalibus ac serpentibus ac mulierem, quæ nuptias repetat, cum cane, ad vomitum reuertente. *

III) ad

---

* *legation. pro christianis* p. 299.

** *libr.* III. *stromat.* p. 548.

*** libro de *monogamia* atque de *exhortatione castitatis.*

* præcipue in *epistola de monogamia ad Gerontiam;* siue potius, vt MARTIANAEVS habet, *Ageruchiam.*

III) ad *iusiurandum*, quod in nouo teſtamento chriſtianis haud licitum eſſe, multi patres, præſertim græci, expreſſe pronuntiarunt, ad ſententiam hanc per verba chriſti: *ego vobis dico, omnino non eſſe iurandum, Matth.* V, 34. adducti, quippe quæ male interpretati ſunt ac perſuaſerunt ſibi, præcepto hoc chriſti omnem iurisiurandi vſum prohiberi. Quædam tantum teſtimonia eaque latina breuitatis cauſſa commemoraſſe ſufficiat. THEODORETVS dicit: *vetus quidem lex prohibet mendacium; noua vero etiam iusiurandum.* * EPIPHANIVS ſcribit: nos non oportere *iuramentum iurare, neque in veritate; neque cum mendacio; ſed dicere*: etiam, etiam *et* non, non. ** Addo teſtimonia CHRYSOSTOMI ac BASILII: illius: *non licet neque iuſte: neque iniuſte iurare;* *** huius autem: *in euangelio iuramentum prorſus prohibetur:* * A reliquis memorandis abſtineo, quum iam fuerint, qui in illis colligendis ac recenſendis operam collocarent. Legendi ſunt: GER. IO. VOSSIVS, ** IO. CASPAR. SVICERVS. ***

IV) ad *bellum.* Inter patres fuerunt, qui negarent, licitum eſſe, bella gerere ac militiæ muneribus fungi. TERTVLLIANVS dicit: *at nunc de iſto quæritur, an fidelis ad militiam conuerti poſſit, et an militia ad fidem admitti, etiam caligata, vel inferior quoque, cui non ſit neceſſitas immolationum vel capitalium iudiciorum. Non conuenit ſacramento diuino et humano, ſigno chriſti et ſigno diaboli, caſtris lucis et caſtris tenebrarum: non poteſt vna anima duobus deberi, deo et cæſari. Et virgam portauit Moyſes, fibulam et Aaron; cingitur loro et Ioannes; agmen et agit ieſus naue; bellauit et populus, ſi placet ludere. Quomodo autem bellauit, immo quomodo etiam in pace militabit, ſine gladio; quem dominus abſtulit? Nam et ſi adierant milites ad Ioannem, et formam obſeruationis acceperant, ſi etiam centurio crediderat; omnem poſtea militem dominus in Petro exarmando diſcin-*

* *epitom. diuinor. decret. cap.* XVI.
** *hæreſ.* LIX. p. 217.
*** *homilia* XV. *in geneſin.*
* *homil.* I. *in pſalmum* XV.
** *hiſtor. Pelagian. libr.* V. *part.* 2. *cap.* I. *tom.* VI. *oper.* p. 723.
*** *theſaur. eccleſiaſtic. tom.* II. p. 513.

ſcinxit. * Idem et alii teſtantur, ex quibus ORIGENEM ** nominaſſe ſufficiat. Non male tamen errant, qui patres ob ſententiam hanc quodam modo excuſandos eſſe, putant, quum ad illam per tot mala :) per tot peccata, quæ cum bello, iuſto etiam coniuncta ſunt, facile adduci potuerint.

V) ad *vſuras*, quas omnes plurimi patrum damnarunt, CHRYSOSTOMVS, AMBROSIVS atque alii. Id quod vbi de omni vſura intellexerunt, omnino errarunt. Illæ ſane vſuræ non illicitæ ſunt, quæ ab hominibus opulentis, poſtquam illi ex pecunia noſtra lucrum fecerunt, debito modo accipiuntur; nec cum amore, quem erga alios præbere debemus, pugnant.

VI) ad *eleemoſynas*, in quibus laudandis ac commendandis patres nonnnmquam nimii ſunt iisque vim meriti tribuere videntur. Videmus hoc ex CYPRIANO eiusque libro de *opere et eleemoſynis* aliique itidem illud teſtantur; ad effata tamen eorum mitiorem interpretationem adhibendam eſſe, ſi quis adfirmare velit, non plane ei repugnabo. Per pium eorum feruorem perque abuſionem eloquentiæ fieri interdum potuit, vt melius ſentirent; quam loquerentur.

VII) ad *ſupplicia capitalia*, quæ improbat LACTANTIVS verbis his: *non enim, quum occidere deus vetat, latrocinari nos tantum prohibet, quod ne per leges quidem publicas licet; ſed ea quoque ne fiant, monet, quæ apud homines pro licitis habentur. Ita neque militare iuſto licebit, cuius militia eſt ipſa iuſtitia; neque vero accuſare quemquam crimine capitali, quia nihil diſtat, vtrumne verbo; an ferro potius occidas, quoniam occiſio ipſa prohibetur. Itaque in hoc dei præcepto nullam prorſus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem ſit ſemper nefas, quem deus ſanctum animal eſſe voluit.****

VIII) ad *dominia impiorum*, quo ſpectat AVGVSTINI ſententia, eos bona ſeculi non iuſte poſſidere, qui illis non bene vtantur. Id quod quum ab improbis fiat, illos bonis ſeculi non bene vti, ſequitur ex principio hoc aperte, malos homines bona ſua non iuſte poſſidere legemque poſtulare, vt a longiore poſſeſſione abſtineant. Sententen-

* de *idololatria cap.* XIX. p 117.

** *libro* VIII. *contra Celſum* p. 425.

*** *libr.* VI. *inſtitution. diuinar. cap.* 20.

tentia hæc non ſolum in ſe falſa eſt; ſed etiam turbulenta; ſiue ita comparata, vt ad tranquillitatem publicam turbandam viam parare poſſit. Verba eius ſunt: *iam ſi vero prudenter intueamur, quod ſcriptum eſt: fidelis hominis totus mundus diuitiarum eſt, infidelis nec obulus,* (verba hæcce in verſione LXX interpretum *prouerbior.* XVII. poſt *vers.* 6. leguntur, paſſimque ab AVGVSTINO, HIERONYMO aliisque citantur; ſed in textu ebræo non exſtant) *nonne omnes, qui ſibi videntur gaudere licite conquiſitis, eisque vti neſciunt, aliena poſſidere conuincimus? Hoc enim certe alienum non eſt, quod iure poſſidetur; hoc autem iure, quod iuſte, et hoc iuſte, quod bene. Omne igitur, quod male poſſidetur, alienum eſt; male autem poſſidet, qui male vtitur. Cernis igitur, quam multi reddere debeant aliena, ſi vel pauci, quibus reddantur, reperiuntur; qui tamen vbi ſunt, tanto magis iſta contemnunt, quanto ea iuſtius poſſidere potuerunt. Iuſtitiam quippe et nemo male habet, et qui non dilexerit, non habet. Pecunia vero et a malis male habetur, et a bonis tanto melius habetur, quando minus amatur. Sed inter hæc toleratur iniquitas male habentium, et quædam inter eos iura conſtituuntur, quæ adpellantur ciuilia; non quod hinc fiat, vt bene vtentes ſint; ſed vt male vtentes minus moleſti ſint.* *

IX) ad *vim in religionis cauſſa adhibendam,* qua in re AVGVSTINVS itidem a recta via aberrauit.

X) ad *martyrium,* de quo veteres chriſtiani doctores ſcriptoresque nonnumquam ita loquuntur, vt illi ſalutarem vim ad peccata delenda atque expianda tribuant atque illud *baptismum ſecundum, baptismum ſanguinis* adpellent. CYPRIANVS de catechumenis, qui propter nominis chriſti confeſſionem capti et extremo ſupplicio adfecti erant, antequam in cœtu chriſtianorum ſacro fonte ablui poſſent, dicit: *ſciant, catechumenos illos primo integram fidem et eccleſiæ veritatem tenere et ad debellandum diabolum de diuinis caſtris cum plena et ſincera dei patris et chriſti et ſpiritus ſancti cognitione procedere: deinde nec priuari baptismi ſacramento, vtpote qui baptizentur glorioſiſſimo et maximo ſanguinis baptismo, de quo et dominus dicebat, habere ſe aliud baptis-*

* *epiſtol.* CLIII. *tom.* II. *oper.* p. 405. edit. Benedictin. antuerp.

baptisma baptizari. Sanguine autem ſuo baptizatos et paſſione ſanctificatos conſummari et diuinæ pollicitationis gratiam conſequi, declarat in euangelio idem dominus, quando ad latronem, in ipſa paſſione credentem et confitentem, loquitur et quod ſecum futurus ſit in paradiſo, pollicetur. * Idem auctor alia hac de re edidit effata: *quale*, inquit, *delictum eſt, quod nec baptiſmo ſanguinis poteſt ablui? quale crimen eſt, quod martyrio non poteſt expiari?* ** ORIGENES baptismum martyrii vocauit *baptismum per ignem*, vt ex EVSEBIO *** patet, et itidem adfirmauit, vi illius hominem peccatis purgari. Verba eius ſunt: *ſi peccatorum remiſſionem pollicetur baptisma, quemadmodum accepimus de baptismate in aqua et ſpiritu; remiſſionem autem peccatorum recipit itidem, qui martyrii baptisma perſert. Martyrium ſane recte baptisma dici poteſt; peccata autem ei remitti, qui martyrium patitur, liquet ex Matth.* X, 32. * Opinionem et doctrinam hanc tempore iſto omnibus chriſtianis communem fuiſſe, ex eo elucet, quod res hæc tam cognita tamque peruulgata exſtiterit, vt iſtam homines ſuperſtitioſi haud ignorarent. In actis martyrii Perpetuæ ac Felicitatis de Saturo catechumeno, leopardo proiecto, relatum legimus, illum de vno morſu tanto perfuſum fuiſſe ſanguine, vt populus teſtimonium de ſecundo baptismo dixerit et per irriſionem clamauerit: *ſaluum totum: ſaluum totum.* Peruerſa erat perſuaſio hæc, in qua defendenda HENRICVS quidem DODWELLVS ** operam collocauit; argumenta autem, quæ adfert, non magnum momentum habent. Legi poſſunt hac de re IO. CASP. SVICERVS, *** IO. ANDR. BOSIVS, * IOSEPH. BINGHAMVS, ** CHRIST. AVGVST. SALIGIVS. *** Plura exempla errorum moralium, in

* *epiſtol.* LXXIII. p. 136.
** de *oration. dominic.* p. 212. adde: de *exhortation. martyrii* p. 262.
*** *libr.* VI. *hiſt. eccl. cap.* 4.
* *commentar. in Matth. tr.* XVI. *tom.* III. *oper.* p. 718.
** *diſſertation. Cyprian.* XIII. p. 124.
*** *ſacrar. obſeruation. cap.* III. p. 65.
* *opuſcul. hiſtor. et antiquitat. eccleſiaſtic.* quæ eiusdem *introduction. in notitiam ſcriptor. eccleſiaſticor.* a me addita ſunt, p. 604.
** *origin. ſiue antiquit. eccleſ. volumin.* IV. p. 44.
*** de *diptychis veterum cap.* X. §. 6. ſqq.

in quos ſe incidiſſe, patres eccleſiæ ſatis ſignificarunt, vt enarrem, haud neceſſe eſſe, exiſtimo.

§. XI.

Antequam tamen finem commentationis huius faciam, res, propter quam ſcriptionem hanc ſuſcepi, poſtulat, vt et controuerſiam, noſtra ætate de patrum theologia morali natam, commemorem ac quæ ab vtraque parte diſputata ſunt, enarrem, ea ratione, vt pateat, aduerſarios in eas extremitates delapſos eſſe, vt a media eaque tutiore via aberrauerint.

IO. BARBEYRACIVS gallice reddiderat PVFENDORFII opus de *iure naturæ et gentium* ac præfationem præmiſerat, eaque inter alia de patrum doctrina morali copioſe expoſuerat, ea ratione, vt de doctrina hac ſiniſtre ſentiret: immo quorumdam patrum ſententias acriter perſtringeret atque acerbiorem adhiberet cenſuram. * Interpretatio hæc gallica poſtquam publicam lucem adſpexerat, inſcripta: *le droit de la nature et des gens*, Amſtelodami MDCCXII. 4. nactus eſt BARBEYRACIVS aduerſarios, qui contra eum arma ferrent ac patrum cauſſam agerent. Princeps fuit: REMIGIVS CEILLIER, qui edidit: *apologie de la morale des peres de l' egliſe contre les iniuſtes accuſations du monſieur Iean Barbeyrac*, Pariſiis MDCCXVIII. 4. ac patres ab accuſationibus Barbeyracii defendit, vna cum quibusdam eorum dogmatibus, quæ a Barbeyracio iure reprehenſa fuerant; ab eccleſia autem romana, cui auctor ſe addixerat, adprobantur. Adiunxit ſe illi IO. FRANCISCVS BVDDEVS,** qui quamuis in eo cum Barbeyracio conſentiat, patres vt in aliis; ita et in doctrina morali næuorum non eſſe expertes; de ipſa tamen Barbeyracii cenſura ſtatuit, illam eſſe partim iniuſtam; partim æquo vehementiorem. Ab vtroque aduerſario vt Barbeyracius ſe defenderet, ſcripſit ac iuris publici fecit: *traité de la morale des peres de l'egliſe, ou en defendant vn article de la preface ſur Puſendorf contre l' apologie de la morale des peres du P. Ceillier, religieux Benedictin*

* §. IX. p. 40.
** *iſagog. ad vniuerſ. theologiam libr.* II. *cap.* 4. §. 4. p. 620.

dictin de la congregation de ſaint Vanne et de ſaint Hydulphe, on fait diuerſes reflections ſur pluſieurs matieres importantes, Amſtelodami MDCCXXVIII. 4. In ipſo libro reſpondit Ceilliero, principali hoſti; in præfatione autem eius Buddeo. *

In recenſendis patrum eccleſiæ libris theologiæ moralis varii doctiſſimi viri operam poſuerunt, inter quos præcipue laudandus eſt GEBHARDVS THEODORVS MEIERVS. Edidit ille: *introductionem in vniuerſum theologiæ moralis, cum dogmaticæ; tum pragmaticæ ſtudium*, Helmſtadii MDCLXXI. 4. eaque non ſolum argumentum de ipſa theologia morali: de vera eius eſſentia: de modo, quo iſta docenda ſit pariter ac diſcenda, explanat; ſed etiam ſcriptores theologiæ huius, atque in his patres diligenter enarrat ac de illis ſententiam ſuam ſignificat. Addi poteſt ADAMVS BERNDIVS, qui in *der einleitung zur chriſtlichen ſittenlehre* ** de patrum eccleſiaſticorum theologia morali etiam quædam commentatus eſt; pauciora tamen illa ſunt. Memorari quoque poteſt IOACHIMVS LANGIVS, qui quum hiſtoriam pſeudadiaphoriſticam exhibet, *** ſtudioſe quoque patres eccleſiæ laudat, ab adiaphoria, vti dicitur, alienos: immo illi aduerſos, ſpectaculis nimirum, exercitationibus ludicris, ſaltationibus, iocis, muſicæ abuſui aliiſque ſimilibus actionibus. In numero illorum ſunt: TERTVLLIANVS ob librum de *ſpectaculis* atque *apologeticum aduerſus gentes:* CYPRIANVS ob varias *epiſtolas*, quibus nonnulli addunt eiusdem libros de *ſpectaculis* atque de *aleatoribus;* eos autem a Cypriano haud ſcriptos eſſe, conſtat; item CLEMENS *Alexandrinus*, ARNOBIVS, LACTANTIVS, AVGVSTINVS, AMBROSIVS, SALVIANVS, TATIANVS, CHRYSOSTOMVS, GREGORIVS *Nazianzenus*. Omnes hos, tamquam teſtes, ex antiquitate chriſtiana LANGIVS adducit: effata eorum recenſet, quibus opinionem de adiaphoria reiecerunt, veluti rem, a vita ac diſciplina vere chriſtiana alienam. *

CAPVT

* *bibliotheque raiſonnée tom.* I. p. 108.
** p. 176. ſqq.
*** *antibarbar. orthodoxiæ dogmatic. hermeneutico part.* III. p. 14. ſqq.
* *ibidem.*

CAPVT XIV.

DE PATRVM ECCLESIAE ERRORIBVS THEOLOGICIS, MAXIME DOGMATICIS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Exponitur de erroribus patrum ecclesiæ eorumque diuersitate generatim. §. I. II.

Speciatim de erroribus dogmaticis, qui in veros atque adfictos diuiduntur. §. III. IV.

Errores ipsi recensentur, eo ordine, quo patres vixerunt. §. V.

Post factam hanc commemorationem agitur de variis vocibus, a patribus vsurpatis, quibus pontificii prauum sensum tribuerunt. § VI.

De consensione patrum in erroribus. §. VII.

De eorumdem inter se dissensionibus. §. VIII.

De retractationibus patrum. §. IX.

Exposui de patrum ecclesiæ dogmatibus ac singulis doctrinæ sanctioris partibus, speciatim de eorum theologia exegetica, dogmatica, polemica, symbolica, catechetica, morali ac monstraui, istos testatos esse de veritate religionis euangelicæ ac præclara hanc in rem reliquisse effata. Quum tamen minus existimandum est, doctores hos antiquiorum christianorum non alia; nisi, quæ vera sint, tradidisse atque omnis erroris expertes fuisse, nunc de falsis quoque sententiis, quas amplexi sunt atque in scripta sua transtulerunt, differere, constitui.

§. II.

Errores patrum, qui in eorum monimentis exstant, non vnius; sed varii diuersique generis sunt. Quodsi animum ad dogmata aduertimus, in quibus a veritate aberrarunt, diuidi illi possunt in errores *historicos*, *exegeticos*, *dogmaticos*, *morales*. Qui adpellantur *exegetici*, illi ad interpretationem codicis sacri spectant suntque peruersæ expositiones scripturarum diuinarum. Errores *historici* repugnant fidei historicæ: *dogmatici* dog-

matibus fidei, diuinitus patefactis; *morales* autem regulis vitæ sanctioris, a deo præscriptis.

§. III.

De erroribus exegeticis ac moralibus antea commentatus sum; hanc autem ob rem, præter historicos quosdam, restant tantum errores *dogmatici*, nunc enarrandi. Diuersum illi momentum habent suntque vel *fundamentales*; vel *non fundamentales*. Qua ante posita differentia, si quæras: cuius generis sint patrum errores: num fundamentales illi haberi debeant, nec ne? dogmata ipsa ac modum, illa explicandi, discernere debemus. In ipsis dogmatibus iisque, vti dicuntur, fundamentalibus, sine quorum notitia nec in christum credere; nec salutem æternam consequi possumus, de recta via patres haud deflexerunt: immo præclara veritatis testimonia de illis reliquerunt, vti supra monstraui; modus autem, quo ista explicarunt, non penitus vitiis caret, quæ vti in aliis sanctioris doctrinæ disciplinis; ita in theologia quoque dogmatica prodiderunt.

Dogmata fidei eaque principalia recte quidem patres tradiderunt; non omnia autem eorum capita, adcurate satis, distincte, perspicue. Non iis verbis formisque dicendi semper vsi sunt, quæ necessariæ erant, vbi sententiæ ipsæ recte exprimi debebant. Natæ ex eo sunt prauæ interpretationes eorum, quæ patres scripta reliquerunt. Præbuit hæc loquendi ratio, non satis adcurata aptaque, materiam disputationum ac controuersiarum. Paucis: patres melius interdum senserunt; quam loquuti sunt.

§. IV.

Sunt quoque errores patrum ita diuersi, vt alii illis vere tribuantur; alii autem adfingantur. Posterius præcipue ab iis fit, qui peruersas sententias suas patrum auctoritate tueri volunt seque cum his consentire, aliis persuadere, adnituntur. Ad consensionem hanc probandam; siue ad fucum faciendum, patrum effata praue interpretantur atque ita falsa dogmata

mata ipſis adſcribunt. Fingunt conſenſionem eiusmodi pontificii, reformati, ſociniani, fanatici atque alii hocque multa exempla comprobant.

§. V.

Accedo ad rem ipſam, propter quam ſcriptionem capitis huius ſuſcepi, id eſt, ad commemorationem errorum, in quibus patres ſe verſatos eſſe, in ſcriptis ſuis ipſimet teſtati ſunt. Enumerabo eos ordine temporis, quo iſti vixerunt atque ex monimentis eorum de quauis falſa perſuaſione teſtimonia adducam. Sunt iſti:

ATHENAGORAS, in cuius *apologia* hæc vt errata notantur: vniuerſam omnium rerum prouidentiam ad deum; particularem autem ac ſingularem ad angelos pertinere:* angelos quosdam amore virginum captos ac libidine carnis accenſos et ex his gigantes natos eſſe, quorum animæ ſint dæmones, circa mundum oberrantes.** Tribuunt ei errorem quoque de angelis adorandis, LVDOV. ELLIES DV PIN *** et IO. BARBEYRACIVS; * alii autem animaduertunt, adcuſatione hac fieri illi iniuriam, quoniam Athenagoram hoc docuiſſe, neutiquam ſit probandum. ** Legantur de næuis Athenagoræ: PETRVS BAELIVS, *** THOMAS ITTIGIVS.*

IVSTINVS *martyr*, in cuius ſcriptis varii exſtant errores. Adfirmat, eos eſſe chriſtianos, qui μετὰ λόγου vixerint, atque in illis numerat Socratem et Heraclitum.** De effato hoc multa ſunt diſputata. Nonnulli id agunt,

 vt

* *cap.* XXII. p. 98. edit. DECHAIR.
** *ibidem* p. 100.
*** *bibliothequ. des auteurs eccleſiaſtiqu. tom.* I. p. 64.
* *præf. verſion. gallic. operis Pufendorfiani de iure naturæ et gentium* §. IX p. 41.
** BASNAGIVS in *hiſtoire de l' egliſe libr.* XVIII. *cap.* 12. p. 1105. CEILLIERIVS *apologie de la morale des peres de l' egliſe cap.* I.
*** *dictionaire hiſtoriqu.* voce ATHENAGORAS.
* *ſelect. hiſtor. eccleſiaſt. capitib. ſecul.* II. *cap.* 3. p. 228.
** *apolog.* I. p. 91. edit. GRABII.

VT IVSTINVM defendant; aut excusent; de ratione autem, qua verba eius commode intelligi debeant, inter eos dissensio est. Alii enim, τὸν λόγον, de quo IVSTINVS loquitur, de christo: alii de sana ratione explicant, vt pluribus THOM. ITTIGIVS * obseruat. At vero siue de christo; siue de sana ratione sumas, quæ hic scriptor christianus de λόγῳ disserit; haud tamen sententia eius excusari; multo minus adprobari potest. Quodsi per λόγον significare voluerit sanam rationem, quis dicat, Socratem eam ob caussam in christianis numerandum esse, quia vitam suam ad normam sanæ rationis composuerit; vbi autem tibi persuadeas, λόγον Iustini nostri esse ipsum christum, falsum est, Socratem cum hoc λόγῳ vixisse et cognitione christi præditum fuisse. Præter hæc, ad Iustini næuos et illa pertinent, quod cum viribus naturæ humanæ in rebus spiritualibus; tum vitæ cælibi plus, quam decet, tribuerit: quod arbitratus sit, animas piorum, a corporibus per mortem separatas, ante iudicium vniuersale ad domicilia cælestia haud transferri, simulque sibi persuaserit, prophetam Samuelem defunctum a pythonissa euocatum: angelos cum mulieribus complexu venereo iunctos et a christo in his terris regnum, per mille annos duraturum, Hierosolymis constituendum esse: item dæmones ante christi aduentum damnationem suam ignorasse; nec ante diem iudicii extremi torquendos. His erroribus addendi sunt alii, iique historici et philologici. Quum enim de græca versione septuaginta interpretum agit, Ptolemæum Aegypti regem legatos suos ad regem Herodem misisse et ipsos septuaginta interpretes, totidem cellulis separatim inclusos, versionem suam adornasse, refert et christum extra oppidum Bethlehemum in spelunca quadam natum esse, tradit. Ebraicarum litterarum eum rudem fuisse, satis luculenter ea monstrant, quæ de origine vocum *hosianna* et *satanas* disserit. Omnes hi errores, iam breuiter notati, in libris eius, præsertim *apologiis* et *dialogo cum Tryphone iudæo* deprehenduntur, quorum loca pariter atque vberiorem ipsorum næuorum narrationem si quis

* *select. histor. eccles. capitib. secul.* II. *cap.* 3 *sect.* 4. §. 4. p. 206. sq.

quis desiderat, ille præter iam laudatum ITTIGIVM, adeat ABR. SCVLTETVM, * GVIL. CAVEVM, ** NICOL. LE MOVRRY *** et alios, iam supra in vita Iustini memoratos.

IRENAEVS, qui in varios errores incidit iisque libros suos contaminauit. Existimat, angelos malos rem veneream cum hominum filiabus exercuisse atque ex illis suscepisse liberos, * quæ vetus fuit opinio multorum auctorum; item diabolum ante christi aduentum haud ausum fuisse, de deo ac rebus diuinis iniuriose loqui, quoniam haud sciuerit, se damnationi esse obnoxium. ** Quando contra sententiam, quam postea Manichæi amplexi sunt, disputat, nonnumquam duriores dicendi formulas adhibet. *** Inprimis falsa sunt, quæ alio loco * scribit, post christi aduentum et cognitionem a peccantibus nullam noxarum veniam sperandam esse; nec quo vtitur, argumentum vllum robur habet. Quando enim sententiam suam ex eo probare, instituit, quia christo mors non iterum contingere possit; verum quidem hoc est; sed sufficit, seruatorem nostrum semel pro peccatis omnium temporum mortuum esse. Nec caute satis atque adcurate dicta sunt, quæ ** de iustificatione patriarcharum ante legem, per Mosen promulgatam, legimus; aperte autem veritatem deserit, quando cum aliis veteris ecclesiæ doctoribus contendit, piorum animas, corporibus solutas, non statim ad sedem cælitum transferri; sed ad statum et locum quemdam medium peruenire atque in isto commorari vsque ad tempus reditus mortuorum hominum ad pristinam vitam. Qui vbi factus sit, addit Irenæus, pios adesse debere christo,

 post-

* *medull. theol. patr.* p. 37.

** *histor. litter. scriptor. ecclesiastic. tom.* I. p. 61. et *antiquit. patr. et ecclesiast. part.* I. p. 326.

*** *adparat. ad biblioth. maximam patr. tom.* I. p. 384. *obseruat. Hallens. tom.* II. p. 89. et 170.

* *libr.* IV. *cap.* 70. p. 371. edit. GRABII.

** *libr.* V. *cap.* 26. p. 441.

*** vt CHEMNITIVS *orat. de lectione patrum* p. 5. notat.

* *libr.* IV. *cap.* 45. p. 347.

** *libr.* IV. *cap.* 30. p. 319.

poſtquam ille in his terris regnum, per mille annos duraturum, ſibi formauerit. * Ad errores *hiſtoricos* pertinent, quæ refert de ſeptuaginta interpretibus et cellulis, quibus fuerint incluſi: ** de ſcriptoribus noui fœderis, quod oracula prophetica ſecundum horum interpretum verſionem græcam recitauerint: *Petrus*, inquit, *et Ioannes et Matthæus et Paullus et reliqui deinceps et horum ſectatores prophetica omnia ita adnuntiauerunt, quemadmodum ſeniorum interpretatio continet;* antea autem dixerat, *apoſtolos conſonare* LXX *ſeniorum interpretationi et interpretationem conſonare apoſtolorum traditioni.* *** Hæc CAESAR BARONIVS, ROB. BELLARMINVS, BRIANVS WALTONVS aliique ita intelligunt, ac ſi dixiſſet, omnia teſtimonia, quotquot ex veteri teſtamento ab apoſtolis et euangeliſtis proferantur, ex græca hac verſione petita eſſe. Sunt tamen, qui monent, hoc ſolum voluiſſe ſignificare Irenæum, apoſtolorum de aduentu chriſti doctrinam conſentire cum prophetarum prædictionibus, quæ in græca iſta verſione legantur. Erronea quoque ſunt, quæ Irenæus habet de ætate chriſti, quod illa non longe abfuerit a ſenectute, quum cruciatus ſit perpeſſus. * CAESAR quidem BARONIVS ** putat, quæ dicto loco apud Irenæum de ætate chriſti legantur, ab aliena manu eſſe addita, eidemque ſententiæ fauet DIONYSIVS PETAVIVS. *** Sed omnes codices, cum editi; tum manuſcripti, hunc Irenæi locum ea ratione, qua iſtum nunc habemus, exhibent, vt pluribus obſeruat NICOL. LE NOVRRY. * His iam memoratis Irenæi hiſtoricis næuis alii addendi ſunt. Tradidit enim, Matthæum euangelium ſuum lingua ebraica ſcripſiſſe, ** quæ etiam ſententia fuit Papiæ apud EVSEBIVM.

* leguntur hæc *libr.* V. *cap.* 24. p. 436. et *cap.* 32. ſqq. p. 452.
** *libr.* III. *cap.* 25. p. 254.
*** *ibid.* p. 256.
* *libr.* II. *cap.* 39. p. 161.
** *annal. ad ann. chriſt.* XXXIV. *num.* 148.
*** *ad Epiphanium hæreſ.* LI. p. 125.
* *adparat. ad maximam biblioth. patr. tom.* I. p. 596.
** *libr.* III. *cap.* I. p. 198.

BIVM: * Enochum legatione ad angelos functum, ** huncque pariter, ac Eliam in paradiso, in quo Adamus fuerit, collocatos esse; *** item christum animabus, quae in locis subterraneis sedem suam habuerint, euangelium adnuntiasse iisque veniam peccatorum promisisse, vbi fiduciam suam in meritis eius essent collocaturi. * Quae habet de nomine *iesu*, ** et nomine *adonai*, *** luculenter indicant, eum linguae ebraicae haud peritum fuisse. Quos iam enarraui, Irenaei errores etiam alii passim notarunt. Legendi ex illis sunt: ABR. SCVLTETVS, * NICOL. LE NOVRRY, ** THOM. ITTIGIVS *** et GOTTLIEB. STOLLIVS. *

CLEMENS *Alexandrinus* alia minus recte: alia minus circumspecte atque adcurate tradidit. Quod ad dogmata adtinet, de *peccato originali* non semper ea, qua decet, ratione loquutus est. Quando disputat contra encratitas, inter alia: *dicant ergo nobis*, inquit, *vbi fornicatus est infans natus; vel quomodo sub Adae cecidit exsecrationem, qui nihil est operatus*, et paullo post ad Dauidis verba: *in peccatis conceptus sum*, ceter. respondere, sibi sumit. ** De necessitate porro moriendi differit eiusque rationem indicare vult; dicit autem tantum, *ortum et interitum rerum creatarum, adeoque et hominum, propter ipsorum naturas fieri debere*; *** nec vllam peccati originalis mentionem facit. De quo quum non ea ratione, qua fieri debet, sensit atque exposuit, mirum non est, quod et in doctrina de *libero arbitrio* a recta via aberrauerit; aut istam non rite

 atque

* *libr.* III. *hist. ecclesiast.* *cap.* 39.
** *libr.* IV. *cap.* 30. p. 319.
*** *libr.* V. *cap.* 5. p. 404.
* *libr.* IV. *cap.* 45. p. 346.
** *libr.* II. *cap.* 41. p. 163.
*** *libr.* II. *cap.* 66. p. 194.
* *medull. theolog. patr.* p. 83. sqq.
** *adparat. ad maxim. biblioth. patr. tom.* I. p. 569. sqq.
*** *select. histor. eccles. capit. secul.* II. *cap.* 3. *sect.* 5. p. 212.
* in *der nachricht von den leben, schriften vnd lehren der kirchenvaeter* p. 86.
** *libr.* III. *stromat.* p. 556. edit. POTTERI.
*** *libr.* III. *stromat.* p. 540.

atque adcurate tradiderit, cuiusmodi vitio et alii veteris ecclesiæ doctores obnoxii fuerunt, qui ante certamina Pelagiana scripserunt. Sane in libris eius habemus effata, quæ ad Pelagianismum; aut saltim ad quemdam illius gradum accedere videntur. Loquitur de fide, propter quam nos a deo iudice iusti declaramur, hancque adpellat πρόληψιν ἑκούσιον, *anticipationem voluntariam*, * et alibi pronuntiat, nos ipsos posse obedientiam præstare erga præcepta diuina iisque satisfacere. ** De *christo* docuit, eum secundum humanam naturam omnium adfectionum humanarum expertem fuisse; *** nihilominus autem corpus illius pulcritudine atque elegantia excelluisse, * alibi negauit. De *pœnitentia* ea tradidit, quæ Nouatianismum sapere videntur, nec solida adest ratio, ista excusandi; aut speciem quamdam illis conciliandi. In rebus historicis non semper ea, quæ vera sunt, narrauit suamque credulitatem haud obscure prodidit. Multa memorat tamquam vera; quæ autem falsa sunt atque auctoritate carent, vt de versione græca septuaginta interpretum, cui sane plus, quam decet, tribuit: de scriptis apocryphis speciatimque carminibus Sibyllinis: de christo, quod per vnius tantum anni spatium docendi munere in his terris sit perfunctus ac mortuis adnuntiauerit euangelium. Legantur, quæ inter IO. Clericum et Guil. Caueum de Clemente Alexandrino eiusque erroribus disputata sunt. **

THEOPHILVS *Antiochenus* sensit interdum peruerse; nec semper adcurate loquutus est. Adfirmat, deum primum hominem neque mortalem; neque immortalem condidisse et admittit medium quemdam illius statum inter mortalitatem et immortalitatem, quam sententiam etiam alii ecclesiæ patres amplexi sunt. Carminibus Sibyllinis maius, quam par est, pretium posuisse, videtur, *** et quan-

* *libr.* II. *stromat.* p. 432. et 444.
** *libr.* VII. *stromat.* p. 833. et *libr.* IV. p. 633.
*** *libr.* VI. *stromat.* p. 775.
* *pædag. libr.* III. *cap.* I. p. 252.
** vide: CLERICI *epistolas criticas*, *epistol.* I.
*** *libr.* II. *ad Autolycum cap.* 52. p. 235.

quando * de die ſeptimo; ſiue ſabbato tradit, quod ille *inter omnes mortales celebris habeatur*, hoc minus poterit probari. Quæ ** hunc in modum ſcribit: *qui dei voluntati obtemperat, volendo ſibi æternam poterit parare vitam. Nam legem et præcepta ſancta communicauit nobis deus, quæ ſi homo ſeruarit, ſalutem conſequi et reſurgens, incorruptibilitatem nanſciſci valeat*, ſuſpecta ſunt et quamuis Theophilus bene ſenſerit; ita tamen loquitur, vt verba eius facile ad erroneam peruerſamque ſententiam trahi poſſint. Eum de trinitate ac ſpeciatim de æternitate filii haud recte præcepiſſe et longe aliter iſtam explicaſſe, quam chriſtiana ferat profeſſio, non ſolum contendit CHRISTOPH. SANDIVS; *** ſed idem quoque exiſtimant: DIONYSIVS PETAVIVS, * ABR. SCVLTETVS ** et PETRVS DANIEL HVETIVS. *** Sed cauſſam, eamque iuſtam, Theophili egerunt et monſtrarunt, illum veram doctrinam de trinitate tradidiſſe, GEORGIVS BVLLVS * et NICOL. LE NOVRRY. **

TERTVLLIANVS varios errores communes habuit cum Iuſtino martyre, Athenagora, Irenæo, Clemente Alexandrino, de ſtatu nimirum animarum poſt mortem, eas in abditis quibusdam locis vsque ad tempus iudicii extremi ſeruari ſolasque martyrum animas in paradiſum transferri: de chiliasmo, in cuius falſam perſuaſionem itidem cum aliis ingreſſus eſt atque exiſtimauit, vtile eſſe, ſi infantum baptismus ad tempus differatur. Næuis his alii adduntur, isque præſertim a nonnullis, quod deum eſſe corpus, dixerit. Quærit enim: *quis negabit, deum corpus eſſe, etſi*

 deus

* *libr.* II. *cap.* 17. p. 135.
** *libr.* II. *cap.* 38. p. 189.
*** *nucl. hiſtoriæ eccleſiaſt. libr.* I. p. 90.
* *theolog. dogmat. libr.* I. *de trinitat. cap.* 3. §. 6. *tom.* II. p. 23.
** *medull. theol. patr.* p. 97. *centuriator. Magdeburgenſ. centur.* II. *cap.* 4. p. 43. et *cap.* 10. p. 132.
*** *Origenian. libr.* II. p. 45
* *defenſion. fidei Nicænæ ſection.* II. *cap.* 4. §. 10. p. 72. et *ſect.* III. *cap.* 7. p. 214.
** *adparat. ad maxim. bibliothec. patr. tom.* I. p. 507.

deus spiritus est? * Alii tamen eum excusant ac monent, illum vocabulum *corporis* vsurpasse pro ipsa rei substantia, inprimis quum alibi de deo ita loquatur, vt perspicue pateat, eum credidisse, quod deus sit spiritus omnisque materiae expers. Ita inter antiquiores AVGVSTINVS ** illum hac in caussa excusandum esse, putat. Vberius ea, quae ad eius defensionem pertinent, inter recentiores NICOLAVS LE NOVRRY, *** BARTHOLOMAEVS GERMONIVS * atque alii edisserunt. Ipsi Tertulliani errores passim ab eruditis viris sunt notati. Legi possunt: ABR. SCVLTETVS, ** IACOB. PAMELIVS, *** PAGANINVS GAVDENTIVS, * THOM. ITTIGIVS, ** IO. DALLAEVS. ***

MINVCIVS FELIX existimat, nullo modo homicidium licitum esse dicitque: *nobis homicidium nec videre fas; nec audire: tantumque ab humano sanguine cauemus, vt nec edulium pecorum in cibis sanguinem nouerimus.* * Nonnulli notant quoque, quae ** hunc in modum scripsit: *impuri spiritus, sub statuis et imaginibus consecrati, delitescunt et adflatu suo auctoritatem quasi praesentis numinis consequuntur, dum inspirantur interim vatibus: dum fanis immorantur: dum nonnunquam extorum fibras animant: auium volatus gubernant: sortes regunt: oracula efficiunt falsis pluribus inuoluta.* Sed censura, quae aduersus locum hunc adhibetur, non satis iusta est. Nihil de impuris spiritibus dicitur, quod ab illis minus potuisset proficisci.

CYPRIA-

* *libr. aduers. Praxeam cap.* VII. p. 639.
** de *haeresibus cap.* LXXXV. p. 226.
*** *adparat. ad bibliothec. maxim. veter. patrum tom.* II. p. 1279.
* de *veterib. haereticis ecclesiast. codic. corruptor.* p. 587.
** *medull. theol. patr.* p. 242.
*** in *paradoxis Tertulliani*, quae praemissa sunt eiusdem *adnotationib. in Tertulliani opera.*
* in *salebris Tertullianeis*, Florent. ann. MDCXXXIX. 4.
** *select. histor. ecclesi. capit. secul.* II. *cap.* 3. *sect.* II. §. 6. sqq. p. 239.
*** de *vsu patrum.*
* *Octau. cap.* XXX. p. 318.
** *cap.* XXVII. p. 273.

CYPRIANVS ea quoque ſtatuit ac ſcripſit, quæ minus probanda ſunt. In concertatione de baptismo hæreticorum aberrauit omnino a veritate, quum baptismum illum plane reiiceret atque adfirmaret, eum omni vi atque auctoritate carere. De ipſo baptismo, in ſe ſpectato, nonnumquam ita loquitur, vt ſtatuere videatur, illum abſolute neceſſarium eſſe, ſi quis ſempiternam felicitatem conſequi velit. Idem ſignificat de ſacra cœna, vt IO. DALLAEVS * oſtendit. Inprimis notandum eſt, quod epiſcopis plus, quam decet, tribuat et nimiam venerationem obedientiamque erga eos requirat. Inter alia ** dicit: *dominus noſter, cuius præcepta et monita obſeruare debemus, epiſcopi honorem et eccleſiæ ſuæ rationem diſponens, in euangelio loquitur et dicit Petro: ego tibi dico, quia tu es Petrus*, ceter. *Inde per temporum et ſucceſſionum vices epiſcoporum ordinatio et eccleſiæ ratio decurrit, vt eccleſia ſuper epiſcopos conſtituatur et omnis actus eccleſiæ per eosdem præpoſitos gubernetur.* Et alio loco hæc habet: *ſacerdotibus honor tantus de dei dignatione conceditur, vt quisquis ſacerdoti eius et ad tempus hic iudicanti non obtemperaret, ſtatim necaretur.* ***

ORIGENES, de cuius orthodoxia antiquiore ætate multa diſputata ac poſt obitum eius varia diuerſaque iudicia promulgata ſunt. Primus doctrinam illius impugnauit METHODIVS, Tyri epiſcopus, libro de *reſurrectione*, cuius fragmenta apud EPIPHANIVM * et PHOTIVM ** exſtant: item commentatione de *pythoniſſa aduerſus Origenem*, cuius nihil ad nos peruenit; non defuerunt autem, qui pro Origene eiusque fama dimicarent. Poſtea vehementior de doctrina eius diſputatio inſtituta eſt, ab eo inprimis tempore, quo hæreſis Ariana enata erat. Quum enim Ariani varia ex ſcriptis eius colligerent ſuæque cauſſæ per illius auctoritatem præſidium concilia-

* de *vero vſu patrum libr.* II. *cap.* 4. p. 263. ſq.
** *epiſtol.* XXVII. p. 37. *oper.* edit. BALVZII.
*** *epiſtol.* LV. p. 81.
* *hæres.* LXIV.
** *codic.* CCXXXIV.

ciliare vellent, ipsi orthodoxi Origenis doctrinam oppugnare cœperunt et quoniam alii eum defendebant, ab vtraque parte de illius orthodoxia multa sunt disputata. Pugnarunt contra istum Eustathius Antiochenus, Theodorus Mopsuestenus, Apollinaris, Hieronymus ac præter alios præcipue Epiphanius, qui quantis maxime viribus poterat, Origenianam hæresin impugnandam suscepit summaque contentione hanc rem aduersus Ioannem Hierosolymitanum tractauit. Defensorum Origenis, qui *Origenistæ* adpellati sunt, duo genera fuerunt. Alii erant orthodoxi, qui partes Origenis tuebantur ac merita eius in rem christianam laudabant; ita tamen, vt errores eius haud probarent; multo minus defenderent; sed quæ inepte ab eo dicta fuerant, benigne interpretari mallent, qualem agendi modum, præter alios, sequuti sunt Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hilarius, Ioannes Chrysostomus. Alii fuerunt heterodoxi, qui quum nimio cultu Origenem prosequerentur, tam acriter caussam eius egerunt, vt non solum quæ recta; sed etiam falsa ab isto tradita erant, defenderent. Ita propugnabant eum Ariani; hac autem de caussa PETRVS DANIEL HVETIVS * merito dicit: *quot fere vel fautores habuit Ariana hæresis; vel oppugnatores, totidem propemodum Origenianam doctrinam vel amplexi sunt; vel detestati.* Sic Eusebius Cæsareensis amicum suum Pamphilum commouit ad scribendam pro Origene *apologiam*, quam quum martyrio exstinctus, ad finem haud perducere posset, ipse Eusebius vltimam adhibuit manum. Sic et alii eiusmodi partes, Origenem defendendi, impleverunt, Didymus Alexandrinus, Ioannes Hierosolymitanus, Euagrius Ponticus, Palladius, Isidorus, Rufinus et complures ex Aegyptiis monachis, qui Nitriæ montem incolebant. Inter recentiores auctores itidem dissensio est de Origenis doctrina. Nonnulli iis antiquioribus accedunt, qui in diiudicandis illius sententiis iusto seueriores fuerunt: eum multorum ac grauium errorum postularunt: immo condemnarunt, DIONYSIVS PETAVIVS, ** IO. HEN-

* *Origen. libr.* II. *cap.* 4. p. 198.
** *animaduersionib. ad Epiphanium hæres.* LXIV.

HENRICVS HORBIVS, * LVDOVICVS DOVCINVS. ** Alii pro ea pugnarunt illumque a vitiis atque erroribus, quorum adcusatus fuit, defendere tentarunt, cuiusmodi labore perfuncti sunt: IO. PICVS *Mirandulanus*, *** PETRVS HALLOIXIVS * atque alii. Sunt quoque, qui media incedunt via, et quamuis agnoscant et fateantur, eum amplexum esse sententias haud probandas, minus tamen illum acerbe perstringunt; aut in hæreticorum ordinem adscribunt; sed simul laudibus, quibus per eruditionem et merita in rem christianam dignus est, ornant; nec quæ iustam habent excusationem, prætermittunt. Ex horum numero memorandi sunt: IO. MEISNERVS, ** NATALIS ALEXANDER, *** PETRVS DANIEL HVETIVS, * GVIL. CAVEVS ** et IO. ALBERT. FABRICIVS. *** Inter veteres SVLPICIVS SEVERVS dixit: *ego miror, vnum eumdemque hominem tam diuersum a se esse potuisse, vt in ea parte, qua probatur, neminem post apostolos habeat æqualem; in ea vero, qua iure reprehenditur, nemo deformius doceatur errasse.* * Hinc illud apud CASSIODORVM: ** *vbi bene, nemo melius: vbi male, nemo peius.* Id satis manifestum est, reperiri in eius scriptis, quæ erronea sunt; nec probari possunt. Omnes hominum animas simul a deo conditas esse hocque nomine istas iam exsistere, antequam corpora earum formentur, existimauit, quod non solum Hieronymus, Augustinus, Epiphanius testantur; sed etiam ex Origene ipso id patet. Eum porro pœnarum inferna-

* in *historia Origeniana; siue de vltima origine et progressu hæreseos Origenis tractatu*, edito anno MDCLXX.
** in *histoire des mouuemens arriuez dans l'eglise au suiet d'Origene et de sa doctrine*, quæ Parisiis ann. MDCC. in lucem prodiit.
*** *dissertat. de salute Origenis* p. 131. *oper.*
* in *Origene defenso.*
** *tractat. historico-theologico de Origene et Origenianis*, qui iterum Vitemberg. anno MDCCXII. prodiit.
*** *histor. ecclesiast. secul.* III. *dissertat.* 16. sq. p. 701.
* *Origenian. libr.* II. *cap.* 2 sqq. p. 27.
** *histor. litter. scriptor. ecclesiast. tom.* I. p. 114.
*** *bibliothec. græca libr.* V. *cap.* I. p. 215.
* *dialog.* I. *cap.* 6
** *institut. diuinar. litterar. cap.* I.

fernalium et felicitatis cælestis tempus, certis terminis circumscriptum, statuisse, itidem constat; nec negandum est, quod Pelagio viam parauerit et docuerit illius erroribus similia: quod alias sententias, scripturæ sacræ haud consentaneas, prodiderit. Sed tamen propter dogmata hæc Origenes minus iure in hæreticorum numerum referri potuit; aut damnari, quoniam is pro hæretico habendus est, qui in principalibus doctrinæ christianæ capitibus a veritate discedit et errores pertinaciter defendit et disseminare adnititur, cuiusmodi factum esse ab Origene, minime dicendum est. Disputationes enim de doctrina eius enatæ sunt, quum in viuis esse, iam desiisset. Immo licet in quibusdam a veritate aberrauerit; in aliis tamen, quæ itidem obiiciuntur, eum excusandum esse, docti viri iudicarunt. Nec iustas caussas adesse, eum excusandi, diffitebitur, qui rem sine partium studiis diiudicare et expendere velit, nonnulla commodam admittere interpretationem, si æquus lector accedat: alia hæreticorum fraude esse interpolata: alia philosophorum et hæreticorum principiis consentanea ab eo tantum proponi; non adfirmari ac statui: ipsos immo illius libros, in quibus præcipue errores notantur, in priuatum amicorum vsum esse compositos; nec ab ipso Origene; sed ab aliis in lucem editos. Quæ quum ita sint, haud difficulter intelligendum est, qualis sit ratio controuersiæ de Origenis orthodoxia; et simul luculenter videndum, quid prauæ cupiditates in certaminibus theologicis efficere possint. Scriptoribus, hac de re iam memoratis, addendi sunt: CASPAR SAGITTARIVS * et IO. FRANCISCVS BVDDEVS. **

METHODIVS dicitur ille ab EPIPHANIO *** ἀνὴρ λόγιος καὶ σφόδρα περὶ τῆς ἀληθείας ἀγωνισάμενος, *vir multum doctus et acerrimus veritatis patronus;* in eius tamen scriptis; aut horum reliquiis, quæ ad nos peruenerunt, effata minus probanda inueniuntur. Quæ vbi ab ipso Methodio profecta; nec ab aliena manu addita sunt, satis

* *introd. in histor. ecclesiastic.* p. 1113.
** *isagog. ad theol. vniuers. libr.* II. *cap.* 7. §. 3. p. 1005. sq.
*** *hæres.* LXIV. *num.* 63. *tom.* I. *oper.* p. 591.

ſatis dilucide teſtantur, iſtum nonnumquam a veritate aberraſſe. Scripſit librum de *reſurrectione*, in cuius fragmentis, quæ apud EPIPHANIVM * longiora habemus, traditur, quod poſt reditum mortuorum ad priſtinam vitam, pii et ſancti homines in his terris domicilia ſua habere debeant: quod dæmones cum filiabus mortalium rem veneream exercuerint, quemadmodum IO. DALLAEVS ** et SAMVEL BASNAGIVS *** iam obſeruarunt. De Methodii *ſympoſio decem virginum* idem BASNAGIVS * monet, illud benignum potius; quam adcuratum lectorem poſtulare, quum in eo duriora et aperte falſa occurrant. Inter alia fingitur dei filius, cum Adamo ita coniunctus fuiſſe, vt vere chriſtus extiterit, huiusque ſententiæ probandæ cauſſa hæc inanis ratio additur: *erat enim decentiſſimum, antiquiſſimum æonum et primum archangelorum, verſari cum hominibus volentem, in antiquiſſimum et primum hominum Adamum inſinuari in eoque habitare.* Ex opere eius de *creatis* PHOTIVS ** hanc ſententiam refert, filium eſſe omnipotentem et inuictam manum patris, qua materiam, ex nihilo prius creatam, poſtea perficiat; ſiue exornet; quam autem illis, qui de trinitate non recte ſentiunt, fauere; aut ad eorum errorem facile accommodari poſſe, quis non videat? Præterea IO. DALLAEVS *** in falſis eius doctrinis numerat, quod prouidentia dei tantum ad cauſſas vniuerſales pertineat et res particulares curandæ angelis traditæ ſint. Quæ et alia poſtquam in Methodio, Origenis hoſte, notauerat, ſubiungit: *quas ſane ſententias qui recte expenderit, non minus pernicioſas ſcripturæque aduerſas iudicabit; quam eas ipſas, quas in Origene notat atque reprehendit.*

DIONYSIVS *Alexandrinus* erroris inſimulatus eſt, quem Arius cum ſectatoribus ſuis longe lateque propagauit; cum autem de trinitate et ſpeciatim de diuinitate iesu chriſti recte ſen-

* *hæreſ.* LXIV. *num.* 12. ſqq.
** de *vſu patrum libr.* II. *cap.* 4. p. 265.
*** *annal. polit. eccleſiaſt. tom.* II. p. 465.
* *dicto loco.*
** *biblioth. codic.* CCXXXV. p. 938.
*** *cit. loco.*

senſiſſe, eruditi viri monſtrarunt et iam ſupra a me obſeruatum eſt: adde: STEPHANVM LE MOYNE, * SAMVEL. BASNAGIVM, ** et FLEVRY. *** Num idem Dionyſius in controuerſia de baptismo hæreticorum partes Cypriani amplexus ſit; nec ne? diſputatur. Adfirmat id HIERONYMVS et ita ſcribit: * *Dionyſius, Alexandrinæ vrbis epiſcopus, in Cypriani et Africanæ ſynodi dogma conſentiens de hæreticis rebaptizandis, ad diuerſos plurimas miſit epiſtolas, quæ vsque hodie exſtant.* Cuius teſtimonii auctoritate freti inter recentiores HENRICVS VALESIVS, ** ANTONIVS PAGIVS *** et GVIL. CAVEVS * itidem exiſtimant, Dionyſium hunc a Cypriani atque aliorum Afrorum et orientalium ſententia de baptismo hæreticorum haud alienum fuiſſe. Alii tamen ab his diſſentiunt ac contendunt, Dionyſium Cypriani ſententiam haud probaſſe; nec baptismum, ab hæretico adminiſtratum, plane reieciſſe. Rationes, quibus vtuntur, non contemnendæ ſunt; ſed ſententiam hanc omnino probabilem reddunt. Refert iſtas SAMVEL BASNAGIVS. **

EVSEBIVS *Cæſarcenſis*, de cuius doctrina multa diſputata eſſe, conſtat. Antiquiori æque ac recentiori æuo fuerunt, qui eum e numero doctorum, recte ſentientium, eximerent atque Arianis adnumerarent; immo pro principe Arianæ factionis habere, haud dubitarent. Inter veteres præſertim HIERONYMVS animaduerſionem cenſoriam eamque iniquam et acerbam aduerſus illum adhibuit. Recentiore ætate eum inprimis IO. CLERICVS Ariani erroris arguit; *** præter eum autem alii eamdem fecerunt adcu-

* *not. ad varia ſacra* p. 235.
** *annal. polit. eccleſiaſt. tom.* II. p. 340.
*** *hiſtoire eccleſiaſtiqu. tom.* II. p 343.
* de *viris illuſtrib. cap.* LXIX.
** *adnotat. in libr.* VII. *Euſebii hiſtor. eccleſ. cap.* 5. p. 141.
*** *critic. in annal. Baronii ad annum* CCLVI. *num.* 12. *tom.* I. p. 263.
* *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſtic. tom.* I. p. 124.
** *annal. politico-eccleſiaſt. tom.* II. p. 341.
*** *vita Euſebii tom.* X. *bibliothequ. vniuerſ.* p. 380. et *epiſtol. critic. num.* II. p. 30.

adcuſationem, vt DIONYSIVS PETAVIVS,* HENRICVS NORISIVS, ** CHRISTOPH. SANDIVS atque alii. Quam ſententiam vt probent, variis vtuntur argumentis; nec ſolum ex Euſebii libris ea adferunt effata, quae Arianismum ſapiant; ſed prouocant quoque ad Hieronymum, veluti locupletem rei huius teſtem: ad ipſum Arium, qui Euſebium inter erroris ſui fautores retulerit apud THEODORETVM: *** ad conſtantem illius amicitiam cum Arianis adduntque, quod ſe ab Athanaſio alienum monſtrauerit; nec in *hiſtoria* ſua *eccleſiaſtica* res contra Arianos geſtas perſequutus ſit. Alii cauſſam Euſebii egerunt atque adfirmarunt, fieri illi iniuriam, vbi in Arianorum ordinem adſcriberetur; aut ſaltem eum excuſandum eſſe, arbitrati ſunt, ex quibus memoraſſe, ſufficiat: ABR. CALOVIVM,* HENRICVM VALESIVM, ** GEORGIVM BVLLVM,*** SAM. BASNAGIVM,* inprimis GVIL. CAVEVM. Hic enim ſingularem *diſſertationem de Euſebii Caeſareenſis Arianismo* aduerſus Io. Clericum ſcripſit. ** Rationes, quae ad Euſebii defenſionem adhibentur, non omni pondere carent, et vbi cum argumentis eorum conferantur, qui doctorem hunc Arianis adnumerant, maiorem probandi vim produnt. Certe ſi vocabulum *Ariani* ſententia ſtrictiore accipitur, ita vt per illud ſignificetur is, qui ipſius Arii errores proprios adprobat, pro eiusmodi Ariano Euſebius haberi haud poteſt. Primum enim in ſcriptis eius plurima habemus effata, quae Arianismo, proprie ſic dicto, plane repugnant. Adpellat chriſtum *αὐτοθεὸν*, *per ſe deum, vnigenitum ſermonem: deum ex deo genitum.*** Diſerte

* *theologic. dogmat. de trinitat. libr.* I. *cap.* II. et 12. *tom.* II. p. 47.
** *diſſertat. de ſynodo quinta cap.* XIII. *tom.* I. *oper.* p. 801.
*** *libr.* I. *hiſtor. eccleſ. cap.* 5.
* *confeſſion. martyrum tom.* II. *ſcriptor. anti-Socinian.* p. 518.
** *diſſertat. de vita ſcriptisque Euſebii*, huius *hiſtor. eccleſiaſt.* praemiſſa.
*** *defenſionis fidei Nicaenae* variis locis.
* *tom.* II. *annal. politico-eccleſiaſt.* p. 734. et 770.
** quae eiusdem *hiſtor. litterar. ſcriptorum eccleſiaſticor.* ſubiecta eſt.
*** *orat. de laudib. Conſtantin. cap.* XII. p. 639. ſq.

ſerte profitetur, ſe reiicere eos, qui *τὸν λόγον κτίσμα*, vel *ἐξ ἐκ ὄντων* dicere auſi ſint, * cuiusmodi loca antea laudati Euſebii defenſores plura alia memorant, præſertim CAVEVS. ** Merito ex illis conficitur, eum a propria Arii opinione alienum fuiſſe. Accedit, quod licet *homouſii* vocabulo primo vti dubitauerit; poſtea tamen, quum rem adcuratius expenderit, in ſynodo Nicæna dogmata Ariana expreſſe damnauerit eiusque ſymbolo poſt longam cauſſæ disquiſitionem ex animo ſubſcripſerit. Qui eum ſimulationis adcuſant ac ſubſcriptionem doloſe factam eſſe, contendunt, minus id probare poſſunt; nec leuiter leges amoris et æquitatis violant. Quam falſum: quam iniquum hoc ſit, ex *epiſtola* eius *ad Cæſareenſes* ſatis luculenter patet apud GELASIVM *Cyzicenum*, *** SOCRATEM * et THEODORETVM. ** At vero vbi nomen *Ariani* latiori ſenſu ſumitur et per id intelligitur, qui non omnia, ad dogma de trinitate pertinentia, recte tradit, Euſebius quidem Arianis adſcribi poteſt; eiusmodi autem vſus vocis *Ariani* non eſt probandus. Minus enim negandum eſt, in ſcriptis eius, cum ante; tum poſt ſynodum Nicænam editis, deprehendi duriores et periculoſas dicendi formas, quæ indicant, tres diuinitatis perſonas gradu tantum inter ſe differre. Patrem et filium haud eſſe æquales, *** pronuntiat ac dicit: *ἐδὲ γὰρ ἰσοτίμες ἀυτὰς ὁρίζόμεθα, nam neque illas*, hypoſtaſes patris et filii, *honore pares ponimus:* eadem quoque ratione filium adorandum eſſe, qua pater adoratur, ibidem negat. Præter ea, quæ de trinitate haud recte atque adcurate docuit, alias falſas ſententias tribuit ei ABR. SCVLTETVS, * quod ſcripſerit, *totum hominem ab ipſius dei natura abſorptum eſſe et rurſus deum fuiſſe, deum verbum, cuiusmodi etiam fuerit, antequam*

* *libr.* 1. *de eccleſiaſt. theol. cap.* 9. et *libr.* III. *cap.* 2.
** non ſolum dicta *diſſertatione;* ſed etiam *antiquitat. patr. et eccleſiaſt. tom.* II. p. 178. ſqq.
*** in *actis concilii Nicæni* II. 35. ſq.
* *libr.* I. *hiſtor. eccleſiaſt. cap.* 8.
** *libr.* I. *hiſtor. eccleſiaſt. cap.* 12.
*** *libr.* II. *de eccleſiaſtic. theolog. cap.* 7.
* *medull. theolog. patrum* p. 871.

quam homo fieret: quod defenderit cælibem vitam ſacerdotum atque exiſtimauerit, preces populi, pro anima defuncti imperatoris Conſtantini ad deum factas, eſſe laudandas: Eſſenos fuiſſe chriſtianos: plures extitiſſe apoſtolos, quam duodecim: Philippum auguſtum chriſto nomen dediſſe, cuiusmodi nonnulla alia memorat, quæ autem omnia nec eiusdem momenti; nec aperte vitioſa ſunt, ſi quidem rite intelligantur.

ATHANASIVS, qui a nonnullis variorum errorum adcuſatur, tribuiſſe eum homini naturali in rebus ſpiritualibus plus, quam par ſit, atque exiſtimaſſe, ſanctos eſſe inuocandos, quia deus in illis habitet: Adamum ac ceteros ante chriſti aduentum ſalutis haud participes factos eſſe: nonnullos, legem naturalem ſeruando, deum ſibi propitium reddidiſſe: ſacramenta veteris teſtamenti tantum ſignificaſſe; non contuliſſe gratiam: fieri hominis iuſtificationem diuerſam variamque. Numerus huiusmodi næuorum iuſto amplior conſtituitur huiusque rei cauſſa eſt, quia non omnia Athanaſii effata recte explicantur; vel teſtimonia ex iis libris ſumuntur, quorum ille haud auctor eſt. Eum enim putaſſe, ſanctos eſſe inuocandos, quoniam deus in illis habitet, verba, quæ producuntur, tantum abeſt, vt probent; vt contrariam indicent ſententiam. Quum enim diſputat aduerſus eos, qui adfirmant, chriſtum eſſe hominem et deum in eo tantum habitare, ac monet, hac ratione inter chriſtum et nos nullum eſſe diſcrimen, vtitur argumento κατ᾽ ἄνθρωπον hæcque ſubiicit: *quapropter ſi adoras hominem chriſtum, eo quod ibi inhabitet dei verbum, vna opera adora quoque ſanctos, ob deum, qui in illis domicilium habet.** Eum porro varia iuſtificationis genera ſtatuiſſe, itidem haud planum fieri; nec probari poteſt. Quod hanc in rem producunt, teſtimonium nullius eſt momenti. Agit ibi Athanaſius non de iuſtificatione; ſed de perfecta et plena ſeruatoris noſtri redemtione. Dicit enim: *quapropter peccati condemnationem in terra: piaculi; ſiue exſecrationis abolitionem in ligno: corruptionis*

 redem-

* de *incarnation. verbi dei tom.* I. *oper.* p. 593.

redemtionem in ſepulcro: mortis condemnationem in inferno peregit. * Recte hæc aduerſus ARNOLDVM obſeruata ſunt in HENRICI KLAVSINGII *diſſertatione de Athanaſio vindicato.* ** Sed quamuis Athanaſius ſine cauſſa errorum quorumdam adcuſetur; nonnullas tamen in ſcriptis eius ſententias deprehendimus, quæ iure ei tribuuntur; nec ſatis adcuratæ ac rectæ ſunt. De libero hominis arbitrio in rebus ſpiritualibus ita loquitur, vt ſignificare videatur, nobis omnino facultatem naturalem relictam eſſe, ea ſuſcipiendi et peragendi, quæ deo placeant et grata ſint. De anima pronuntiat, quod *poſſit, vt ad bona ſe inclinare; ita bona quoque auerſari,* et addit: *quum liberum ſui ius arbitriumque intuetur et ſentit, ſe in vtramque partem corporeis membris vti poſſe, tum ad bona; tum ad mala.* *** Verba hæc ſi quis de animæ facultate, ad res naturales et externas; non ſpirituales atque internas relata, intelligere atque Athanaſium defendere velit; ei haud repugno; quamuis minus ſit negandum, illum liberam animæ humanæ facultatem nec diſtincte; nec adcurate explanaſſe. Duriora hac de re videntur, quæ alibi ita ediſſerit: *poſſunt, ſicuti mente auerſi alienatique ſunt a deo, dum, quæ non ſunt, pro numinibus fingunt; ita intellectu animi ſeſe euehere et iterum conuerti ad deum.* * Hæc enim ita expreſſa ſunt, vt ex illis facile ſit colligendum, Athanaſium exiſtimaſſe, quod homo propriis viribus ſe emendare et ad deum conuertere queat. Quum porro ** eorum mentionem facit, *qui deo per legem naturæ placuerint,* minus recte ac caute hæc dicta ſunt; nec mitiorem admittunt interpretationem; minus autem ex illis iuſta fieri poteſt adcuſatio contra Athanaſium, quod iuſtificationem legi eiusque operibus tribuerit. Aliis locis diſerte docuit, nos non alia ratione; niſi per ſolam fidem in ieſum chriſtum, criminum noſtrorum veniam a deo conſequi poſſe. De corpore chriſti non ſatis commode loquu-

* de *incarnation. chriſt. tom.* I. *oper.* p. 618.
** p. 10. et 13. Lipſ. MDCCXXIV.
*** *oration. contra gentes tom.* I. *oper.* p. 5.
* *cit. loc.* p. 37.
** de *ſalutar. aduentu chriſti tom.* I. *oper.* p. 641.

loquutus eſt, quoniam adfirmauit, fuiſſe *illud mortale* et *ad ſimilitudinem ſui generis mortem excepiſſe; propter inhabitans* autem *dei verbum expers corruptionis extitiſſe.* * De doctrina Athanaſii expoſuerunt monachi Benedictini *præfatione*, quam illius *operibus* ** præmiſerunt.

CYRILLVS *Hieroſolymitanus* itidem dicendi formis vſus eſt durioribus tradiditque ſententias non ſatis veras atque adcuratas. Exiſtimat, angelos adhuc legem diuinam violare atque a deo veniam peccatorum impetrare: *neſcimus*, inquit, *quanta deus et angelis condonauerit. Indulget enim et illis.* *** De anima dicit: *αὐτεξούσιός ἐστιν ἡ ψυχή*, *ſui iuris ſuique arbitrii eſt anima;* * eum autem liberam facultatem, quam animæ tribuit, non ſolum de rebus externis ac ciuilibus; ſed etiam internis ac ſpiritualibus intelligere, ex ſequentibus haud obſcure patet. Baptismum hæreticorum non eſſe legitimum, exiſtimauit hancque ſententiam his verbis prodidit: *ſoli hæretici rebaptizantur, ſiquidem prius illud non erat baptisma.* ** Ipſi baptismo abſolutam neceſſitatem tribuit, ita vt crediderit, ſine iſto neminem, niſi martyrem, ad ſempiternam felicitatem peruenire poſſe. Expreſſe enim ſcribit: *ſi quis non baptizatur, ſalutem non habet, præter ſolos martyres, qui vel ſine aqua regno cæleſti potiuntur,* *** ac cum aliis veteris eccleſiæ doctoribus ſtatuit, baptismum ſanguinis; ſiue martyrium, tantam vim habere, vt per illum omnes animæ ſordes ſint eluendæ. Exorcismos vtiles: immo neceſſarios eſſe, his indicat verbis: *absque exorcismis anima purgari non poterit.* * Signum crucis magna virtute eſſe præditum, ſibi perſuaſit eamque his verbis commendauit: *ne chriſti crucem erubescamus; ſed ſi quis alius abſcondat, tu palam ad frontem obſignato, vt dæmones regium ſignum intuentes, tremuli procul aufugiant. Signo autem iſto vtere, tum edens*

 ac

* de *incarnation. verbi dei tom.* I. *oper.* p. 73.
** MDCXCVIII. in lucem editis.
*** *catechef.* II. §. 6. p. 26. edit. MILLES.
* *catechef.* IV. §. 14. p. 58.
** *præfation. ad catechef.* §. 4. p. 6.
*** *catech.* III. §. 7. p. 39.
* *præfat. ad catechef.* §. 5. p. 7.

ac cubans, de lecto surgens, loquens, ambulans, et vt semel dicam, in omni negotio. *

BASILIVS *magnus*, in cuius scriptis etiam non omnia recte atque adcurate pronuntiata sunt. IO. DALLAEVS ** obseruat, eum tradidisse, hæreticos, vbi ad verum christianorum cœtum se conferrent, iterum salutari aqua esse abluendos ac qui vsque ad mortem volentes peccent, igne purgandos. DIONYSIVS PETAVIVS *** diserte dicit, in *Basilii epistola ad Amphilochium* * contineri *multa mirifica et si verum quærimus, parum catholica.* Notat quoque ABR. SCVLTETVS ** varias illius sententias, quæ a veritate sint alienæ. Nec negari potest, in monimentis, a magno hoc antiquiori doctore relictis, nonnulla inueniri, quæ parum commode ac recte dicta sint. Baptismum Ioannis non eamdem dignitatem atque excellentiam habuisse cum baptismo christi, adfirmat; qualis autem inter vtrumque fuerit differentia, non distincte explicat. *** Deum longe ante hunc mundum, quem videmus, alium, ab oculis nostris remotum atque angelorum domicilium, produxisse, tradit. * Quando porro discrimen constituit inter vitia corporis atque animi hæcque illis grauiora esse, putat, sententiam suam ita exprimit, vt ista pro dicendi modo, quo vtitur, non penitus sit probanda. Verba enim eius sunt: *quanto corpus inferius est dignitate, quam anima; tanto minus est vitium, quod per corpus admittitur, quam quod per nudam perpetratur animam. Nam ibi quidem necessarius et naturalis cibus atque adpetitus ad gulam; seu fornicationem per adiunctas sibi voluptates corpus omne titillat; hic absque vlla corporali voluptate sola peruersione voluntatis vitia in animam influunt.* **

GREGO-

* *catech.* IV. §. 10. p. 54. adde *cateches.* XIII. §. 18. p. 184.
** de *vero vsu patrum libr.* II. *cap.* 4. p. 268.
*** *not. ad Epiphanium* p. 341.
* *canon.* 1.
** *medull. theolog. patr.* p. 1204.
*** *libr.* 1. *de baptismo cap.* 2. *tom.* 1. *oper.* p. 559.
* *homil.* 1. *in hexaemer. tom.* 1. p. 6.
** de *vera virginitate tom.* 1. *oper.* p. 660.

GREGORIVS *Nyssenus* in monimentis suis, ad nos delatis, non solum adhibuit loquendi modos duriores; nec ad rem adcurate exprimendam satis aptos; sed etiam sententias amplexus est aperte falsas. Scripsit ἀντιῤῥητικὸν πρὸς τὰ Ἀπολλιναρίου, *antirrheticum aduersus Apollinarem*, quod opus primus e codice Vaticano antiquissimo iuris publici fecit cum versione et notis LAVRENTIVS ALEXANDER ZACAGNIVS. * Disputat quidem adcurate et solide contra Apollinarem; nonnumquam tamen ita loquitur, vt ipse a recta via et vera doctrina deflectere videatur. Hypostaticam enim diuinæ et humanæ naturæ in christo vnitionem μίξιν, *mixtionem*, σύμμιξιν, *commixtionem*, σύγκρασιν, *temperationem* cum in excitato opere; tum passim in aliis scriptis vocat; præterea autem, quando de vtriusque naturæ coniunctione differit, humanam, vilem abiectamque naturam, ita a diuina adsumtam dicit, vt ab huius immensitate illam absorptam, abolitam atque exstinctam fuisse, adfirmare videatur. Simili ratione de christi gloria post adscensionem in cælum tam magnifica verba facit, vt facile quis suspicari possit, ipsum nullam humanæ carnis substantiam atque proprietatem in glorificato christi corpore agnouisse. Ita rem obseruat paullo ante memoratus ZACAGNIVS; ** simul autem mitiorem instituit interpretationem atque id agit, vt Nyssenum suspicione erroris, quo postea Eutyches implicitus fuit, liberet. Idem ecclesiæ græcæ doctor Origenem sequutus, suppliciorum, quibus damnati in inferno adfliguntur, finem et omnium rerum ἀποκατάστασιν, siue restitutionem in pristinum statum, adfirmat, vt IO. DALLAEVS *** pluribus ostendit: adde CASIMIR. OVDINVM. * Negat porro, *infantem sanitatis, quæ per purgationem contingit, indigere*, ὅτι μηδὲ τὴν ἀρχὴν τὴν νόσον τῇ ψυχῇ παρεδέξατο, *quia nec ab initio quidem prorsus in animum mor-*

* in *collectaneis monumentorum veterum ecclesiæ græcæ ac latinæ* p. 123. sqq.
** *præfation. collectan.* §. XX. et XXI. p. 21. sq.
*** de *pœnis et satisfactionib. humanis libr.* IV. *cap.* 7. p. 368.
* *comment. de script. ecclesiast. tom.* I. p. 587.

bum admisit. * Effatum hoc veræ doctrinæ de peccato originis haud conuenit hocque nomine DANIEL WHITBY Gregorium quoque Nyssenum in illis veteris ecclesiæ doctoribus numerat, qui, vt censet, negarunt, infantes peccati Adamitici reos esse; aut labem vllam ab origine traxisse, quæ ipsos iræ diuinæ obnoxios reddat. ** De christo, homine facto, tradit, non necesse fuisse, vt humanam naturam sibi iunxisset, si omnes mortales tales essent, quales Elias, Iesaias et Ezechiel fuissent, *** quæ ita dicta sunt, vt minus possint probari. Liberum arbitrium homini naturali maius; quam par est, tribuere videtur, * ac de coniugio sentit, eo haud opus fuisse ad propagandum genus humanum, si primi homines haud peccassent. ** De signo crucis pronuntiat, quod *malis opem ferat et remedium,* *** quod *nidoribus inquinatum aera expiet ac lustret.* * Gregorium hunc nullum reliquisse testimonium de transsubstantiatione, quemadmodum romanæ ecclesiæ addicti sibi persuadent, copiose ostendit EDMVNDVS ALBERTINVS. **

GREGORIVS *Nazianzenus* non alienus fuit ab errore Origenis de fine pœnarnm infernalium. De iis, qui gratiæ diuinæ participes fiunt, ita loquitur, vt illis diuinitatem quamdam adscribere videatur: *si spiritus sanctus,* inquit, *deus non est, deus prius efficiatur atque ita demum me æqualem suum, deum efficiat;* *** hæc autem durius, quam par est, dicta esse, quisque facile videt. Homini naturali relictum esse liberum arbitrium, in rebus quoque spiritualibus, haud obscure significat, quando dicit: *liberam voluntatem haud quaquam sperno; sed vtrumque statuo, nimirum et naturæ ad bonum facilitatem atque aptitudinem et animi*

---

* de *infantibus, qui præmature abripiuntur tom.* II. *oper.* p. 761.
** *tract. de imputatione diuina peccati Adami cap.* VI. §. 14. p. 102.
*** *aduers. Apollinarem tom.* II. *oper.* p. 695.
* *orat. de mortuis tom.* II. *oper.* 1066.
** de *hominis opificio tom.* I. *oper.* p. 89 sq.
*** in *orat. aduersus eos, qui differunt baptismum, tom.* I. *oper.* p. 956.
* *arat. de Placilla tom.* II. *oper.* p. 980. adde IO. DALLAEVM *de vero vsu patrum libr.* II. *cap.* 4. p. 269.
** *libr.* II. *de eucharist. cap.* 2. p. 483.
*** *orat.* XXIV. *tom.* I. *oper.* p. 429.

animi voluntatem, naturalem illam aptitudinem ad bonum ducentem quumque agit de variis generibus eunuchorum spiritualium hæc addit: *at tu, rationem tibi insitam mouens ac virtutis igniculum per arbitrii libertatem exuscitans, te ipsum exsecuisti, radicem excidisti, vitii instrumenta depulisti, tantum tibi virtutis habitum comparasti, vt iam ad vitium ferri propemodum nequeas. Quam ob rem hanc quoque exectionem laudandam censeo.* * Næuis iam memoratis et hic merito adnumeratur, quod existimauerit, non tam legis diuinæ, quam prudentiæ rationem postulare, vt salutis nostræ caussa rebus caducis nuntium mittamus, ** quemadmodum recte monuit IO. BARBEYRACIVS. ***

DIDYMVS falsa dogmata varia tradidit ac præsertim Origenem sequutus statuit, a damnatis finem pœnarum infernalium exspectandum esse. Quum disputaret aduersus Manichæos, ad alterum extremum prolapsus, homini, gratiæ diuinæ experti, tribuit liberam voluntatis facultatem, ea, quæ vere bona sunt, adpetendi ac vere mala auersandi. Quando apostolus dicit, nos esse *natura filios iræ,* * vocem *natura* explicat per *vere* ac censet, Paullum indicare, nos esse per prauas actiones iræ diuinæ obnoxios; ita autem peccatum originis negare; aut extenuare videtur. De omnium librorum diuinorum auctoritate canonica se haud certum fuisse, significauit. Animarum præexistentiam non tam ipse probauit; quam aliorum de ea sententiam retulit: confer IACOB. BASNAGIVM, ** qui copiosius de Didymi erroribus exponit.

MACARIVS statuit, animas atque angelos iuncta sibi habere corpora subtilia et tenuia. *** Resurrectionem

Ll 5 corpo-

* *oration.* XXXI. *tom.* I. *oper.* p. 508.

** *orat.* III. p. 94.

*** *præfation.* quam *versioni gallicæ operis Pufendorfiani de iure naturæ et gentium* præmisit, p. 46. et in *traité de la morale des peres de l'eglise cap.* XII. §. 64. p. 202.

* *Ephes.* II, 3.

** *animaduersionib. ad Henrici Canisii lection. antiquar. tom.* I. p. 199. sqq.

*** *homil.* IV. §. 9. p. 48. et de *eleuation. ment. cap.* VI. p. 114. *opuscul.* quod etiam in PETRI POSSINI *thesauro ascetico* p. 121. obseruatur.

corporum tribuit igni, qui ſit in corde noſtro: *corpus hoc, inquit, familiare, quod poſt diſſolutionem in cœnum vertitur, reficit et reuocat ignis cæleſtis et reſuſcitat corrupta corpora. Interior enim ille ignis, cordi noſtro inhabitans, tunc emergit facitque reſurrectionem corporum.* * Homini tantam præſtantiam adſcribit, vt fere haud dubitet, adfirmare, illum eſſe excellentiorem bonis angelis, eam ob cauſſam, quoniam deus de Michaele; aut Gabriele haud dixerit: *faciamus ad imaginem et ſimilitudinem noſtram:* ** Viribus naturæ, quibus homines poſt lapſum valent, plus; quam decet, tribuere videtur, quum adfirmat, in voluntate hominis poſitum eſſe, vt conuertatur ad id, quod bonum; aut quod malum eſt, atque addit: *liberum habent arbitrium, vt conuertantur et faciant, quidquid placuerit, in hoc ſeculo.* *** Apoſtolos non potuiſſe peccare, quia lumine et gratia præditi fuerint, apud eum legimus. * Hominem ad eiusmodi perfectionis gradum peruenire poſſe, vt animus fiat vacuus ab omni perturbatione et adfectu, docet. **

CHRYSOSTOMVS, qui quum per nimium eloquentiæ ſtudium in explicandis argumentis diuinis ſimplicem planamque dicendi rationem negligeret, multa ea ratione ediſſeruit, vt facile ad peruerſas ſententias trahi poſſint. Fatetur hoc ipſe DIONYSIVS PETAVIVS ac *multa ſunt,* inquit, *a ſanctiſſimis patribus, præſertimque a Chryſoſtomo in homiliis adſperſa, quæ ſi ad exactæ veritatis regulam adcommodare volueris, boni ſenſus inania videbuntur. Quippe declamatorio illo more ad imperitam fere multitudinem, exaggerandi cauſſa; et ſubito quodam impetu dicendi ac calore profuſa feruntur plerumque licentius. Vnde ex aliorum comparatione locorum; vel conciliorum potius ac patrum temperanda et in gyrum veritatis reuocanda ſunt.* *** In ſcriptis eius ea leguntur. quæ ſatis dura ſunt; nec cum veritate, in

* *homil.* XI. §. 1. p. 133.
** *homil.* XV. §. 22. p. 205. et §. 43. p. 228.
*** *homil.* XV. §. 40. p. 224.
* *homil.* XXVII. §. 11. p. 378.
** libro de *oratione cap.* XI. p. 62. *opuſcul.*
*** in *animaduerſionib. ad Epiphanii hæreſin* LIX. p. 244.

in sacris litteris diuinitus patefacta, congruunt. Tradit enim, Dauidem psalmos, qui quinquagesimum proxime sequuntur, sine spiritu sancto scripsisse. Se non adcurata idoneaque scientia peccati originalis instructum fuisse, non obscure significauit, quum natura in nobis peccatum inesse, negat eoque infantes carere, dicit. Multis in locis naturalibus hominum viribus plus; quam decet, tribuit; nec de libero arbitrio rite exponit. Piorum animas ante tempus supremi iudicii ad sedem cælestem haud peruenire, putat et preces pro ipsis damnatis probat, quæ et alia, a Chrysostomo haud recte atque adcurate dicta, vberius enarrat IO. DALLAEVS. *

LACTANTIVS, qui præclarus quidem orator; minus autem philosophus ac theologus fuit ac multa tradidit, a veritate doctrinæ nostræ christianæ maxime aliena. Inter veteres HIERONYMVS ** eum non adeo aptum extitisse ad tradenda et confirmanda religionis nostræ dogmata, censet: *vtinam*, inquit, *tam nostra confirmare potuisset; quam facile aliena destruxit;* alio loco *** autem notat eius errorem de spiritu sancto. Immo quum in scriptis illius multæ sunt prauæ sententiæ, voluit episcopus romanus, vt ista in censu librorum apocryphorum haberentur. A recentioris ætatis auctoribus idem est obseruatum. ABR. SCVLTETVS, quum monuisset, Lactantium maiorem operam in falsis refutandis; quam in veris confirmandis posuisse, his addit: *ideo pauca fidei nostræ capita plene ab eo sunt exposita: pleraque tantum attigit: plurima non intellexit.* * Ac quamuis GEORGIVS BVLLVS id agat, vt Lactantium cum reliquis patribus, qui ante concilium Nicænum vixerunt, ab Arianismi labe purget; de eo tamen ita pronuntiat: *erat scriptor ille pone rudis disciplinæ christianæ et in rhetorica melius; quam in theologia versatus.* ** Ea ipsa, quæ in libris suis minus recte at-

que

* de *vero vsu patrum libr.* II. *cap.* 4. p. 273.
** *epist.* XII. *ad Paullinum.*
*** *epistol.* XLI. *ad Pammachium et Oceanum.*
* in *medull. theolog. patr.* p. 422.
** *defension. fidei Nicænæ sect.* II. *cap.* 14. §. 4. p. 170.

que adcurate tradidit, nec pauciora; nec cuncta leuiora ſunt; ſed deprehendimus in illis erronea, quæ ad ſumma religionis chriſtianæ capita ſpectant. De deo adfirmat, ab eo eſſe alienum, quemquam iuuare et opis aliquid in eum conferre: neminem eum ſic precari, vt adiuuet. * Eum negaſſe, ſpiritum ſanctum in diuinitate eſſe perſonam, eamque a patre et filio diſtinctam, teſtatur HIERONYMVS his verbis: *Lactantius in libris ſuis et maxime in epiſtolis ad Demetrianum ſpiritus ſancti negat ſubſtantiam et errore iudaico dicit, cum vel ad patrem referri; vel ad filium et ſanctificationem vtriusque perſonæ ſub eius nomine demonſtrari.* ** Iniuria quidem temporis *epiſtolæ ad Demetrianum*, ad quas Hieronymus prouocat, interciderunt; ex libris tamen Lactantii conſeruatis etiam haud obſcure patet, eum memorato errore de ſpiritu ſancto omnino implicitum fuiſſe. Loquitur enim de duabus tantum diuinitatis perſonis, patre et filio, et quamuis rei ratio, de qua exponit, poſtulaſſet, vt adderet ſpiritum ſanctum; huius tamen nullam mentionem facit. *** Quando porro de chriſto ſcribit: *docuit, quod vnus deus ſit, eumque ſolum coli oportere; nec vmquam ſe ipſe deum dixit, quia non ſeruaſſet fidem, ſi miſſus, vt deos tolleret et vnum adſereret, induceret alium, præter vnum,* * hæc Lactantii ignorantiam pariter et errorem haud leuiorem declarant. Quod chriſtus ſe ipſe numquam deum dixerit, falſum eſt et pugnat cum luculentis ſcripturæ ſacræ teſtimoniis. Ac quis adfirmaret, chriſtum eo nomine ſe haud adpellaſſe deum, ne præter vnum, alium induceret, niſi et ſimul diuinitatem chriſti vel tolleret; vel dubiam redderet? Quæ de angelis, a deo ad tutelam generis humani miſſis, habet, eos ſe mulierum congreſſibus inquinaſſe; nec ob peccata hæc in cælum receptos;

* *libr.* I. *inſtit. diuin. cap.* II. §. 40.

** non ſolum *epiſtola ad Pammachium*, paullo ante iam excitata, *tom.* IV. *oper. part.* 2 p. 345. edit. MARTIANAEI; ſed etiam *comment. in epiſtol. ad Galat.* IV, 5. *tom.* IV. *oper. part.* I. p. 268.

*** videmus hoc ex *libr.* IV. *inſtitut. diuin. cap.* 29. et *libr.* II. *cap.* 16. §. 8.

* *libr.* IV. *inſtitut. diuin. cap.* 14. §. 18.

tos; qui autem ex illis procreati sint, eos neque angelos; neque homines fuisse; sed mediam quamdam naturam gerentes, * itidem erroneam sententiam produnt, in quam et alii antiquæ ecclesiæ viri ingressi sunt, propter locum *genes.* VI, 2. male intellectum. Deum hominem finxisse mortalem et fragilem, adserit ** et de eodem tradit, illum ex rebus diuersis ac repugnantibus factum esse, sicut ipse mundus ex luce ac tenebris; ex vita et morte; hæc duo autem inter se pugnare: deum præcepisse, vt si anima superauerit, quæ ex deo oriatur, sit immortalis et in perpetua luce versetur; si autem corpus vicerit animam dicionique subiecerit, sit in tenebris sempiternis et in morte, *** quæ quam falsa et periculosa sint, haud difficili negotio intelligi potest, in primis quum paullo post * subiicit: *in hac societate cæli atque terræ, quorum effigies in homine expressa est, superiorem partem tenent ea, quæ sunt dei, anima scilicet, quæ dominium corporis habet; inferiorum autem ea, quæ sunt diaboli, corpus vtique.* Ita enim aperte animam ad deum; corpus autem ad diabolum refert. Inprimis grauissimum errorem prodidit, ** quando scribit, christum post reditum ad pristinam vitam *noluisse se iudæis ostendere, ne adduceret eos in pœnitentiam atque impios resanaret*, quæ sane aperte gratiæ diuinæ et merito saluatoris nostri vniuersali aduersantur. De libero hominis naturalis arbitrio ea docet, quæ non longe a Pelagianorum dogmate remota sunt: *vitam spiritualem*, inquit, *per nos ipsi adquirimus*, *** et alio loco: * *scientia alieni beneficii est, quia posita est in audiendo: virtus tota nostra est, quia posita est in voluntate, faciendi bona.* Deum non impios; sed solos iustos iudicaturum esse: omnes animas in vna communique custodia detineri, donec tempus aduesniat,

* *libr.* II. *institut. diuinar. cap.* 14.
** *libr.* VII. *cap.* 5. §. 15.
*** *libr.* II. *instit. diuin. cap.* 12. §. 7.
* §. 10.
** *libr.* IV. *instit. diuin. cap.* 20. §. 1.
*** *libr.* VII. *cap.* 5. §. 19.
* *libr.* VI. *cap.* 5. §. 6.

niat, quo maximus iudex actionum faciat examen: pios, quum in pristinam vitam sint restituti, per ignem repurgandos ac cum christo, ante iudicium extremum, in his terris regnaturos esse, adfirmat. *

Praeter haec, sunt alia, a Lactantio minus recte et adcurate dicta, quae non tantum ad ipsa religionis nostrae dogmata; sed etiam ad historiam et interpretationem scripturae sacrae pertinent. Ad carmina Sibyllina, tamquam monimenta germana, prouocat. ** De Hermete Trismegisto pronuntiat, eum veritatem paene vniuersam inuestigasse: virtutem maiestatemque verbi saepe descripsisse. *** Laudat porro et probat *praedicationem Petri et Paulli;* * quam tamen esse librum confictum, satis est apertum. Loca scripturae sacrae nec adcurate semper excitat; nec rite interpretatur. Se ignarum fuisse linguae ebraicae, documentis monstrauit, quae luce clariora sunt. Originem vocis *paschatis*, quae ebraea est, ducit ex Graecia huiusque verbo πάσχειν. ** Diem *sabbati* lingua ebraeorum a numero nomen accepisse; siue a voce שבע *septem*, putat; *** quum tamen satis constat, natum vocabulum hoc esse a verbo שבת *quieuit*. At vero licet haec atque alia in Lactantii scriptis inueniamus, a veritate aliena; aequitas tamen postulat, vt illius fiat excusatio, inprimis per studiorum rationem, quibus ingenium suum exercuit. In arte rhetorica atque aliis profanis litteris diutius et maiore industria versatus est, quam in sacris disciplinis. Qui praeterea obseruant, quaedam mollius explicari posse et nonnulla, ceteris Lactantianis dissimilia, ab aliis addita esse, non omni ratione carent, cur ita existiment. Quid multa? Errauit Lanctantius bona mente, ex mera ignorantia atque inconsiderantia; non malo eoque animo, vt falsas opiniones defenderet ac disseminaret. Disputari et potest: num Lactantius iure locum inter patres ecclesiae, stricte sic dictos, obti-

* *libr.* VII. *institut. diuin. cap.* 14. et 20. sqq.
** *libr.* VII. *cap.* 16. sqq.
*** *libr.* IV *cap.* 9. §. 3.
* *libr.* IV. *cap.* 21. §. 2.
** *libr.* IV. *cap.* 26. §. 40.
*** *libr.* VII. *cap.* 14. §. 8.

obtinere ac tueri poſſit? In notandis et percenſendis Lactantii erroribus ſtudia ſua collocarunt: IO. DALLAEVS,* *centuriatores Magdeburgenſes,*** CASIMIRVS OVDINVS,*** GOTTLIEB. STOLLIVS,* CHRISTOPH. AVGVST. HEVMANNVS,** IO. GEORG. GERET,*** adde: IO. DIETERIC. WINCKLERVM.*

OPTATVS *Mileuitanus*, apud quem habentur nonnulla, durius prolata, quam veritas et res chriſtiana permittit. De eccleſia atque apoſtolo Petro ea reliquit effata, quæ pontificis romani ſectatores non ſine ſpecie ad cauſſam ſuam ſtabiliendam trahunt. Eam eſſe, dicit, eccleſiam catholicam, quæ ſit in toto terrarum orbe diffuſa: Petrum fuiſſe primum romanorum epiſcopum, omnium apoſtolorum caput et hoc nomine Cepham adpellatum: habuiſſe illum perpetuos ſuos ſucceſſores:** meruiſſe, vt præferretur omnibus apoſtolis, et claues regni cælorum, communicandas ceteris, ſolum accepiſſe, *** eccleſiam eamque veram, de qua loquitur, certa membra ſua habere, epiſcopos, presbyteros, diaconos, miniſtros.* Quæ dicta quum LVDOV. ELLIES DV PIN recenſet, fauere iſta cauſſæ, pro qua pugnant pontificii, monet atque addit, Optatum ſatis oſtendere, epiſcopos presbyteris hosque diaconos ſuperiores eſſe ac romanam eccleſiam pro matre reliquarum haberi debere, propter Petrum, apoſtolorum caput.** Porro innuit Optatus, epiſcopos, quum lapſi fuiſſent,

* *libr.* II. de *vero vſu patrum cap.* 4. p. 266.
** *centur.* IV. p. 161.
*** *commentar. de ſcriptorib. eccleſiaſtic. tom.* I. p. 311.
* in *der nachricht von den leben, ſchriften vnd lehren der kirchenväter* p. 212.
** *præfatione ad Lactantii opera.*
*** *exercitatione*, qua exhibet *variorum de Lactantio eiusque theologia iudicia*, Vitembergæ MDCCXXII. ac *ſpecimine examinis theologiæ Lactantianæ in articulo de deo, abſolute conſiderato, filio et ſpiritu ſancto,* MDCCXXIII.
* *præfatione ad philologemata Lactantiana ſacra* p. 26. ſqq.
** *libr.* II. de *ſchismat. Donatiſtar.* §. 2. 3. p. 30. edit. DV PINII.
*** *libr.* VII. §. 3. p. 101.
* *libr.* II. §. 14. p. 39.
** *præfation. ad Optatum* §. II.

ſent, diſciplinæ pœnitentium haud ſubiectos eſſe. * Homini tribuit liberum arbitrium in rebus, quæ ad vitam ſpiritualem pertinent, ita vt ſignificet, ſe ab errore ſemi-Pelagianorum haud longe remotum fuiſſe. Dicit enim: *eſt chriſtiani hominis, quod bonum eſt, velle et in eo, quod bene voluerit, currere; ſed homini non eſt datum, perficere, vt poſt ſpatia, quæ debet homo implere, reſtet aliquid deo, vbi deficienti ſuccurrat, quia ipſe ſolus eſt perfectio et perfectus ſolus dei filius chriſtus.* ** Exorcismum valere ad malignos dæmones, ex hominibus eiiciendos, credidit ac ſcripſit, nullum hominem, quamuis chriſtianis parentibus naſcatur, mali ſpiritus eſſe expertem hocque nomine requiri, vt ille ante ſalutare lauacrum expellatur, quibus dictis addit: *hoc exorcismus operatur, per quem ſpiritus immundus depellitur et in loca deſerta fugatur.****

HILARIVS, in cuius monimentis varii ſunt errores. Princeps eorum ſpectat ad ſummum religionis noſtræ caput; ſiue ad doctrinam de chriſto. Exiſtimat enim, chriſtum pro nobis quidem mortem ſubiiſſe; humanam autem eius naturam nullo dolorum ac cruciatuum ſenſu adfectam eſſe. Patet id ex his illius verbis: *paſſus quidem eſt dominus ieſus chriſtus, dum cæditur, dum ſuſpenditur, dum crucifigitur, dum moritur; ſed in corpus domini irruens paſſio, nec non fuit paſſio; nec tamen naturam paſſionis exſeruit, dum et pœnali miniſterio deſæuit et virtus corporis ſine ſenſu pœnæ vim, pœnæ in ſe deſæuientis, excepit. Habuerit ſane illud domini corpus doloris noſtri naturam, ſi corpus noſtrum id naturæ habet, vt calcet vndas et ſuper fluctus eat, et non degrauetur ingreſſu; neque aquæ inſiſtentibus veſtigiis cedant, penetret etiam ſolida; nec clauſæ domus obſtaculis arceatur.* Paullo poſt addit: *homo ille de deo eſt, habens ad patiendum quidem corpus et paſſus eſt; ſed naturam non habens ad dolendum.* * Ac ne quis putet profecta hæc eſſe ex imprudenti animi impetu, ſciendum eſt, eadem et in aliis locis repe-

* *libr.* II. §. 25. p. 48.
** *libr.* II. §. 20. p. 43.
*** *libr.* IV. §. 6. p. 75.
* de *trinitate libr.* X. *cap.* 23. p. 1051. edit. Benedict.

repetita esse. Inter veteres errorem hunc iam notauit CLAVDIANVS MAMERTVS,* quem deinde alii, recentiore quoque ætate, sequuti sunt; nec sine caussa animaduersionem censoriam in Hilarium instituerunt. Quamuis enim nonnulli illorum, qui defensionem eius susceperunt, memorata verba de christi diuinitate intelligenda esse, contendant; ex istis tamen satis est perspicuum, Hilarium non de *diuinitatis*; sed *corporis virtute* loqui. Eum porro putasse, in morte christi diuinam naturam ab humana se disiunxisse, multi ex hoc eius effato colligere volunt: *clamor ad deum corporis vox est, recedentis a se verbi dei contestata dissidium. Denique cur relinquatur, exclamat, dicens: deus, deus meus, quare me dereliquisti? sed relinquitur, quia erat homo etiam morte peragendus.* ** Sed Benedictini monachi *** ex aliis locis ostendunt, eum credidisse, diuinitatem christi ab humana natura in morte neutiquam fuisse separatam ac recte obseruant, loqui illum de eo relinquendi modo, quo deus christo homini in morte per tempus quoddam suum præsidium et gratiam ademerit. Quum de diuina electione ad vitam æternam exponit, haud obscure significat, eam fieri propter merita humana, et, vt videtur, bonis operibus plus; quam decet, tribuit. Dicit enim: *electi sunt nuptiali veste conspicui, puro atque integro nouæ natiuitatis corpore splendidi. Itaque non res indiscreti iudicii electio est; sed ex meriti delectu facta discretio est. Beatus ergo, quem elegit deus: beatus ob id, quia electione sit dignus.* * Alibi pronuntiat, eos a deo accipere sapientiam, qui *per meritum bonorum operum gratiam intelligentiæ consequantur.* ** Animas piorum hominum, a corporibus separatas, non statim ad sedes cælitum transferri; sed in sinu Abrahami custodiri, vsque ad tempus, a deo decre-

* *libr.* II. de *statu anim. cap.* 9.

** *comment. in Matthæum cap.* XXXIII. p. 749.

*** *adnotationibus*, quibus verba hæc illustrarunt, ac *præfation. ad Hilarii oper.* p. 48.

* *tractat. in* LXIV. *psalm.* p. 164.

** *prolegom. in libr. psalmor.* p. 12.

decretum, adfirmat. * Ipsas animas humanas inter corpora referre, videtur, quum tradit, omnia a deo producta, siue sint in cælis; siue in terra, esse substantias corporeas, ** hocque nomine etiam a CLAVDIANO MAMERTO *** reprehenditur. Sed multa alia Hilarii loca adsunt, quibus probari potest, eum non solum deum; sed etiam angelos atque animas retulisse inter substantias, materiæ expertes. De iudicio extremo docuit, quæ dura satis ac periculosa sunt. Scribit enim, deum nec pios; nec impios homines iudicaturum esse; sed eos, qui *inter impios piosque medii sint, ex vtroque admixti.* * Baptismum non omnia crimina nostra tollere hacque de caussa tempore iudicii supremi omnes per ignem plene repurgandos esse, putat. ** Præter hæc, in Hilarii scriptis nonnulla alia leguntur, minus recte atque adcurate tradita. Apostolo Petro ita se addictum monstrat, vt rationem, caussam eius agendi, a veritate alienam ineat. Christum illum adpellasse *satanam*, negat, *** et factum eius maxime vitiosum, quo negauit, se pertinere ad christi amicos ac discipulos, quodam modo excusat, * adde: IO. DALLAEVM, ** ERASMVM ROTERODAMVM, *** IO. GILLOTIVM, * ABR. SCVLTETVM ** et CASIMIRVM OVDINVM, *** qui in enarrandis Hilarii næuis et erroribus itidem operam suam posuerunt. Non defuerunt tamen, qui insignis huius veterum christianorum doctoris defensionem suscipiendo, id egerunt, vt omnem suspicionem falsarum sententiarum ab isto remouerent. Quæ alii ex scriptis eius, tamquam erronea ac dura, recensent, ea mollius interpretantur.

---

* *tractat. in* CXX. *psalm.* p. 383.
** *comment. in Matth. cap.* V. p. 633.
*** *libr.* II. *de stat. anim. cap.* 9.
* *tract. in psalm.* I. p. 24. sq.
** *tractat. in psalm.* CXVIII. *litt.* 3. *num.* 12. p. 261.
*** *comment. in Matth. cap.* XVI. p. 691.
* *dict. loc. cap.* XXXII. *p.* 746.
** *libr.* II. de *vero vsu patrum cap.* 4. p. 266.
*** *præfation. ad Hilarii opera.*
* *commentatione*, iisdem *operibus præmissa.*
** *medull. theolog. patrum* p. 1315.
*** *comment. de scriptorib. ecclesiast. tom.* I. p. 432.

tur. Aduerſus Berengarium dicta quædam illius defendit LANFRANCVS.* Recentiore ætate monachi Benedictini atque in his præcipue PETRVS COVSTANT ** pro doctrina eius pugnarunt; ita tamen, vt haud obſcure adpareat, eos ſtudiis ſuis erga antiquiorem doctorem hunc atque eccleſiam romanam plus, quam decet, tribuiſſe. Idem COVSTANT *** nonnulla habet, quæ ad doctrinæ Hilarianæ defenſionem pertinent.

AMBROSIVS, qui adfirmauit, baptismum, in nomine vnius tantum perſonæ collatum, eſſe legitimum ſuaque vi præditum: * tempore iudicii extremi animas per ignem repurgandas eſſe: ** reſurrectionem mortuorum non ſimul et ſemel fieri debere; ſed paullatim longo et ſtatuto ordine, ita vt qui crediderint in chriſtum, primi reſurgant, pro meritorum ratione: *** bonas actiones noſtras valere ad gratiam diuinam recuperandam et mala peccatorum noſtrorum auertenda. Ita enim dicit: *habemus plura ſubſidia, quibus peccata noſtra redimamus. Pecuniam habes: redime peccatum tuum. Non venalis eſt dominus; ſed tu ipſe venalis es: redime te operibus tuis: redime te pecunia tua. Vilis pecunia; ſed pretioſa eſt miſericordia.* * Porro librum quartum Eſræ canonicis ſcriptis adnumerat, ** et præter alios errores de ſtatu animarum ſeparatarum medio: de diuinitate, quæ in morte chriſti humanam naturam reliquerit, peruerſe expoſuit. Benedictini quidem monachi cum in *præfatione*; tum in *admonitionibus* ac *notis*, quibus *Amlroſii opera* ornarunt, omnia eius dicta dura atque erronea defendunt; vel excuſant; eos tamen rem non tam ex veritate; quam ex voluntatis, non ſatis rectæ, ſtudiis æſtimare, quisque peritus ac iuſtus arbiter pronuntiabit. ***

 HIE-

* in *biblioth. maxima patrum Lugdunenſ. tom.* XVIII. p. 824.
** *præfation. ad Hilarii opera.*
*** in *vindiciis veterum confirmatis*, Pariſiis anno MDCCXV. editis.
* de *ſpiritu ſancto libr.* I. *cap.* 3.
** *expoſit. in pſalmum* CXVIII. *ſermon.* 3. *tom.* I. p. 998.
*** *libr.* II. de *fide reſurrection.* § 116. *tom.* II. p. 1165.
* de *Elia et ieiunio cap.* XX. *tom.* I. p. 559.
** de *bono mortis cap.* XI. *tom.* I. p. 408.
*** *acta eruditor.* MDCLXXXVIII. p. 68.

HIERONYMVS quamuis acriter pugnauerit pro recta doctrina et studia sua ad aliorum errores profligandos adhibuerit; ipse tamen nonnumquam a veritate discessit; nec omnem animaduersionem censoriam deuitare potuit. De prouidentia diuina docuit, quod ea ad singulos quidem homines; non autem ad singula animalia, rationis expertia, spectet: illis deus singulari; his autem generali tantum cura prospiciat: *sicut in hominibus*, inquit, *etiam per singulos dei currit prouidentia; sic in ceteris animalibus generalem quidem dispensationem et ordinem cursumque rerum intelligere possumus.* Rationem sententiae huius ex eo sumit, quia singulis animantibus, quae careant ratione, speciatim prouidere, a maiestate diuina sit alienum, hancque in rem addit: *ceterum absurdum est, ad hoc dei deducere maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices quotue moriantur: quae cimicum et pulicum et muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua natent, et qui de minoribus maiorum praedae cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores dei, vt dum potentiam eius etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos iniuriosi simus, eamdem rationabilium; quam irrationabilium, prouidentiam esse dicentes.* * Quae de Cornelio centurione et aliis sanctis viris habet, eos spiritum sanctum accepisse *ex auditu fidei et naturali lege, quae loquatur in cordibus nostris bona quaeque facienda et vitanda mala* et per quam dudum quoque Abrahamus, Moses et ceteri sancti iustificati sint, ** dura et periculosa esse videntur: saltem non adcurate proposita sunt, si et mitiorem eorum interpretationem instituere velimus. Ab Origine eum maxime alienum fuisse atque erroneas illius sententias grauiter perstrinxisse, satis notum est; nihilominus istum quodam modo sequitur ac licet non omnium; quorumdam tamen hominum poenas, quas post mortem sustinere debent, finem habituras esse, statuit. Discrimen ponit inter *impios* atque *iniquos* hocque ita explicat: *omnis impius*

* *comment. in Abacuc. cap.* I. *tom.* III. *oper.* p. 1601. edition. MARTIANAEI.

** *comment. in epist. ad Galat. cap.* III. *tom.* IV. *oper. part.* I. p. 249.

impius iniquus eſt et peccator; nec reciprocatur, vt poſſimus dicere: omnis peccator et iniquus, etiam impius eſt. Impietas enim proprie ad eos pertinet, qui notitiam dei non habent; vel cognitam transgreſſione mutarunt; peccatum autem et iniquitas pro qualitate vitiorum, poſt peccati et iniquitatis vulnera, recipit ſanitatem. * Pro diſcrimine hoc eam differentiam pœnarum poſt mortem conſtituit, vt arbitretur, diaboli atque omnium impiorum cruciatus fore ſempiternos; a peccatoribus autem iisque chriſtianis; ſiue iniquis, quorum opera in igne probari ac purgari debeant, ſententiam iudicis moderatam et cum clementia coniunctam eſſe exſpectandam. ** Copioſius opinionem hanc Hieronymi enarrat PETRVS DANIEL HVETIVS. *** Piorum animas, quum e corporibus diſceſſerint, vbique eſſe, ſtatuit, propter rationem ſatis frigidam atque ineptam. Hac enim vtitur ratiocinatione: *ſequuntur agnum, quoquumque vadit. Si agnus vbique, ergo et hi, qui cum agno ſunt, vbique eſſe credendi ſunt.* * Difficile præterea eſt, eum penitus abſoluere erroris, quo adfirmatur, conditionem ſacerdotum ad vim ſacramentorum aliquid adferre. Eum ab iſto haud longe remotum fuiſſe, ex his eius verbis colligendum eſt: *ſacerdotes, qui euchariſtiæ ſeruiunt et ſanguinem domini populis eius diuidunt, impie agunt in legem chriſti, putantes, εὐχαριστίαν imprecantis facere verba, non vitam, et neceſſariam eſſe tantum ſolemnem orationem et non ſacerdotum merita.* ** Hiſtoriam de Simſone *fabulam* adpellat. ***

AVGVSTINVS, qui varias ſententias tradidit atque adprobauit, minus veras rectasque. Princeps earum ſpectat ad doctrinam de prædeſtinatione ac gratia. Quum Pelagianorum erroribus ſe opponeret; nec in controuerſia hac omnem cautionem moderationemque adhiberet, con-

Mm 3 tigit,

* *libr.* I. *aduerſus Pelagianos tom.* IV. *oper. part.* 2. p. 501. ſq.
** *commentar. in Ieſai. cap.* LXVI. *tom.* III. *oper.* p. 515.
*** *libr.* II. *Origenian.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* II. §. 25. p. 159.
* *aduerſus Vigilantium, tom.* IV. *oper. part.* 2. p. 283.
** *comment. in Sophon. cap.* III. *tom.* III. *oper.* p. 1671.
*** *comment. in epiſtol. ad Philemon. tom.* IV. *oper. part.* I. p. 448.

tigit, vt ipſe a veritatis via declinaret atque ea traderet, quæ a doctrina prædeſtinatianorum, quemadmodum vocantur, non longe ſunt aliena. Gratiæ diuinæ omnia tribuit atque adfirmat, quod ſine iſta nec fides gigni; nec opera deo grata atque accepta aut ſuſcipi; aut perfici queant. Ita recte ſentit, ſi modo hoc rite intelligatur. Quum autem gratiam per ſe tam efficacem eſſe, ſtatuit, vt per eam homines non poſſint non ad deum conuerti, eamque pariter ac perſeuerantiæ donum non omnes; ſed electos tantum accipere, contendit, hæc ſacris litteris repugnant et iuncta ſibi habent alia dogmata, itidem erronea. Per ſententiam, neminem gratiæ, per ſe efficaci, reſiſtere poſſe, neceſſe erat, vt aliam adhuc gratiam admitteret, quæ ad conſequendam ſalutem æternam haud ſufficiat. Ac quamuis fateatur, fidem et gratiam amitti poſſe; putat tamen ſimul, eam omnino ab iis eſſe recuperandam, qui ad æternam vitam a deo ſint prædeſtinati. Hanc fuiſſe illius ſententiam, tam euidens eſt ex ſcriptis eius, vt non temere a quoquam negari queat. At vero doctrina hæc Auguſtini de gratia dei diuerſa ratione exhibetur ac diiudicatur. Qui enim prædeſtinationem, ex abſoluto numinis decreto profectam, defendunt, tantum abeſt, vt Auguſtinum in certaminibus cum Pelagianis modum exceſſiſſe, putent; vt quæ aliis duriora videntur, ea veritati conſentanea eſſe, contendant. Ita hac de re ſentiunt reformatæ eccleſiæ doctores: CORNELIVS IANSENIVS:* Dominicani, prædeterminationis phyſicæ defenſores: item HENRICVS NORISIVS.** Ab his diſcedunt, qui vel reformatis ſe opponunt; vel contra Ianſenium; aut Dominicanos pugnant; ita tamen, vt ipſi inter ſe diſſentiant. Nonnulli ingenue fatentur, Auguſtinum in controuerſiis cum Pelagianis a recta via deflexiſſe hacque de cauſſa obſeruant, auctoritatem eius nec Caluini ſectatoribus; nec Ianſeniſtis; nec Dominicanis præſidio eſſe poſſe. Alii contra Auguſtinum defendere, adnituntur ac negant, eum per id, quod nimium eſt, a vero aberraſſe; putant autem, men-

* in *Auguſtino*.

** in *vindiciis Auguſtinianis*.

mentem eius nec a Ianſenio; nec ab aliis recte capi. Pluribus hoc oſtendit atque enarrat IO. FRANCISC. BVDDEVS. * Præterea, quæ Hipponenſium præſul de gratia diuina minus recte atque adcurate tradidit, in monimentis eius alia duriora effata occurrunt. Chriſtum tantum ſecundum humanam; non autem ſimul ſecundum diuinam naturam mediatorem eſſe, adfirmare videtur, quum ita ſcribit: *in quantum homo, in tantum mediator; in quantum autem verbum non medius, quia æqualis deo et deus apud deum et ſimul cum ſpiritu ſancto vnus deus.* ** Aliis tamen locis veritatem profeſſus eſt ac tradidit, chriſtum pro vtraque natura munere conciliatoris perfunctum eſſe. De peccato originis grauiter diſputat contra Pelagium ac recte adſerit, cunctos mortales labe iſta ita vitiatos et corruptos eſſe, vt omni facultate careant, ea agendi, quæ vere bona ac pia ſunt; virginem Mariam autem e numero illorum eximere, non dubitat: *de virgine Maria*, inquit, *propter honorem domini nullam prorſus, . . um de peccatis agitur, haberi volo quæſtionem*, ac paucis interpoſitis: *hac ergo virgine excepta, ſi omnes illos ſanctos et ſanctas, quum hic viuerent, congregare poſſemus et interrogare: vtrum eſſent ſine peccato? quid fuiſſe reſponſuros, putamus, vtrum hoc, quod iſte dicit; an quod Ioannes apoſtolus* ceter. *** Baptismum Ioannis ea ratione a baptismo chriſti diſtinguit, vt illi minus, quam par eſt, tribuat. * A ſententia eorum, qui putant, deum mundum in momento temporis condidiſſe, haud alienus fuit, quamuis tam confuſe hac de re loquatur, vt difficile fere ſit, mentem eius capere. ** De reliquis Auguſtini effatis falſis ac durioribus legendus eſt: IO.

 DAL-

* *iſagog. ad theol. vniuerſ. libr.* II. *cap.* 7. §. 4. p. 1075.

** *libr.* X. *confeſſion. cap.* 43. *tom.* I. *oper.* p. 146. edit. Benedict. Antuerpienſ.

*** de *natura et gratia contra Pelagium cap.* XXXVI. *tom.* X. *oper.* p. 97.

* *ſermon.* CCX. *tom.* V. *oper.* p. 646. et *contr. litteras Petiliani libr.* II. §. 86. *tom.* IX. p. 166.

** *libr.* IV. *de geneſi ad litteram cap.* 33. ſq.

DALLAEVS * ac iungendus NATALIS ALEXANDER, ** qui næuos, a Dallæo in ſcriptis Auguſtini notatos, abſtergere conatus eſt; non ſemper autem iuſtam cauſſam habuit, iſtum defendendi. IO. CLERICVS quoque reprehendit grauiter Auguſtinum in *epiſtolis criticis* ac ſub nomine IO. PHEREPONII liberiores animaduerſiones in monimenta eius ſcripſit; non minore autem libertate atque eruditione doctoris Hipponenſis defenſionem ſuſceperunt ROBERTVS IENKINVS in *apologia Auguſtini*, Cantabrigiæ MDCCVII. 8. ſine nomine edita et LAMINDVS PRITANIVS; ſiue qui ſub hoc nomine latet, LVDOVIC. ANTON. MVRATORIVS in libro de *ingeniorum moderatione in religionis negotio*, qui prodiit Pariſiis MDCCXIV. et Francofurti MDCCXVI. 8.

§. VI.

Quæ iam ex patrum eccleſiæ libris de næuis atque erroribus iſtorum commemoraui, teſtimonia ad rem probandam ſufficere puto hancque ob cauſſam in illis enarrandis haud progredior. Quædam tamen ad argumentum hoc illuſtrandum adiicio. Primum in illis eſt. multa me adtuliſſe exempla, ex quibus perſpicue patet, patres ſæpe non tam in ipſis rebus ſententiisque; quam in vocibus ac verbis, minus prudenter atque adcurate vſurpatis, ab eo, quod rectum eſt, deflexiſſe; aut occaſionem peruerſarum ſententiarum dediſſe.

Seculo tertio poſt natum ſeruatorem cœperunt præcipue antiquiores doctores iis vocibus vti, quibus, praue intellectis, via parata eſt ad errores gignendos; aut defendendos; ſaltem ad ſpeciem auctoritatemque illis conciliandam. In his vocabulis eſt *mereri*, quod patres late vſurparunt pro præſtare opera, deo grata et gratuitam eorum remunerationem a deo accipere. Conſtat quoque, verbum hoc apud optimos ſcriptores latinos idem eſſe ac

* *libr.* II. *de vero vſu patrum cap.* 4. p. 280.

** *hiſtor. eccleſiaſtic. ſecul.* V. *cap.* 4. *artic.* 3. §. 10. p. 128.

ac *aliquid consequi.* Effata eiusmodi patrum pontificii postea stricte interpretati sunt atque ex illis errorem de merito bonorum operum probare; aut confirmare voluerunt. Eiusdem generis sunt voces: *traditionis*, *sacrificii*, *oblationis*, *altaris*, *satisfactionis*, *confessionis* atque aliae, quibus antistitis romani sectatores itidem abusi sunt iisdemque praesidia prauorum dogmatum contineri, aliis persuadere adnisi sunt. Inter ipsos ecclesiae romanae addictos fatetur hoc IO. BONA recteque dicit: *multa quidem vocabula, nobis et priscis patribus communia, retinemus; sed sensu ab eo, quem tunc habebant, non minus alieno; quam nostra tempora a primis post christum seculis remota sunt.* *

§. VII.

Animaduerto praeterea, quae in scriptis patrum minus recte tradita sunt, ea inter se differre, id quod facile videbimus, si ipsa eorum monimenta ipsasque falsas sententias inter se conferre velimus. De quibusdam erroribus si non omnes; plerique tamen patres consentiunt; alii autem defenduntur tantum a nonnullis. Caussa igitur est, cur differentiam harum prauarum opinionum statuamus ac dicamus, eas esse vel communes; vel singulares.

Non desunt exempla consensus patrum de erroribus. Prouoco ad prauam illorum opinionem de statu animarum separatarum ante resurrectionem ac iudicium vniuersum. Si non omnes; plerique tamen antiquiores christianorum doctores existimarunt, animas piorum ante resurrectionem ac iudicium vniuersale haud frui visione dei atque in loco, quem modo *paradisum;* modo *sinum Abrahae;* modo alio nomine adpellarunt, commorari atque ibi visionem dei exspectare. Ea quoque, quae in illorum dogmatibus contraria sibi videntur, commode conciliari possunt, siquidem cogitemus, eos duplicem quidem statum ipsius praemii ac poenarum pro duplici animarum conditione, quum aut piae sint; aut impiae, admisisse;

 simul

* *libr.* 1. *rer. liturgicar. cap.* 18. p. 246.

ſimul tamen gradus eſſe felicitatis æternæ, putaſſe. Pro gradibus his duplicem quoque locum, quorum alterum dixerunt *paradiſum;* alterum ipſum *cælum*, animabus ante et poſt reſurrectionis tempus adſignarunt. Nec ſolum patres ſtatum animarum poſt mortem medium eſſe, adfirmarunt; aut ſaltem haud obſcure ſignificarunt, ſe ab opinione hac haud alienos eſſe; verum etiam animas has per ignem tempore iudicii vniuerſalis purgari, ſibi perſuaſerunt. De Origine ſatis hoc conſtat; ab hoc autem doctrina hæc ad alios translata eſt. Præter alios, in eccleſia latina ſequuti ſunt opinionem hanc Lactantius, Ambroſius, Hilarius, Hieronymus atque alii. Num patribus his Auguſtinus ſit adnumerandus, diſputatur. Adfirmant hoc pontificii; noſtrates autem ac reformati merito hoc negant. Quæ adducunt illi, Auguſtini teſtimonia plane nihil probant, vti ANTON. REISERVS, * IO. FORBESIVS, ** inprimis IO. GVIL. BAIERVS oſtendunt. *** De reipſa, de qua adhuc expoſui; ſiue de ſtatu animarum poſt mortem iisdemque purgandis, plura erudite ac copioſe enarrat THOMAS ITTIGIVS * addique poſſunt, quæ ipſe alio loco commentatus ſum. **

§. VIII.

Factæ quoque ſunt diſſenſiones patrum eccleſiæ, ita vt ſi alii quid adfirmarent, alii id negarent, cum in

---

* in *Auguſtino, veritatis euangelico - catholicæ teſte et confeſſore* p. 326.

** *inſtructionib. hiſtorico-theolog. libr.* XIII. *cap.* 4. p. 675.

*** *diſſertatione de purgatorio pontificiorum, vtrum claris teſtimoniis Auguſtini ſolide probari poſſit?* quæ exſtat in eius *decad.* II. *diſputation. theologic.*

* *exercitatione de nouis fanaticorum quorumdam noſtræ ætatis purgatoriis*, quæ locum obtinuit in eiusdem *opuſculis variis*, Lipſiæ MDCCXIV. editis, p. 150.

** diſſertatione de *ſtatu mortuorum et reſurgentium*, quæ eſt in meis *miſcellaneis ſacris* p. 258.

in rebus hiſtoricis; tum dogmaticis. Occaſionem illæ præbuerunt controuerſiarum, quæ quamuis ea ratione inter ſe differrent, vt vel maioris; vel minoris eſſent momenti; ad fundamentum tamen fidei haud ſpectabant.

Quarumdam tantum earum controuerſiarum, quibus patres inter ſe dimicarunt, exempla memoraſſe, ad rem probandam atque illuſtrandam ſufficere exiſtimo. De tempore, ſacris paſchatis conſecrando, ſeculo poſt natum chriſtum ſecundo orta eſt diſceptatio. Aſiatici et alii chriſtiani, qui in locis, ad orientem ſpectantibus, degebant, eodem tempore cum iudæis paſcha celebrabant, die nimirum quarto ac decimo menſis niſan, in quamcumque is hebdomadis lucem incideret. At qui Romæ atque in aliis regionibus, ad occidentem ſitis, chriſtum colebant, nullo alio, quam ſolis die, paſchatis ſacra peragenda eſſe, contendebant. Vtrique ritum ſuum apoſtolica auctoritate confirmare adnitebantur atque originem eius ad ſeruatoris legatos referebant, ita vt illi adfirmarent, ſe conſuetudinem ſuam accepiſſe a Philippo, Ioanne, Polycarpo atque aliis, memoratis a POLYCRATE in *epiſtola ad Victorem*, apud EVSEBIVM. * Vtrique paſchatis ſacra diuerſo tempore celebrarunt; pacem tamen ac concordiam inter ſe conſeruarunt. Poſtea Victor, epiſcopus romanus, turbas fecit ac qua chriſtianorum cœtus adhuc vſi fuerant, tranquillitatem ſuſtulit. Quum enim ægre ferret, quod Aſiatici in paſchate celebrando morem romanum haud ſequerentur, id omni cura egit et meditatus eſt, quomodo iſtos ad ſuas partes protraheret eorumque remoueret conſuetudinem. Acti ſunt varii conuentus cum in oriente; tum in occidente, et quoniam Victor haud efficere poterat, vt Aſiatici ab antiquo more recederent; reliquas autem eccleſias fere omnes hac in cauſſa itidem ab Aſiatico inſtituto diſſentire, ſciebat, eo proceſſit audaciæ et te-
[illegible] teme-

* *libr.* v. *hiſtor. eccleſiaſtic. cap.* 24.

temeritatis, vt Aſiaticos communione ſacrorum excluderet, teſte EVSEBIO. ** Faſtum hunc, quem ita præſul romanus prodiderat, tantum abfuit, vt Aſiatici atque alii, illis fauentes, ferrent, vt ei fortiter reſiſterent. Polycrates, eccleſiæ Epheſinæ antiſtes, ſuo atque aliorum epiſcoporum nomine ad Victorem, excommunicationem Aſiaticis minitantem, litteras dedit ac ſimpliciter declarauit, morem Aſiaticæ eccleſiæ antiquum haud deſeri poſſe deoque magis, quam hominibus obediendum eſſe. Quem fortem et conſtantem animum etiam monſtrauit, quum Victor ſumeret ſibi, Aſiaticos ſacrorum communione priuare, ita vt hoc illius factum ſperneret.

Conſtat præterea, qualis lis fuerit inter patres eccleſiæ de baptismo hæreticorum; ſiue eo, qui ab hæreticis adminiſtratur. Cyprianus illum plane reiecit; nec dubitauit, adfirmare, baptismum hunc omni vi atque auctoritate carere, ac qui ab hæreticis; vel ſchismaticis baptizati fuerint, eos iterum ſalutari aqua abluendos eſſe, vbi iſti ad veram catholicamque eccleſiam ſe conferrent. Minus tamen exiſtimandum eſt, Cyprianum fuiſſe primum, qui pro ſententia hac pugnaret. Iam ante eum apud orientales et Afros baptismus hæreticorum repudiatus eſt. Sententiam hanc, antea iam traditam, renouauit ille tantum et quum iſtam eſſe firmam, ſibi perſuaderet, pro ea dimicauit non ſolum variis epiſtolis; ſed etiam ſynodis, præcipuæ contra Stephanum, epiſcopum romanum, qui hæreticorum baptismum non improbauit: magna animi adfectione pro opinione ſua dimicauit remque arroganter ſatis tractauit. Afrorum legatos admittere noluit iisque tectum et hoſpitium denegauit. Pacis ac communionis vinculum rumpere ſibi ſumſit atque eos deuitandos eſſe, putauit, qui ab hæreticis baptizatos iterum ſacro fonte purgandos eſſe, adſeuerarunt. Quum ita Stephanus ſemen magnæ et rebus chriſtianis calamitoſæ diſſenſionis ſpargeret, Cyprianus id omni ſtudio egit, vt vim illius factum-

* *libr.* v. *hiſtor. eccleſiaſtic. cap.* 24. p. 192.

factumque exſtingueret ac tranquillitatem communionemque eccleſiaſticam conſeruaret. Inter ſcripta, quae de controuerſia hac compoſita atque edita ſunt, eminet epiſtola FIRMILIANI, epiſcopi Caeſareae Cappadocum contra Stephanum, romanum antiſtitem. Inter romanae curiae addictos quidem, fuerunt, qui fidem atque auctoritatem epiſtolae huius infringere ſibi ſumerent; non defuerunt autem, qui reſiſterent; nec leuioribus argumentis inſtructi pugnarent. Poſtea CYRILLVS *Hieroſolymitanus* eamdem ſententiam amplexus eſt ac baptismum haereticorum etiam damnauit. Scribit ille expreſſe: *ſoli haeretici rebaptizantur, ſi quidem prius illud non erat baptismus.* * Plura exempla, quum illa haud neceſſaria ſunt, addere nolo.

§. IX.

Nec a loco hoc alienum eſſe arbitror, ſi antequam commentationis huius finem faciam, de *retractationibus patrum* quaedam adiiciam. Inter antiquiores fuiſſe, qui ſcripta ſua retractarent atque in illis delerent ac mutarent, quae antea vel minus ſapienter prudenterque; vel minus vere atque adcurate litteris mandata erant, perſpicua exempla monſtrant: veterum ac recentiorum: ſacrorum ac profanorum auctorum.

Non de quauis retractatione, ſiue illa ſacrorum; ſiue profanorum: ſiue antiquorum; ſiue recentium ſcriptorum; ſed de ſingulari illius genere exponam, de retractatione patrum eccleſiae, a patribus nimirum peractis. Prodiit IO. GEORGII NEVMANNI *diſſertatio de retractationibus patrum*, Vitembergae MDCLXXXV. ** vbi varii patres recenſentur, qui monimenta ſua retractauerint. Sunt illi: Origenes, Dionyſius Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, Hieronymus, Theodoretus, Vigilius, Gregorius

* *praefat. ad catecheſ.* §. 4. p. 6.

** translata eſt in eiusdem *primitias diſſertationum academicar.* Vitembergae MDCCXXVI. 8.

rius magnus; quos tamen non omnes satis certa ac perspicua exempla praebere, facile videbimus, si rem adcurate expendere velimus. Inter eos, qui commemorari debent ac vere narrantur, princeps est AVGVSTINVS. Locum hunc sibi fecit libris duobus *retractationum*, quorum priori ea opuscula recensentur, quae Augustinus composuit, quum nondum esset episcopus, vti sunt: *contra academicos*, de *beata vita*, de *immortalitate animae*, *disciplinarum libri*, de *moribus ecclesiae catholicae et de moribus manichaeorum*, de *libero arbitrio*, de *musica*, de *vera religione*, de *vtilitate credendi*, de *fide et symbolo*, de *mendacio*, varia scripta exegetica atque alia. Libro posteriori commemorantur, quae iam episcopus scripsit, in quorum numero sunt: de *agone christiano*, de *doctrina christiana*, *confessionum* libri, de *catechizandis rudibus*, de *consensu euangelistarum*, de *opere monachorum*, de *bono coniugali*. De reliquis taceo atque animaduerto tantum, Augustinum non omnia ingenii sui monimenta ita retractasse, vt quae ipsi falso ac vitiose posita videbantur, ea omnia emendasset; sed saepe in eo adquieuit, vt liberos ipsos breuiter recenseret. Quam libris his praemisit, praefatione dicit: *iam diu est, vt facere cogito atque dispono, quod nunc adiuuante domino adgredior, quia differendum esse non arbitror, vt opuscula mea, siue in libris; siue in epistolis; siue in tractatibus, cum quadam iudiciaria seueritate recenseam, et quod me offendit, velut censorio stilo denotem. Neque enim quisquam, nisi imprudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere, audebit. Sed si dicit, non ea debuisse a me dici, quae postea mihi etiam displicerent, verum dicit, et mecum facit. Eorum quippe reprehensor est, quorum et ego sum. Neque enim ea reprehendere deberem, si dicere debuissem,* * ac luculenter ostendit, eum magno studio veritatem sectatum esse. Legantur hac de re: IO. ALBERTVS FABRICIVS ** eique

* exstant libri hi *tom.* I. *oper. Augustini* p. I. edition. Benedictin. Antuerp.

** *bibliothec. latin. volum.* III. p. 504.

que adiungantur, qui in ſimili argumento verſati ſunt illudque illuſtrarunt: IO. SCHMIDIVS, * IO. HENRIC. FEVSTKINGIVS,** IO. HERMANN. AB ELSWICH.***

§. X.

Ex iis, quæ adhuc de patribus eccleſiæ eorumque ſcriptis dicta ſunt, facile colligendum eſt, errata vitiaque varii generis illis ineſſe, quæ notare quidem debemus; ea autem ratione vtendum eſt, quam veritas, amor atque æquitas præſcribunt. Quæ virtutes vbi coniunguntur, gignunt iſtæ moderationem theologicam, in controuerſiis maxime probandam. Quæ patres in monimentis ſuis praue tradiderunt, illa minime propter eorum auctoritatem probamus, probe gnari imbecillitatis humanæ, cui ſinguli obnoxii fuerunt ac per quam omnes non ſolum errare potuerunt; ſed etiam omnino errarunt. Attamen amor atque æquitas poſtulant, vt errores eorum non perſtringamus; nec ipſos patres contemnamus. Digni ſunt excuſatione, hæcque omnino fieri debet, ſi iuſtitiæ legem ſequi velimus, cum propter temporis rationem, qua doctores illi vixerunt; tum propter litterarum ſtatum, quæ ætate iſta floruerunt. Errores ipſi patrum requirunt, vt ſcripta eorum cum iudicio ac ſine partium ſtudio legamus, quam in rem doctorum virorum libri, huc ſpectantes, conſuli poſſunt, cuius generis ſunt:

ANDREAE HYPERII libri de *ratione ſtudii theologici*, Baſileæ MDLIX. MDLXXII. 8.

GVIL. PERKINSII *propædia iuuentutis ad lectionem omnium patrum*, præmiſſa *problemati de fidei romanæ emen-*

---

* *exercitation. de eruditor. palinodia*, Lipſiæ MDXCVII.

** diſſertatione de *retractationibus theologorum; ſeu palinodia*, Vitembergæ MDCCXI.

*** *ſchediasmate de palinodia fanaticorum*, Vitembergæ MDCCXIV.

ementito catholicismo, Cantabrigiæ MDCIV. 4. Hanouiæ MDCIV. 12.

ANDREAE RIVETI *tractatus de patrum auctoritate:* eiusdem libri *critici ſacri*, qui cum ſeparatim; tum in voluminibus *operum* lucem viderunt.

IO. BOTSACCI *patrologia; ſiue de libertate veterum doctorum ſcripta iudicandi, qua dilucide oſtenditur, omnes fere patres errorum et hæreſeon ab ipſis pontificiis argui atque poſtulari*, Stetini MDCLXIV. 8. *

IO. HENRICI HOTTINGERI *introductio ad lectionem patrum: diſſertatio de vſu patrum*, quæ ſunt in eiusdem *analectis hiſtorico-theologicis*, Tiguri MDCLIII. 8. *diſſertatio de abuſu patrum*, quæ exſtat in eius *diſſertationum miſcellanearum pentade*, Tiguri MDCLIV. 8.

IO. FORBESII *inſtructiones hiſtorico-theologicæ*,** vbi ad vindicias patrum ſequentes regulas commendat: *honorandi ſunt angeli et ſancti; non tamen adorandi: colendi ſunt dilectione; non ſeruitute: apoſtrophe; ſeu compellatio rhetorica in orationibus panegyricis, non eſt proprie dicta invocatio: poeticas hyperbolas non eſſe trahendas in confirmationem doctrinæ ſanctis patribus improbatæ: loquutiones quædam quorumdam patrum impropriæ; vel incautæ non ſunt arripiendæ contra receptam catholicorum patrum doctrinam: ex criminationibus paganorum, non confitentibus chriſtianis, non ſequitur ita ſe geſſiſſe chriſtianos, prout a paganis infamabantur: doctrina catholicorum patrum non eſt quærenda in libris ſuppoſititiis, quos conſtat, patribus illis falſo tribui. Neque reiicienda ſunt illa opera, tamquam ſuppoſititia, quæ patribus illis abiudicare, nulla ſuadet idonea ratio.* Regulis his et has addit: *allegatio falſa nihil probat: parexegeſis citantis non eſt mens auctoris, qui citatur: ex miraculis et viſionibus, quæ a qui-*

* *ſamlung von alten vnd neuen theologiſchen ſachen*, 1729. p. 223. FABRICII *hiſtor. bibliothec. part.* VI. p. 454.

** *libr.* VII. *cap.* 5. p. 331.

quibusdam narrantur, siue veræ; siue falsæ sint eæ narrationes, non sequitur, recipiendam esse nouam doctrinam, de religioso; aut sacro cultu creaturarum et imaginum, quæ non in diuinis scripturis tradita est; sed eisdem scripturis et catholicæ antiquitati repugnat, ac denique: *sicubi aliquis patrum, humani aliquid passus, in aliquo a veritate, in scripturis diuinis tradita; vel a recepta catholicæ antiquitatis doctrina deuius reperiatur, lapsus iste clementer excusandus; vel caritate cooperiendus est, non in confirmationem dogmatis arripiendus.*

IO. CLERICI *epistolæ criticæ et ecclesiasticæ, in quibus ostenditur vsus artis criticæ, cuius haberi possunt volumen tertium*, Amstelodami MDCC. MDCCXII. 8. in quibus de patribus ecclesiae eorumque vitiis libere iudicat, speciatim de Clemente Alexandrino, Eusebio, Origene, Augustino, Hieronymo, Isidoro Pelusiota, Gregorio Nazianzeno, quam censuram ita instituit, vt simul in Guil. Caueum animaduertat ob nimium patres laudandi studium. * Defendit se CAVEVS atque edidit: *epistolam apologeticam aduersus iniquas Io. Clerici criminationes in epistolis criticis et ecclesiasticis, nuper editis*, Londini MDCC. 8. ** Scriptores, iam a me adductos, maiore et adcuratiore industria recensere potuissem; consulto autem commemorationem hanc negligenter ac breuiter scripsi, quia huiusmodi auctores iam supra enumeraui.

* *acta eruditorum* MDCCI. p. 68.

** *acta eruditor.* MDCCI. p. 71. adde: *nouuelles de la republique des lettres* MDCC. *ian.* p. 62. BASNAGII *histoire des ouurages des sauans* MDCC. p. 75.



CAPVT XV.
DE PATRVM ECCLESIAE VSV ATQVE AVCTORITATE.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Exponitur primum de vario vſu patrum eccleſiæ generatim §. I.

Speciatim de eorumdem vſu hiſtorico §.II.

De vſu exegetico §.III.

Dogmatico §.IV.

Ac morali §.V.

Quibus enarratis, ſequitur commentatio de auctoritate patrum, de qua quum diſſenſio eſt, tres claſſes eorum, qui hac de re diſcrepant, conſtituuntur: prima eorum, qui patribus maiorem, quam decet, auctoritatem tribuunt §. VI - X.

Secunda illorum, qui patribus minus, quam par eſt, tribuunt eorumque auctoritatem imminuunt §. XI - XII.

Tertia eorum, qui media via incedunt §. XIII.

Antequam laboris, quem bibliothecæ patriſticæ elaborandæ conſecraui, finem faciam, breuiter de vſu atque auctoritate patrum eccleſiæ commentabor, quia mea ſententia in ſtudio veterum horum chriſtianorum doctorum non ſufficit, notitiam eorum ac quæ nobis reliquerunt, ingenii monimentorum ſibi comparaſſe; ſed etiam ſcire debemus, qualem vtilitatem illi præbeant, quantum iſtis ſit tribuendum, ſi debitam lectionem inſtituere velimus.

§. II.

Vtiles omnino ſunt libri patrum eccleſiæ multosque ac varios fructus ex illis capere poſſumus, ſi iſtos, qua decet, ratione legimus ac tractamus. Præbent illi vſum *hiſtoricum*, quum lucem adferunt de eccleſia noſtra chriſtiana, origine eius, propagatione, conſeruatione, diuerſis fatis, aduerſis pariter ac ſecundis; item de eiusdem doctoribus ac quæ tradita atque ad poſteros translata ſunt, dogmatibus, ad quæ omnia probanda ac confirmanda patres eccleſiaſtici

ſtici exhibent documenta. Eorum ſane libris in hiſtoria eccleſiaſtica eiusque ſtudio plane haud carere poſſumus.

§. III.

Adferunt vſum *exegeticum* ac quamuis ſatis notum ſit, patres non feliciter ſemper ſcripturam ſacram interpretatos eſſe ac ſæpe a recta via aberraſſe, quemadmodum iam antea, quum de patrum theologia exegetica commentatus ſum, animaduerti ac de patrum vitiis exegeticis expoſui; ea tamen quoque ſuppeditant, quæ ab iis recte atque vtiliter dicta ſunt: quæ nunc ad ipſam oraculorum diuinorum interpretationem veramque ſententiam: nunc ad diſcrepantes ſcripturas diiudicandas: nunc ad digreſſiones, dogmaticas ac morales, pertinent.

§. IV.

Accedit vſus *dogmaticus*; ſiue ille, qui ad dogmata religionis noſtræ eorumque hiſtoriam ſpectat. Ex patrum enim monimentis videmus, quæ dogmata prima ætate ciuitatis chriſtianæ tradita: poſtea propagata: conſenſu doctorum ac conciliorum, martyrum quoque teſtimoniis confirmata: contra hæreticos atque alios aduerſarios fortiter ac feliciter defenſa ſint. Cuncta hæc vti illuſtria ac perſpicua ſapientiæ ac benignitatis diuinæ documenta oſtendunt; ita vim quoque habent ad animos noſtros commouendos atque in veritate confirmandos.

§. V.

Addendus eſt vſus *moralis*, non de ſolis patrum ſcriptis moralibus; ſed vniuerſe de libris eorum intelligendus. Sæpe in illis ſunt monita ſalutaria ad ſanctimoniæ exercitationem: adhortationes piæ ſanctæque: incitamenta ad virtutum chriſtianarum perpetua ſtudia.

Fructum hunc ex patrum ſcriptis ſe cepiſſe, non pauci confeſſi ſunt. De vſu patrum eccleſiæ multi teſtantur;

 quum

quum autem res ipſa ſatis nota; immo ſupra dubitationem poſita eſt, a teſtimoniis huiusmodi recenſendis merito abſtineo. Sufficiat, vnicum memoraſſe idque a IO. GERHARDO ita ſcriptum: * *nec deſtituitur ſtudium illud, quod lectionii patrum impenditur, ſuo commodo. Teſtantur enim patres de origine et auctoritate ſcripturæ canonicæ: vtiles librorum ſacrorum commentarios ſcripſerunt, hæreſes ſuorum temporum ſtrenue profligarunt, hiſtoriam de eccleſiæ dei aliquot ſeculorum ab adſcenſu chriſti vsque ad ſua tempora laudabili diligentia conſignaruut, neruoſis ſententiis ſtudium pietatis inflammant etc. Proinde ex patrum ſcriptis peti poteſt chriſtianæ religionis tanto conſenſu firmata certitudo, interpretationum erudita collatio, hæreſeon exploratio et confutatio, rerum et ſententiarum delectus vtiliſſimus.*

§. VI.

Qualis patrum eccleſiæ ſit auctoritas, de eo ſententiæ eruditorum virorum diſcrepant. Tres earum claſſes conſtituere debemus, ſi illas diſtincte recenſere velimus. Ad primam illi pertinent, qui patribus eccleſiaſticis nimium tribuunt ac maiorem, quam decet, honorem erga iſtos monſtrant. Ad ſecundam referri poſſunt, qui patribus eorumque monimentis minorem, quam par eſt, exiſtimationem præbent; ad tertiam autem denique, qui inter duos priores medium locum obtinent quumque ſe in viam mediam dederunt, vtramque extremitatem, cum nimium; tum parum, deuitant.

§. VII.

Inter eos, quos *prima* claſſis complectitur, principes ſunt pontificii, qui de patrum auctoritate in rebus fidei varia quidem ſentiunt ac tradunt, ita vt proprium commodum eccleſiæque romanæ vtilitatem veluti regulam conſtituant, quam hac in re ſequantur; id tamen ſatis conſtat, eos certo modo patribus æqualem cum ſcriptura ſacra auctoritatem ac per hanc in rebus, quæ ad

* *confeſſion. catholic. libr.* 1. *part.* 2. *cap.* 13. p. 196.

ad fidem ac salutem æternam pertinent, probandi vim attribuere.

Veteris ecclesiæ doctores quando sententiis ac dictis suis pondus conciliare adnisi sunt, præcipue id a patrum auctoritate sumserunt atque ad consensionem cum illis prouocarunt. Inprimis in controuersia Ariana testimonia patrum diligenter aduocata sunt idemque et factum est in litibus Pelagianis. Id quod quum fieret, fundamentum *traditionis* positum est, vtpote quæ maxime ipsis patrum testimoniis nititur. Iam seculo quinto VINCENTIVS *Lerinensis* illam scripturæ sacræ adiungendam esse statuit docetque, eam *vniuersitate, antiquitate et consensione* niti ac dicit: *antiquitatem quidem sequemur, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos maiores ac patres nostros celebrasse, manifestum est: consensionem quoque,* vt pergit, *itidem, si in ipsa vetustate omnium; vel certe pene omnium sacerdotum et magistrorum definitiones sententiasque sectemur.** Paullo distinctius postea explicat auctoritatem, quæ patribus tribuenda sit, his verbis: *eorum dumtaxat patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide et communione catholica sancte, sapienter, constanter viuentes, docentes et permanentes, vel mori in christo fideliter; vel occidi pro christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est, vt quidquid vel omnes; vel plures vno eodemque sensu manifeste, frequenter, perseueranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint, id pro indubitato, certo ratoque habeatur; quidquid vero, quamuis ille sanctus et doctus, quamuis episcopus, quamuis confessor et martyr, præter omnes; aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias et occultas et priuatas opiniunculas a communis, publicæ ac generalis sententiæ auctoritate secretum sit; nec cum summo æternæ salutis periculo, iuxta sacrilegam hæreticorum et schismaticorum consuetudinem, vniuersalis dogmatis veritate dimissa, vnius hominis nouitium sectemur errorem.*** Posito hoc fundamento, progressu temporis auctoritas patrum confirmata atque aucta est, inprimis quum post

 coeptam

* *commonitorio primo cap.* I.

** *ibidem cap.* XXXIX.

coeptam ſacrorum emendationem controuerſiæ cum pontificiis orirentur hique falſa dogmata ſua ex codice diuino haud probare poſſent ac quam fingebant, patrum auctoritas impugnaretur. In conſeruanda illa pontificii omne ſtudium poſuerunt ac ſemper docuerunt, patres ſi de dogmate fidei conſtanter conſentirent, eos normam fidei exhibere. Quæ in lucem emiſerunt, ſcripta abunde id comprobant. MELCHIOR CANVS ſcribit: *in expoſitione ſacrarum litterarum communis omnium ſanctorum veterum intelligentia certiſſimum argumentum theologo præſtat ad theologicas aſſertiones corroborandas, quippe quum ſanctorum omnium ſenſus ſpiritus ſancti ſenſus ipſe ſit;* item: *quamquam a philoſophis quidem rationem philoſophicæ concluſionis iure forſitan poſtularis; in ſacrarum autem litterarum intelligentia maioribus noſtris debes nulla etiam ratione habita credere, et quas ſententias de lege, de fide deque religione ab illis accepiſti, defendere. Ego vero eas defendam, ſemperque defendi, nec me ex eo ſenſu, quem a patribus accepi, vllius vmquam aut docti; aut indocti mouebit* ac poſtea: *defendamus concordem antiquorum patrum conſenſum, ſi volumus eſſe catholici. Equidem quum Clementem, Dionyſium, Irenæum, Epiphanium, Nazianzenum, Baſilium, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Caſſiodorum, Bernhardum audio vnum idemque proferentes, non exiſtimo totidem hominum doctiſſimorum quidem et ſanctiſſimorum, attamen hominum, me audire ſententiam; ſed catholicæ eccleſiæ, cuius illi fuerunt columnæ præcipuæ. Quod maior pars patrum ſenſerint, id eſſe catholicæ fidei profitemur.* * ROBERTVS BELLARMINVS tradit, *ſcripturam eſſe tantum partialem fidei regulam, ac traditiones pari pietatis adfectu cum ſcriptura recipiendas eſſe iuxta decretum concilii Tridentini,* ** et alio loco hæc habet: *patres numquam omnes ſimul errant, etiamſi aliquis eorum interdum erret. Nam ſimul omnes in vno errore conuenire non poſſunt.* *** GREGORIVS DE VALENTIA: *in definiendis controuerſiis fidei concordis etiam ſenten-*

* *loc. theolog. libr.* VII. *cap.* 3. p. 208. ſqq. *oper.*

** *libr.* IV. *de verbo dei cap.* 12.

*** *libr.* II. *de chriſto cap.* 2. *libr.* I. de *purgator. cap.* 10.

tentiæ patrum; siue doctorum omnium idcirco ratio haberi debet, quia quod illi vnanimi consensu circa religionem tradunt, infallibiliter verum est. * Plura rei huius testimonia non addo, quum dogma pontificiorum ipsum satis est notum ac manifestum. Qui tamen plura cupit, adeat ille: IO. GERHARDVM, ** IO. HENRIC. HOTTINGERVM *** ac multos alios, ex eorum inprimis ordine, qui aduersus peruersa pontificiorum dogmata pugnarunt.

§. VIII.

Quum pontificis romani adseclæ patrum effata ex vtilitate ecclesiæ romanæ æstimant hancque vtilitatem ipsam constituunt normam, secundum quam patrum auctoritatem definiunt, mirum non est, pontificios diuersa quidem de patribus sentire, eosque vel magni; vel parui facere; communem tamen istorum auctoritatem tueri illisque plus, quam decet, tribuere.

Consentiunt pontificii de re ipsa controuersa, patres ecclesiæ communem cum scriptura sacra normam fidei nobis præscribere; quando autem de ipsis patribus iudicant, multum variæ ac discrepantes eorum sententiæ sunt. Nunc laudant eos ob veram doctrinam atque insignia in rem christianam merita: venerantur illos, tamquam sanctos patres atque apud eos se summum caussæ suæ præsidium inuenisse, sibi atque aliis persuadent. Nunc eosdem patres reprehendunt: eos non solum errare potuisse; sed etiam sæpe omnino errasse, aperte pronuntiant: immo multorum variorumque vitiorum adcusant. Spectat huc: IACOBI LAVRENTII *reuerentia ecclesiæ romanæ erga sanctos patres veteres subdola, ex ipsorum pontificiorum iesuitarum-*

* *analys. libr.* VIII. *cap.* 8.

** *confession. catholic. libr.* 1. *part.* 2. *cap.* 13. p. 196.

*** dissertatione de *abusu patrum*, quæ est in eius *dissertationum miscellanearum pentade*, Tiguri MDCLIV. 8. cuius iam antea mentionem feci. Memoratur etiam IO. CHRISTFR. SAGITTARII *dissertatio de quæstione philologica: quanta sit patrum in iis, quæ fidei non sunt, auctoritas*, in eiusdem *otio Ienensi* p. 175. quæ autem ad locum hunc haud pertinet.

rumque libris certis atque euidentibus testimoniis demonstrata et in XII. *articulos distributa,* Lugduni Batauorum MDCXXIV. 8. Liber hic memoria ac lectione maxime dignus est. Adhibet auctor propria pontificiorum arma aduersus eorum errores de traditione deque ecclesiæ patribus. Inter alia ostendit, pontificios eos patres habere veros patres, quando illis placeant; minus autem, si displiceant; nec pontificios attendere sæpe, quid ipsi patres senserint; sed quid secundum ecclesiæ romanæ fidem sentire debuerint: reiicere patrum testimonia, quæ ipsis contraria videantur, tamquam in libris adulterinis scripta; vel adficta, ex ora libri in contextum translata, in quibusdam exemplis non inuenienda, ab hæreticis deprauata; vel patres sic esse loquutos non proprie, adcurate, more oratorum: notare præterea in scriptis patrum pontificios varios errores, falsitates, mendacia, hæreses; ipsos autem patres insimulare repugnantiæ ac contradictionis, mutuarum dissensionum, dubitantiæ, inconstantiæ atque imperitiæ. Alia adiungit auctor atque ex illis, de qua disserit, ecclesiæ romanæ reuerentiam erga patres subdolam itidem probat, pontificios sæpe irreuerenter, iniuriose ac contemtim de patribus loqui: eos impios, audaces, temerarios, hæreticos et schismaticos vocare, sese suosque scriptores illis comparare, adæquare, præferre ac nolle, vt illi dicantur patres atque orthodoxi; item eosdem pontificios patrum scripta ac libros damnare, prohibere, castrare, variare et expurgare; neque in libros modo patrum; sed et in ipsos quoque patres ius atque arbitrium sibi arrogare: patres ipsos vt hæreticos condemnare, cum antiquis damnatis hæreticis exsecrari: a communione cum ecclesia catholica excludere: quin immo in ipso quoque inferno et gehenna cum damnatis impiis et diabolis collocare. Omnia hæc non solum dicuntur; sed etiam adcurate probantur per testimonia, quæ ex ipsis pontificiorum libris sumta sunt atque omnem fidem præ se habent. Accessit eiusdem auctoris: *breuis tractatus de vera ac legitima, quæ sacræ scripturæ et quæ sanctis patribus atque illorum scriptis debetur, auctoritate, honore, reuerentia, ex ipsorum patrum dictis concinnatus solidisque rationibus comprobatus atque in* XXI. *propositiones distinctus, cum reie-*

ctione

ctione errorum ecclesiæ romanæ circa singulas propositiones. Referri et huc potest: IO. BOTSACCI *patrologia; siue de libertate, veterum doctorum scripta iudicandi, qua dilucide ostenditur, omnes fere patres errorum et hæreseon ab ipsis pontificiis argui atque postulari,* Stetini MDCLXIV. 8. quam iam antea aliquoties memoraui.

§. IX.

Iis, qui patribus ecclesiæ nimium tribuunt, adiunxerunt se quoque *episcopales;* siue *hierarchici*, vti dicuntur, in Anglia, apud quos maxima est patrum auctoritas, quoniam persuadent sibi, in illorum monimentis inuenisse se magnum præsidium sententiæ suæ de diuina episcopatus origine, de veteris ecclesiæ ritibus deque disciplina retinenda.

Caussa hæc est, cur inter alia a IO. DALLAEI opere de *patrum vsu* plane abhorreant, quoniam credunt, illum auctoritati patrum nimium detraxisse. Profitetur id GVIL. BEVEREGIVS atque ita scribit: *ratio potius flagitat, vt nos iniquissime feramus, quod doctissimus Dallæus tam sanctam, tam puram, ipso etiam iudice, ecclesiam toties lacerare eniteretur. Illum quidem summo ingenio, præstanti eruditione ac doctrina, nec minori pietate virum fuisse, et de ecclesia reformata plurimis in rebus optime meritum, vltro omnes hic confitemur. Verum id male nos habet, quod ille, contra ecclesiam romanam disputans, nostram etiam, tamquam iisdem erroribus obnoxiam, sub communi latinorum nomine indiscriminatim oppugnauit.* Interiectis quibusdam, pergit hancque clausulam facit: *nulli enim dubitamus, quin deus optimus maximus, cuius solius præsidio confidimus, ecclesiam polite adeo e sacris ipsius scripturis, iuxta perpetuam vniuersalis ipsius ecclesiæ praxin et consensionem interpretatis reformatam, contra omnes cuiusque modi aduersariorum impetus ita defenderit, vt, iuxta fidelissimum domini promissum, ipsæ inferorum portæ aduersus eam numquam præualituræ sint.** Præter alios, postea commemorandos tamquam Dallæi ad-

 uer-

* *prooemio codicis canonum ecclesiæ primitiuæ vindicat. ac illustrat.*

uerſarios, legendus quoque eſt: HENRICVS WOTTONVS, qui duas CLEMENTIS romani *epiſtolas ad Corinthios* cum notis variorum edidit ac longiorem præfationem præmiſit de *vſu et auctoritate patrum, præcipue apoſtolicorum eorumque, quæ ſub eorum nomine feruntur hodie, ſcriptorum, in qua breuiter diſcutitur, quæ ſit conſtitutionum ac canonum apoſtolicorum auctoritas et epiſtolas Ignatianas, prout in codice medicæo habentur, genuinas eſſe, probatur: fuſius etiam de Clemente eiusque ſcriptis, præſertim ad Corinthios epiſtolis diſſeritur et quid hac in editione praeſtitutum fuerit, exhibetur.* In lucem prodiit editio hæc Cantabrigiæ MDCCXVIII. 8.

§. X.

De patrum auctoritate inter noſtros quoque theologos diſceptatum eſt, eo præſertim tempore, quo bellum geſtum eſt, vti dicitur, *ſyncretiſticum* ac *Calixtinum*. Qui enim putabant, fieri poſſe lutheranorum coniunctionem eccleſiaſticam cum pontificiis ac reformatis, ſcripturæ ſacræ tamquam principium adiunxerunt conſenſum patrum, præſertim quinque priorum ſeculorum, in eam ingreſſi ſententiam, conſenſum iſtum amplectendum eſſe veluti regulam veræ doctrinæ atque ita patribus plus, quam decet, tribuerunt.

Bellum ſyncretiſticum geſtum eſt partim inter theologos helmſtadienſes, Georgium Calixtum, Conradum Horneium, Ioachimum Hildebrandum, Frider. Vlricum Calixtum ac qui ad horum partes acceſſerant, regiomontanos, Io. Latermannum, Chriſtianum Dreierum, Michaelem Behmium; partim iſtorum aduerſarios, theologos ſaxonicos, Abr. Calouium, Iacobum Wellerum, Ioann. Scharfium, Io. Hulſemannum, Aegidium Strauchium, ac præter hos, Statium Buſcherum, Cœleſtinum Mislentam, Io. Georg. Dorſcheum, qui omnes aduerſus helmſtadienſes ac regiomontanos arma ſua tulerunt. Numerus ſcriptorum, quæ in lite hac longiore ab vtraque parte in lucem emiſſa ſunt, non exiguus eſt. Notitiam eorum alio loco * dedi. Inter eos, qui pro pontificiis ac reformatis

* *bibliothec. theolog. tom.* II. p. 670. ſqq.

tis cum lutheranis coniungendis pugnarunt, princeps eſt GEORGIVS CALIXTVS. Eam ob rem tota controuerſia hæc adpellari ſolet *Calixtina.* Regulam illam de conſenſu patrum quinque priorum ſeculorum, quam Calixtus commendauit, ſi de principio fidei vere ac proprie ſic dicto intelligamus iſtique cum ſcriptura ſacra æqualem auctoritatem tribuere velimus, aperte iſta falſa eſt. Conſenſus ipſe, qui requiritur, nullum locum habere poteſt, quod quisque facile capere poterit, qui cogitare atque expendere velit, nec omnium ipſorum patrum memoriam conſeruatam; nec omnium iſtorum ſcripta ad nos translata eſſe: quæ ad nos peruenerint, ſæpe varioque modo deprauata fuiſſe: quæ a patribus dicta; aut ſcripta ſint, ea in ſe ſpectata, non alia, niſi humana effata eſſe, quæ in rebus fidei ſuam probandi vim a ſola ſcriprura ſacra, recte explicata atque intellecta, habeant. Quæ quum ita ſint, aperte errant, qui conſenſum patrum eius auctoritatis eſſe, exiſtimant, vt putent, dogma, quod conſenſum hunc præ ſe habeat, ſolum creditu ad ſalutem eſſe neceſſarium; nec illis errores fundamentales exprobari poſſe, qui credant, quæ cum conſenſu hoc patrum conueniant. Sed tamen non ſatis exploratum eſt, quale principium ex ſententia Calixti eiusque ſectatorum conſenſus patrum eſſe debeat, num primarium; an ſecundarium. Quibusdam in locis loquitur Calixtus de conſenſu patrum tamquam principio ſecundario. Inter alia dicit: *quando de dogmatibus aliisue rebus tamquam ad ſalutem neceſſariis rectiſſime pronuntiatur: quidquid horum primitiua eccleſia vniuerſaliter recepit, id quoque nos recte admittimus. Inde ſit, vt conſenſus ille principium, ſaltem ſecundarium, ad hæc ipſa confirmanda relatum haberi poſſit. Commodius autem forte et ſignificantius ſubordinatum dicetur, quia videlicet ſcripturæ ſacræ, vnico ſumme principio et αὐτοπίςῳ ſubordinatur, ex eoque omnem ſuam vim habet.* * Alio loco ſcribit: *qui dogma aliquod tamquam fidei articulum proponit; aut obtrudit, nihil agit; niſi ex ſcriptura, ſiue ſola, nam perfectus eſt ſcripturarum canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficit; vt loquitur Vincen-*

* *exercitatione de trinitatis myſterio contra Socinianos* §. XIX.

centius Lerinensis; siue adiuncto primae priscaeque ecclesiae consensu, deducat. Si deducere nequit, de adsensu desperet. * Addo, quae ita scripta reliquit: *nec est, quod in probandis dogmatibus ad abstrusa prolabamur, quum quae in scripturis perspicua sunt, satisfaciant: et si res exigat; aut conditio eorum, cum quibus agimus, facile adiungi possit sincera prisca primaeque ecclesiae traditio; siue testificatio, quae tum e symbolis; tum e doctrina, quam plurimorum seculorum hodie adhuc per dei benignitatem et prouidentiam superstites scriptores vnanimi consensu proposuerunt, innotescit.* ** Quodsi Calixtus de consensu patrum tantum statuit, illum esse principium secundarium, haud quidquam adfirmauit, quod falsum sit: quod reprehendi debeat. Principium, quod secundarium est, non probandi; sed confirmandi atque illustrandi vim complectitur. Non tamen negandum est, Calixtum non omnem suspicionem prauae sententiae de consensu patrum a se remouere potuisse, quum reliqua illius monimenta monstrant, eum hac de re varium diuersumque loquendi genus adhibere. Si et nunc profitetur, consensum patrum esse tantum principium secundarium, non constans est in sententia hac: non semper eodem modo loquitur alioque loco ac tempore patribus; siue traditioni plus, quam decet, tribuit. Ex tot aduersariorum scriptis legi possunt: ABR. CALOVII *systema locorum theologicor.* *** cum multis aliis monimentis, Calixto oppositis, vti sunt: *syncretismus Calixtinus: harmonia calixtino haeretica: synopsis controuersiarum potiorum* atque alia: IO. HVLSEMANNI scripta itidem varia atque in his: *calixtinischer gewissenswurm: dialysis apologetica*, ac plura alia, quorum notitia vnde sit haurienda, antea indicaui ipsaque monimenta in copiosa controuersiae huius historia recensui. *

§. XI.

* *consideratione ad colloquium Thorunense* §. XIV.

** *praefatione* libri de *communione sub vtraque specie.*

*** *tom.* I. p. 420.

* in *der einleitung in die religionsstreitigkeiten der euangelisch luther. kirche part.* I. p. 216. sqq.

§. XI.

Venio ad claſſem *ſecundam* eorum, qui de patrum auctoritate inter ſe diſſident. In prima iis locum adſignaui, qui in colendis patribus nimii ſunt iisque plus, quam decet, tribuunt. Sequuntur nunc illi, qui hac in re ad alteram extremitatem delapſi, minus, quam par eſt, amplectuntur; nec erga veterum chriſtianorum doctores debitam monſtrant exiſtimationem.

Spectant huc inprimis, quæ de IO. DALLAEO eiusque libris de *vſu patrum* ſcripta ac diſputata ſunt. Prodiit opus hoc primum lingua gallica, ſub titulo: *traité de l'emploi des ſaints peres, pour le iugement des differens de la religion*, cura ipſius Dallæi, Geneuæ MDCXXXII. 8. Conuerſum id poſtea eſt in ſermonem latinum, interprete IO. MATTAYERO ac ſub inſcriptione; IO. DALLAEI *de vſu patrum ad ea definienda religionis capita, quæ ſunt hodie controuerſa*, editum Geneuæ MDCLVI. MDCLXXXVI. 4. quæ interpretatio quum ab ipſo auctore aucta atque emendata eſt, præfertur illa gallicæ editioni, quam ipſe Dallæus in lucem emiſit. Memoratur etiam verſio anglicana, iuris publici facta MDCLI. cuius auctor non exploratus eſt ac quamuis interpretatio hæc a nonnullis THOMAE SMITHO tribuatur; hic tamen negauit, ſe libros hos in linguam anglicanam transtuliſſe. * Lucem quoque vidit illorum epitome, ſub titulo: IOANNES DALLAEVS *de vero vſu patrum, in epitome exhibitus a* M. D. C. E. M. Tubingæ MDCXCII. 12. ** Operis huius liber prior complectitur vndecim capita horumque argumenta ſunt: I) ægre conſtare poſſe, quid circa noſtras de religione controuerſias ſenſerint patres, quum pauca exſtent ſcripta, tribus præſertim antiquiſſimis ſeculis: II) quæ ſuperſunt e tribus prioribus ſeculis, ſcripta maximam partem agere de rebus alieniſſimis ab iis, quæ hodie circa religionem in controuerſiam vocantur: III) quod patrum vere certoque non ſint, quæcumque nunc eorum nomine circumferuntur; ſed pleraque iis vel olim; vel

* *præfatione ad verſionem anglicanam.*
** *actor. eruditor. ſupplement. tom.* III. p. 192.

vel his demum poſtremis ſeculis adficta ac ſuppoſita: IV) prioribus et poſterioribus ſeculis, tempore, imperitia, fraudibus, cum piis; tum malignis genuina ſanctorum patrum ſcripta variis in locis immutata et adulterata fuiſſe: V) non facile eſſe, patrum ſcripta intelligere tum propter linguas et idiotismos, quibus vtuntur; tum propter rerum explicandarum variis rhetoricæ et dialecticæ artificiis obſcuratam et impeditam rationem; tum quod plerasque voces alio, quam qui nunc in vſu eſt, ſenſu vſurpent: VI) patres ſæpe, quæ ipſi credunt, tacere et quæ non credunt, dicere, ſeu aliorum, nomine tacito, ſententias referant, vt in commentariis; ſeu contra aduerſarios disputent, vbi nihil non adhibent, quod ad argumentum ſuum faciat; ſeu ad captum auditorum ſe adcommodent, vt in homiliis: VII) patres in iisdem fidei capitibus non ſemper perſtitiſſe; ſed e quibusdam ſuis ſententiis nonnumquam diſceſſiſſe, prout exercitatione; vel ætate eorum maturuerat iudicium: VIII) neceſſarium, et idem tamen difficillimum eſſe, vt certo ſtatuamus, quid de ſuis ipſorum ſingulis ſententiis patres cenſuerint et an eas vt neceſſarias; an vt probabiles tantum et quo in gradu neceſſitatis; vel probabilitatis eas habuerint: IX) neceſſarium eſſe, vt nobis conſtet ratio, non ſolum de vnius; aut plurium patrum; ſed etiam de totius veteris eccleſiæ ſententia, quod difficillimum eſt, pernoscere: X) ægerrime ſciri poſſe, num patrum de huius ſeculi controuerſiis ſententiæ ab eccleſia vniuerſali; an ab eius parte tantum receptæ fuerint; id ipſum tamen ſcitu perneceſſarium eſſe, vt locorum, qui ex iis proferuntur, vſus aliquis apud nos eſſe poſſit: XI) fieri non poſſe, vt ſuper vllo eorum capitum, quæ ſunt hodie in controuerſia, clare liquidoque pernoſcamus, quæ totius veteris eccleſiæ, ſiue vniuerſalis; ſiue particularis ſententia fuerit. Poſterior liber conſtat ſex capitibus iisque oſtendit Dallæus: I) patrum de fide eccleſiæ teſtimonia non eſſe ſemper certa veraque: II) patres ipſos negare, nudis ſuis adſertionibus abſolute ſtandum eſſe in iis, quæ de religione ipſi in medium adferunt: III) patres ea ratione ſcripſiſſe, vt manifeſtum ſit, iis inter ſcribendum, de religione pronuntiare, non fuiſſe propoſitum. Eorum, in

in quibus lapſi ſunt et errarunt, exempla quædam: IV) patres ſiue ſeorſim ſingulos; ſine coniunctim plures in variis religionis capitibus erraſſe: V) patres inter ſe aliquando diſſentire et quidem interdum de rebus magni momenti: VI) neque proteſtantes; neque pontificios agnoscere patres iudices rerum, ad religionem ſuam pertinentium hosque non minus; quam illos, quæ ad palatum ſuum non faciunt, nulla religione reſpuere. Satisfit duabus quæſtionibus, quæ ex ſuperioribus omnibus oriuntur. Enarraui argumenta hæc, vt ex illis breuiter colligamus, qua in auctoritate patres eccleſiæ apud Dallæum fuerint. Apud nonnullos Dallæus minus ſe commendauit multosque expertus eſt aduerſarios, qui reprehenderent eum ac variis ſcriptis impugnarent, tamquam hoſtem patrum eccleſiæ qui cogitationes ſuas ad id conferret, vt exiſtimationem iſtorum imminueret. In horum numero ſunt pontificii, qui quum patribus nimiam auctoritatem tribuere ſoleant, facile intelligendum eſt, diſplicere illis Dallæum. Teſtantur hanc in rem IACOB. BOILEAV libris de *adoratione eucharistiæ* ac *hiſtoria confeſſionis auricularis:* DIONYSIVS SAMMARTHANVS in *traité de la confeſſion contre les erreurs des caluiniſtes:* RICHARDVS SIMONIVS ſub nomine PRIORIS DE BOLLEVILLE in *reponſe au liure intitulé: ſentimens de quelques theologiens de Hollande:* NICOL. LE NOVRRY in noua *Ambroſii operum* editione: * NATALIS ALEXANDER, ** IO. BAPTISTA COTELERIVS, *** IO. MABILLONIVS * atque alii. Præter pontificios, contra Dallæum pugnarunt reformati iique epiſcopales in Anglia ipſique longius bellum indixerunt, quum intelligerent, Dallæum antiquos eccleſiæ anglicanæ ritus reiicere; nec in concordia ſacra ſtabilienda teſtimonio primæ eccleſiæ quid tribuere. Confirmant hoc ſcripta HAMMONDI, BEVEREGII, PEARSONII, BVLLI, BOYLE, MON-

* et in *adparatu ad bibliothec. maxim. patrum Lugdun. tom.* I. p. 149.
** in *ſelectis hiſtor. eccleſiaſtic. capitib.*
*** *notis ad Ignatii epiſtolas.*
* *analect. veter. tom.* II.

MONTACVTII, DODWELLI atque aliorum. Inter aduersarios hos Dallaei locum inprimis sibi fecit MATTHAEVS SCRIVENERVS, anglicanae ecclesiae presbyter, in libro, cuius titulus est: *apologia pro sancta ecclesiae patribus, aduersus Ioannem Dallaeum de vsu patrum. Accedit apologia pro ecclesia anglicana aduersus nuperum schisma.* In lucem prodiit ille Londini MDCLXXII. 4. quum autem auctor, omnem moderationem negligit: magnam animi vehementiam temeritatemque: libidinem calumniandi monstrat, ille sane librum suum parum commendauit ac magis sibi ipsi, quam Dallaeo ac caussae eius nocuit. Ipse grauissimos errores defendit. Iustificationem per solam fidem impudenter adpellat *lusum puerilem* ac temere scribit, iustificationis eiusmodi *neque volam; neque vestigium* in scriptura sacra deprehendi. Verba eius sunt: *quid quid vexatius apud recentes theologos reperitur, quam quaestio de iustificatione per fidem solam et non solitariam, prout pueriliter ludunt quidam dicti euangelici? Ausim aperte adfirmare contra vtramque familiam tam Lutheri, quam Caluini istiusmodi iustificationis neque volam; neque vestigium percipi posse a sincero perscrutatore sacrarum scripturarum omnium; nullam, ne semel quidem, fidei istius specialis mentionem incidere, quam reformati plerique doctores explicant, vel potius non explicant; sed nouis et arduis distinctionibus quotidie luculentam ex se veritatem et genuinam corrumpunt-* * Adiungendus est PETRVS ZORNIVS, qui itidem caussam patrum egit contra Dallaeum in *vindiciis patrum per omnes fidei christianae articulos, oppositis Io. Dallaeo. Accedunt selectae obseruationes contra recentiores patrum censores, Anglos, Belgas, Gallos,* quas sub nomine PEZRONII edidit Giessae MDCCIX. 8.** In illis non solum generatim animaduertit, acriores patrum censuras, cuius generis fecerit Dallaeus, hostibus nostris prae-

* *apolog. pro ecclesiae patrib. aduersus Dallaeum* p. 87. adde: MAYERI *dissertationes select.* p. 146. FRICKII *dissertation. de iustificatione et adnexis capitibus* p. 45. Vlmae MDCCXIII. BVDDEI *isagog. ad theolog. vniuersam libr.* II. *cap.* 3. §. 13. p. 606.

** *vindicias* has ZORNIVS postea transtulit in *opusculorum tomum* I. p. 659.

præbere occasionem, summa capita doctrinæ sacræ labefactandi; sed speciatim quoque de singulis fidei articulis ostendit, patres testimonia veritatis de illis edidisse atque in monimentis suis scripta reliquisse. Quæ quum enarrat diligenter, multa alia erudita ac lectione digna adfert.

Non defuerunt tamen, qui Dallæo fauerent ac opus illius de *vsu patrum* iusta laude ornarent. In numero illorum sunt: LVDOV. MOLINAEVS, IO. EDVARDVS, GISBERTVS VOETIVS, IO. HENRIC. HOTTINGERVS, ALEXANDER MORVS atque alii, quos vna cum scriptis eorum recenset antea laudatus ZORNIVS. * Præter alios, iam omissos, præcipue memorandus est THOMAS ITTIGIVS, qui orationem Lipsiæ MDCXCVII. habuit ac postea iuris publici fecit, *pro Ioann. Dallæi tractatu de vsu patrum aduersus Matth. Scriueneri apologiam pro sanctæ ecclesiæ patribus.* ** In illa de Dallæi libro iudicat, quod eum *auctor concatenatis quasi rationibus ita firmauerit et constrinxerit, vt æquus rerum æstimator eius sententiam cum veritate congruere, vix dubitare possit;* de aduersario autem Dallæi, Scriuenero pronuntiat, *eum more Anglorum episcopalium egregie papizare et non Dallæum modo; sed etiam omnes, quorum fides patrum iudicio non innititur, alto supercilio contemnere.* Defensoribus Dallæi adnumerandus quoque est IO. CLERICVS, qui hac de re cum Guil. Caueo disputauit. Litis huius quum iam antea mentionem feci, iam memorasse sufficiat, Clericum de SCRIVENERI *apologia*, Dallæo opposita, hanc sententiam pronuntiasse: *scio, esse confutatum*, Dallæi opus, de quo loquitur, *a Matthæo Scriuenero, ecclesiæ anglicanæ presbytero; at ea confutatio non effecit, vt quisquam de Dallæi libro antea lecto et expenso peius sentiret. Bonus ille vir, vt hoc solum dicam, non conflixerat cum pontificiis, vt Dallæus*

* in antea memoratis *vindiciis tom.* I. *opusculorum sacror.* p. 663.

** exstat in eiusdem *exercitat. theolog. ennead.* p. 746.

Dallæus; non norat, quid ab illis ſoleret obiici, nec ſatis etiam ipſos patres verſauerat; ideoque de fine operis, deque toto eius inſtituto et rationibus Dallæi perperam iudicauit. * Conſentit quoque cum Dallæo DANIEL WHITBY *diſſertatione de ſacrarum ſcripturarum interpretatione ſecundum patrum commentarios*, Londini MDCCXIV. antea a me iam adducta. Reliquos controuerſiæ huius ſcriptores prætereo. Qui rei peritus atque a partium ſtudio alienus, opus ipſum diligenter perlegit, fatebitur ſane, Dallæi librum eſſe præclarum omnique laude dignum. Quum patrum errores ac vitia ſingulari ſtudio recenſet, optima arma ſuppeditat, aduerſus illos feliciter ferenda, qui antiquioris eccleſiæ doctoribus nimiam auctoritatem tribuunt horumque teſtimoniis ad falſa dogmata ac facta aliis perſuadenda praue vtuntur, præcipue aduerſus pontificios atque epiſcopales in Anglia. Ita Dallæus in hoc quoque opere non ſine proſperiori ſucceſſu argumenta hiſtorica hoſtibus oppoſuit, quemadmodum in aliis libris præclare fecit, cuius generis ſunt: *de la creance des peres ſur le fait des images:* de *pœnis et ſatisfactionibus humanis* libri ſeptem: de *pſeudepigraphis apoſtolicis:* liber de *ieiuniis et quadrageſima: diſputatio de confirmatione et extrema vnctione:* de *ſacramentali; ſiue auriculari latinorum confeſſione* diſputatio: *aduerſus latinorum traditionem de religioſi cultus obiecto*: diſputatio de *ſcriptis, quæ ſub Dionyſii Areopagitæ et ſancti Ignatii antiocheni nominibus circumferuntur:* de *cultibus religioſis latinorum* libri nouem. Luculenter monſtrauit, vtilem eſſe theologiam patriſticam ac præbere nobis argumenta, quibus errores aduerſariorum grauiter confutari poſſunt. Idem dicendum eſt de DALLAEI libro de *vſu patrum.* Merito is laudatur; debito tamen ac iuſto modo. Diffitendum enim non eſt, Dallæum interdum ſeueriorem, quam par eſt, erga patres eſſe: animi adfectibus indulgere ac quæ ipſi vitioſa videntur, licet illa non magnum habeant momen-

* *epiſtol. critic. epiſtol.* IV. *volum.* III. *art. critic.* p. 98.

mentum; in patres tamen valde exprobrare. Quæ nunc de Dallæi opere de *vſu patrum* diſſerui, ea varii eruditi viri illuſtrant.*

§. XII.

Fuerunt alii, qui patres eorumque ſcripta parui facerent: ſaltem non in eo honore, quo illi omnino digni ſunt, haberent: immo nonnumquam de illis eorumque monimentis non ſine contemtione iudicarent, quod non ſolum de lutheranis; ſed etiam reformatis, ſacri ac profani ordinis, conſtat. Quæ quum ſatis ſint nota, ea iam generatim memoraſſe ſufficiat. De Luthero, qui etiam huc refertur, pauca adiiciam, deque animo illius, a patribus eccleſiæ alieno, vt ſaltem ille videtur, nonnulla ediſſeram. Negari non poteſt, Lutherum non benigne ſemper de antiquiorum chriſtianorum doctoribus ſenſiſſe: non bene ſemper de iisdem iudicaſſe. Comprobant hoc ſcripta eius nobisque effata oſtendunt, quibus nunc Origenem, nunc Auguſtinum, nunc Hieronymum, Chryſoſtomum, Athanaſium atque alios reiicit, contemnit, acerbe interdum perſtringit.

Adpellat Hieronymum *nullius iudicii; vel diligentiæ hominem: hæreticum, corruptorem totius euangelii:* Chryſoſtomum *garrulum, hominem ſuperbum et ambitioſum:* Baſilium *nullius momenti hominem.* De reliquis huiusmodi iudiciis, quæ adferri ſolent, taceo. Sed acerbius ſcribendi genus, quo vſus eſt Lutherus de patribus, quamuis ipſum haud probandum ſit; ex eo tamen haud colligendum eſt, eum fuiſſe patrum eccleſiæ hoſtem. Variæ ſunt rationes, propter quas iuſta illius excuſatio: mitius de eo iudicium merito fieri poteſt. Quæ hac in

* legendi ſunt: NICERONIVS *memoires tom.* III. p. 72. FABRICIVS *hiſtor. biblioth. part.* III. p. 430. CRENIVS *exercitat. de libris ſcriptorum optimis* p. 34. ENGELSCHALLIVS in *adlocutione epiſtolica ad eruditos de noua operum Io. Dallæi editione* p. 28.

in re tamquam vitia Luthero obiiciuntur, ea non omnia ſatis probanda ſunt. Pleraque teſtimonia ex *colloquiis menſalibus* ſumuntur; exiguam autem eorum eſſe fidem, quis ignoret. Aduerſarii, inprimis pontificii, patribus nimiam auctoritatem tribuebant ac quum diſputarent, non alia fere argumenta, niſi ex patrum libris adferebant iisque veluti diuinis teſtimoniis innitebantur. Ab huiusmodi hoſtibus incitatus, Lutherus in animi feruorem facile adduci potuit. Videmus hoc ex lite eius cum Eraſmo de *libero arbitrio*, qua quum Eraſmus armis patrum præcipue vteretur, Lutherus impoſitam ſibi eſſe neceſſitatem, illis fortiter reſiſtendi, qui patribus, maxime Hieronymo, nimiam venerationem præberent. Ac quis perſuadeat ſibi, in Luthero fuiſſe odium erga patres eccleſiæ, quum illorum monimenta ipſe commendauit atque oſtendit, quæ præ aliis ſint legenda: quo modo lectio ipſa fieri debeat, id quod HIERONYMVS WELLERVS * ita exponit: *poſtquam ad ſacram theologiam animum adplicaſſem, vir dei* Lutherus *admonebat, vt præcipuos quosdam libros Auguſtini legerem, ſcilicet librum de confeſſionibus, item librum de doctrina chriſtiana, de ciuitate dei, et ſimiles. Iuſſit, et aliquid temporis interdum me impertiri lectioni ſcripturarum Bernhardi, propter egregias ſententias, quibus ille abundat. Nec non et Ambroſium me legere voluit, propter antiquitatis notitiam; ab Origenis et ſimilium lectione me deterruit, eo, quod illi omnes locos ſcripturæ in allegorias transformarunt. Itaque, Origenis et ſimilium lectionem theologiæ ſtudioſis pernicioſam eſſe, ducebat. Hieronymi vero nec dictionem; nec interpretationem vmquam probauit. Nam dictio eius eſt tumida, et plus operæ ſumſit in declamando; quam in interpretando ſcripturam. Sed nec Baſilii magni ſcripta admodum laudabat; dicebat enim, illa, vt ipſius verbis vtar, nimium redolere monachatum. Magiſtrum ſententiarum ideo legendum eſſe, aiebat, quod is omnium fere patrum ſententias de præcipuis locis doctrinæ chriſtianæ in libro ſuo collegerit;*

* in *conſilio de ſtudio theologiæ, rite inſtituendo* et *feliciter continuando* p. 8.

gerit; sed tamen cum iudicio iuniores theologos legere illum volebat. Legatur: IO. ERNEST. GERHARDVS, qui plura hac de re narrat.*

§. XIII.

Sequitur classis *tertia* eorum, qui de auctoritate patrum ecclesiæ dissentiunt. In illa locum habent, qui media via incedunt ac patribus nec plus; nec minus, quam decet, tribuunt. Qui in viam hanc se dant ac progrediuntur, sapienter agunt atque optime sibi consulunt, quoniam illa reliquis tutior atque vtilior est, siue ad veritatem cognoscendam ac diiudicandam; siue ad æquitatem seruandam respicias.

Duæ extremitates deuitandæ sunt, si mediam viam eligere eaque incedere velimus. Altera est, qua ad nimium prolabimur atque in caussa, in qua explicanda nunc versamur, patribus maiorem auctoritatem, quam fieri debet, attribuimus atque aliis persuadere conamur, præter scripturam sacram patres in rebus fidei principium normamque præbere. Pontificios præcipue atque inter reformatos episcopales in Anglia errori huic addictos esse, constat ac quæ antea a me dicta sunt, illi comprobant. Nimium hoc merito, vt vitiosum, euitamus. Patres ecclesiæ fuerunt tantum homines, qui non solum errare potuerunt; sed etiam omnino variis modis errarunt. Iis, quæ scripta reliquerunt, maxime de dogmatibus fidei, non adsentiri possumus, nisi ista cum scriptura sacra consentiunt. Quidquid in scriptis patrum cum sacris litteris conuenit, illud adprobamus; quod autem illis aduersatur, id reiicimus. Ac quomodo ex patrum libris normam credendi formare velimus, quum non omnia eorum monimenta conseruata atque ad nos delata sunt: quum doctores hi veteres inter se dissentiunt: pontificii ipsi eos errorum insimularunt atque impugnarunt, quæ omnia IO. GERHARDVS ** vberius exposuit. Ad extremitatem alteram ii deueniunt,

* *dedication.* ad patris IO. GERHARDI *patrologiam.*

** *confession. catholic.* p. 196.

niunt, qui patribus minus, quam decet, tribuunt; nec quo illi ob ingenium, eruditionem, virtutem, ſanctitatem, merita maxime digni ſunt, honorem præbent, de quibus itidem iam ante diſſerui. Vtramque extremitatem hanc in eccleſia noſtra deuitamus ac quæ a maioribus noſtris hac de re facta eſt, confeſſionem conſtanter edimus ac ſequimur, litteris his conſignatam: *reliqua vero ſiue patrum; ſiue neotericorum ſcripta, quocumque veniant nomine, ſacris litteris nequaquam ſunt æquiparanda; ſed vniuerſa illis ita ſubiicienda ſunt, vt alia ratione non recipiantur, niſi teſtium loco, qui doceant, quod etiam poſt apoſtolorum tempora, et in quibus partibus orbis doctrina illa prophetarum et apoſtolorum ſincerior conſeruata ſit.* * Inter reformatos qui ab epiſcopalibus in Anglia diſſentiunt, illi nobiscum in re principali conſentiunt; non tamen negandum eſt, eos interdum paullo iniquiores in patres videri.

---

* *epitom. formul. concord.* p. 543.

INDEX CAPITVM.

INDEX AVCTORVM, QVORVM SCRIPTA ADDVCVNTVR ET RECENSENTVR.

Chry-

Elias

Hoye-

M.

N.

Per-

Q.

R.

T.

V.

de


INDEX RERVM.

A.

Episco-

Corrigenda.

lege p. 31. lin. 17. pro *Originem* Origenem. p. 115. lin. 28. pro *Arernorum* Aruernorum: p. 259. lin. 24. pro *Sigismundi* Sigeberti: p. 343. lin. vltima voci *theologia* adde exegeticæ: p. 420. lin. 5. lege pro *opificio hominis* opificio dei.



Er. 1 Thl. 8 gr.

Kf. Sam.